DE
PECCATO ORIGINALI,

EJUSQUE

NATURA, AC TRADUCE, ET PŒNA:

DEQUE MULTIPLICI STATU HOMINIS, INNOCENTIS, LAPSI, REPARATIQUE,

AC DE POSSIBILI PURÆ NATURÆ STATU:

TRACTATUS THEOLOGICUS:

IN QUO HÆRESUM HISTORIA DILIGENTIUS ENARRATUR, VINDICANTUR FIDEI CATHOLICÆ DOGMATA, AC SOLIDIORES QUÆ AGI SOLENT IN SCHOLIS, JUXTA S. THOMÆ AQUINATIS DOCTRINAM DIRIMUNTUR QUÆSTIONES:

AUCTORE

FR. JO. FRANC. BERNARDO M. DE RUBEIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

RECUSUS

AD EDITIONEM PRIMARIAM VENETAM MDCCLVII

APUD SIMONEM OCCHI.

WIRCEBURGI,

SUMPTIBUS STAHELIANIS.

1857.

WIRCEBURGI, TYPIS F. E. THEIN.

PRÆFATIO.

Totius Christianae Fidei summam brevi nobili sententia complectitur Sanctus Augustinus Libro de Peccato Originali Capite XXIV. num. 28. *In causa duorum hominum,* inquiens: *quorum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur a peccato: per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit faciendo voluntatem suam, et non ejus a quo factus est; iste nos in se salvos facit non faciendo voluntatem suam, sed ejus a quo missus est: in horum ergo duorum hominum causa proprie Fides Christiana consistit. Unus est enim Deus, et unus mediator Dei et hominum Christus Jesus.* Augustinianae sententiae praeclarissimae partem primam versat, ac illustrat *Theologicus Tractatus,* qui prodit in lucem: ac omnia, quae in eo uberrime pertractantur, indicat argumenta praecipua Frons ejus. Insurrexerunt per tempora indociles, vanique homines, qui fundamentum hocce Christianae Religionis impetere variis directis, indirectisque absurdissimis commentis ausi sunt. Sempiterna principia duo, boni alterum, et alterum mali, invexerunt *Gnostici,* et *Manichaei:* animarum praeexistentiam, quae in superiore vita prolapsae, justitia vindice detruderentur in corpora, excogitavit *Origenes* cum suis: Adae posteros nasci innocentes, ac peccati omnis immunes, dixere *Pelagius,* et *Caelestius,* qui praeformatum a *Theodoro Mopsuesteno,* non ab ullo *Rufino* quopiam, praecipue *Aquilejensi,* impium errorem amplificarunt: et hanc demum haeresim, culpae traduce sublato, admisso poenae transitu, emollire *Julianus Eclani Episcopus,* et Complices studuerunt. Hujusmodi Haereticorum, ac Haeresum, quas ipsi cuderunt, originem, incrementa, vices, fata, obitum aliquando, ac

novam veluti nativitatem in *Zuinglianis*, et *Arminianis*, et *Socinianis*, enarrat diligentissime quae praemittitur Historia, synchronis innixa monumentis, doctissimorum Virorum qui Spartam hanc adornarunt eruditione munita, novis etiam varii generis instructa animadversionibus. Homines heterodoxi fuere, qui communem culpam primigeniam fassi sunt; sed ejus naturam, quae dicitur, spreto Ecclesiae Catholicae magisterio enarrantes, impia deliria proposuerunt: vel eam in substantiali quadam Diaboli unitione cum homine, caelestis animae exclusionem inferente, vanissime constituentes, ut *Messaliani:* vel in ipsa hominis substantia, quae cum bona a Deo esset, mala facta sit per intimam quamdam transmutationem, ut *Mathias Flaccus Illyricus:* vel demum in concupiscentia, quae pugnat cum spiritu, ut *Lutherani*, et *Calvinistae*, qui propterea originalem culpam baptismate radi, non auferri dixerunt. Sicuti culpam sustulere *Pelagiani*, ita poenam omnem, qua recens nati sine baptismo decedentes plecterentur: pro medioque loco, quem nesciebant, regnum caelorum inter ac damnationem aeternam, pugnarunt acerrime. Fuit adolescens, *Vincentius Victor*, qui regnum Dei, puerili distinctione a regno caelorum sejunctum, infantibus concedebat, qui sine baptismo decederent cum peccato: ipsumque regnum caelorum, aliam pergentes viam, ampliori liberalitate largiti sunt *Zuinglius*, et *Calvinus:* ac fuere demum Theologi minus cauti, qui ipsis infantibus naturalem quamdam felicitatem, cum damnatione conjunctam, adseruerunt. Haec omnia pandit Historia, quae pro data occasione texitur: neque sane quidpiam defuit emolumenti, quod aliorum curis adderetur. Historicas enarrationes vindiciae sequuntur dogmatum Ecclesiae catholicae, quae semper, et ubique, et ab omnibus firma fide credita sunt. Invictis propugnantur ea Novi ac Veteris Testamenti Scripturis, perenni totius Ecclesiae traditione, ac publica et constanti Sacramenti Baptismatis observantia: quam utique methodum proposuit, ac servavit Augustinus. Variantes aliquae expenduntur divinorum eloquiorum lectiones, quibus Heterodoxi abutuntur: Sanctorum Patrum, et Ecclesiae Scriptorum mens germana perquiritur, ferme omnium una et eadem catholicae fidei consona, nonnullius obscura et ambigua, nonnullius etiam adversa: legitimaeque traditionis regulae ab Augustino propositae afferuntur. Egregias argumentationes in pugna, quam adversum Pelagianos pugnabat,

instruxit Africanus Doctor, ac passim adhibet suis in Operibus, ut commune peccatum evincat: primam ex morte, ac aerumnis praecedentibus, depromptam, quibus gravatur misera hominum, etiam infantum recens natorum, vita: sumptam alteram ex ignorantia veri, ac rebellione sentientis appetitus, quae concupiscentia vocari solet, ac inde proficiscente bonum agendi difficultate: tertiam sic efformatam, ut visio clara Dei, quae sola est vita aeterna ac regnum caelorum, imaginibus Dei, quales sunt infantes etiam sine baptismo decedentes, numquam denegaretur, si nullo infecti peccato nascerentur, et essent innocentes. Quaenam vis ejuscemodi argumentationibus, quodnam momentum insit, lis agitur inter Theologos celeberrima. Rite dirimi ut illa posset, varii naturae humanae distingui status, accuratoque studio expendi, et explanari debuerunt: ***innocentis*** in Adamo, ***lapsae*** post Adae peccatum, imo etiam ***perpetuum*** cum Angelis desertoribus ***damnatae*** in sistemate divinae justitiae, at praevalente misericordia Dei ejusque gratia ***reformatae*** cum regressu ad viam meritumque, ac etiam in aliquibus ***reparatae*** usque ad regnum caelorum. Nobilissima haec Theologiae argumenta cur praeteriri debuissent? Subtiliores accedunt, quae agitantur in scholis, quaestiones de ***possibili natura pura:*** quae scilicet ad unum nativo lumini proportionatum ordinata esset naturalem finem, bonorum naturalium largitorem Deum: quae morti etiam caeterisque aerumnis obnoxia foret, ipsamque pateretur sentientis appetitus rebellionem. Hanc si possibilem puram naturam admittas, jam fateri innocentem dari hominem potuisse cogeris, qui numquam clare Deum visurus esset, qui mortem post labores doloresque amaram obiret, qui repugnantis appetitus motus volens nolens experiretur. An ergo argumentationes Augustinianae attenuentur, et infirmentur? Ita censent non pauci, qui propterea possibilem inficiantur naturae purae statum, aut certe rejiciunt veluti divinorum attributorum decentiis minime consonum, ducti alii nimia licentia, cautiores alii, quibus integrum sit pro genio ingenioque sentire. Frequentiorem adversam Theologorum, qui ***Scholastici*** dicuntur, amplector ego sententiam, argumentis Augustini vim illam tribuens, quae *ex hypothesi* vocatur, duciturque ex legibus divinae praesentis providentiae, Scripturarum revelatione manifestis, sine dubio maximam, institutaeque pugnae contra Pelagianos con-

formem, neque me aut pudet, aut piget sentire cum praestantissimis Viris: ac praesertim antiquis et recentibus Sancti Thomae discipulis, imo etiam cum ipso Magistro Sancto Thoma Aquinate; et qualem ipsi veris coloribus delinearunt, possibilem opinari, ac tueri naturam puram. Absurdissima plura de concupiscentia excogitavit commenta ***Julianus Eclanensis***, qui veluti Dei munus, ac beneficium maximis eam laudibus extollebat. Haec depelluntur omnia cum Augustino: malum esse propugnatur, quodnam vero et quale, inquiritur: ejusque vis pertrahendi ad peccatum diligentiore cura expenditur. Id vero emolumentum sequitur non modicum, ut beneficiorum Dei quae in possibilibus naturae humanae statibus conferri potuerunt, quaeve eidem reipsa collata sunt in Adamo, ac posteris ejus misericordia Dei praevalente conferuntur, gratuitus favor, sublimitas, ac dignitas pretiumque comperta fiant. Sed ille maxime innotescit ***supernaturalis ordo***, qui visionem claram Dei complectitur, longissime superiorem naturali cognitione Dei per ea quae facta sunt comparata: et amorem continet illum qui visione clara in patria regitur, ac fide in via, amore naturali praestantiorem, createaeque mentis vires omnes excedentem: habetque demum beatitudinem, super omnem naturalem beatitudinem gratia Dei exaltatam. Amplo sermone illustrantur haec omnia: proque data occasione Philosophorum, Veterum, ac Recentium, placita varia expenduntur. Ad ipsam peccati originalis naturam, ac traducem, et poenam pertinent Fidei catholicae decreta, quae pro virili adversis propulsatis haeresibus vindicantur: pertinent etiam innoxiae Theologorum quaestiones de ratione originalem culpam constituente, de modo traducis, de poenae qualitate, et quantitate: dirimuntur vero juxta doctrinam Magistri Aquinatis, aliorum opinionibus pro ea quae datur opinandi libertate depulsis, maximeque modis illis rejectis, quae ad peccati traducem spectant, a ***Malebranchio***, a ***Leibnizio***, a ***Wolffio***, a ***Canzio***, a ***Du-Vigerio*** excogitatis. Infantes, qui sine baptismo decedunt, in vera damnatione manere, credendum est: de poena tamen damnationis eorum, Patrum et Scriptorum Ecclesiae dictis diligenti inito examine discussis, licuit mitius cum Angelico Praeceptore sentire. In ea, quam refero Pelagianorum concertationem, unum mihi fuisse originale peccatum admonere demum eat, quod ostenderem ab Haereticis multifariam multis-

que modis rejectum, vindicatumque a Romanis Pontificibus, abs Conciliis in Occidente et Oriente habitis, ab ejus aevi Sanctissimis Patribus, ac omnium celeberrimo Augustino: quin Haereseos partem alteram de Gratiae divinae auxiliis attingerem, quae sine prolixis disputationibus, ad alium Theologicum Tractatum attinentibus, pro dignitate illustrari minime poterat. Haec sunt vero argumenta praecipua Theologici Tractatus: alia ad Historiae facta quae narrantur, eorumque chronotaxim pertinentia: alia ad Fidei catholicae dogmata plura, quae propugnantur: ad celebres inter Theologos agitari solitas quaestiones alia, quae ut studio diligentiore pertractarentur, non operae dispendium existimavi, sed operae pretium.

Abs re non fuerit, Praefationi brevi elenchum subjicere *Dissertationum*, quae Operibus, aut Opusculis nostris hactenus editis insertae sunt, *de argumentis theologicis*. Varia sunt, ac sane nobilia; meo tamen pro virium modulo pertractata. Primo loco Dissertationem memoro, quae anno 1755. typis Venetis Simonis Occhi lucem vidit in 4. *De tribus in caelo testibus, Patre, Verbo, et Spiritu Sancto, qui tres unum sunt, I. Ep. Joan. cap. V. v. 7. adversus Samuelem Crellium, aliosque.* Vetusti Latini Codices aliqui, maximeque Graeci, comma illud non habent. Non illud ex Marginum scholiis invectum fuisse in Sacrum Textum, sed potius omissum oscitantia Librariorum, qui in eadem verba recurrentia figentes oculum, similia praetermiserunt quae praecedebant, pluribus ostensum est exemplis capite XIII. Aptissimum adducitur num. III. quod ex Facundi Hermianensis loco in Parisiensi Jacobi Sirmondi editione, collata cum vetustissimi optimae notae Codicis Veronensis Lectionibus, anno 1728. editis inter eadem Sirmondi Opera novis typis Venetis recusa, desumptum est. Accuratiore studio Parisiensem illam editionem, ac lectiones Veronensis Codicis conferenti mihi, similes alii aberrantis oculi, et calami lapsus inciderunt, ad *novemdecim* usque: quod hoc loco indicasse, haud inutile fuerit, ut satis in proclivi Librariis esse innotescat, sententias genuinas in Codicibus, qui exscribuntur, potius omittere, quam addere alienas.

II. Theologica argumenta occurrunt non pauca in Dissertatione *De gestis, et scriptis, ac doctrina Theophylacti Bulgariae Archiepiscopi* in fol. Primum locum tenet in

Tomo I. Operum ejus, quae anno 1754. graece, et latine edi coeperunt, ac prostant apud Josephum Bertellam in Officina Hertziana. Ipsius Theophylacti auctoritate refellitur capite XVI. *Scissionis Graecorum praetextus ex Rituum differentia.* Ejusdem sententia capite XVII. vindicatur *de instituta a Christo Domino in azymo pane Eucharistia.* Redarguitur ipse capite XVIII. qui *pro Graeco* nihilominus *ritu consecrationis in pane fermentato acrius pugnat*, ac *jejunium Sabbati improbat.* Caput XIX. quaestionem versat *de processione Spiritus Sancti a Patre, et Filio.* Inficiantis Theophylacti argumenta solvuntur: ibidemque rite ac recte *Missio* explicatur *Spiritus Sancti.* Agitur capite XX. *de fidelium suffragiis, quae defunctorum aliquibus, cum gravibus peccatorum sordibus ex hac vita decedentibus prodesse*, ait Bulgariae Archiepiscopus, ajunt alii Graeci. Mentem ejus caput XXI. aperit *circa piorum hominum spiritus, qui corpore soluti jam nulla egent purgatione, an recipiantur in regnum caelorum, ac etiam divina donentur visione:* agiturque praeterea *de Virginis Deiparae privilegio immunitatis ab omni culpa, etiam levi.* Theophylactum, aliosque Scriptores Graecos *perplexe, et ambigue disserentes de Electione divina, ac Praedestinatione, et Gratiae necessitate*, diligentius expendit, et explicat caput XXII. et quod insequitur caput XXIII. vindicat Bulgarum Archiepiscopum adversus heterodoxos homines *luculentissime, et ulla sine ambage de reali praesentia Christi in Eucharistiae Sacramento disserentem, deque Transubstantiatione.* Agit demum caput XXIV. *de Primatu Romani Pontificis.*

III. Anno 1753. juris publici fecimus typis Venetis Jo. Baptistae Pasquali, *Georgii, seu Gregorii Cyprii Patriarchae Constantinopolitani Vitam* ex Codice Graeco, *cum Latina interpretatione, et notis.* Binae adjectae sunt Dissertationes. Prima, *Historica et dogmatica de praecipuis Georgii, seu Gregorii Cyprii gestis, deque Processione Spiritus Sancti a Patre, et a Filio, seu per Filium.* Altera, *Historica et dogmatica de additione vocis* Filioque *ad symbolum, deque vano inde sumpto Graecorum scissionis praetextu.* Nihil in his praetermissum, quod ad erroris Graecorum originem, et incrementa spectaret, initamque saepius cum ipsis concordiam, ac toties ruptam.

Haec dum scribo, casu quodam in manus, et sub oculos incidit mihi *Graeci cujusdam,* nomine *Macarii,* Sermo

Graeca vulgari lingua scriptus, εἰς τὴν Β΄. Κυριακὴν τῶν νηστειῶν, in quo fabularum acervus, ad hanc quod attinet de *Processione Spiritus Sancti, adjectamque vocem ad symbolum*, et *azymum panem in Eucharistiae consecratione*, controversiam attinet, nimia confidentia importatur. Commenti examen, *Appendicis* loco ad superiores Dissertationes, addere mihi liceat. *Sermonis* excerptum accipe, fidissima Latina interpretatione donatum „... *Additio ad Symbolum* coepit post *septimam Synodum annis ducentis*, ut Historici testantur, ac *Sanctissimus Maximus*, et Gennadius Scholarius ... Narrant vero: Discipulos quosdam *Leucii*, *Λευκίου, haeretici*, ab orthodoxis pulsos, ad oras *Franciae*, *τῆς Φραγγίας*, pervenisse, *Caroli* tempore: et haeretica commenta sua disseminasse, additionemque invexisse vocis, *Filioque* ... Post haec *Leo Papa* (III.) ipsum *Carolum* Romam advocavit, coronavitque *Regem*. Aderant cum ipso *discipuli Leucii*, qui clam spargebant haereses *Apollinaris, Manentis, Valentini, Marcionis*. Hi fuere auctores *Processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, et Azymorum*. Paucos post annos *Leo Papa*, cum impiam eorum doctrinam nosset, litteras Constantinopolim scripsit, ubi persecutio ob *Imaginum causam* furebat. Scripsit *Thomae Jerosolymorum Patriarchae*, Viros doctos quaerens, quos ipse mitteret Romam, ut eos *discipulis Leucii* opponeret. Misit autem *Michaelem Syncellum*, cum duobus fratribus *Theodoro*, et *Theophane*, *Graptis* appellatis, ac *Jobo* quodam mirabili. Constantinopolim cum adventassent, a Tyranno Iconomacho detenti sunt .... Interim *Leo Papa* ex Sacrario eduxit *scuta*, aut *laminas Symboli*, quas ibi reposuerat *Leo senior*, ὁ παλαιὸς Λέων Πάπας, *quarti Concilii Oecumenici* strenuus defensor: eaque scuta ad Ecclesiam affixit, ut in iis legeretur ab omnibus graece insculptum symbolum *sine additione*. Narrant *Dadon* (Adon) *Historicus Latinus*, *Petrus Lombardus dist. XI. primi Sententiar. libri*, *Baronius*, *Cresconius in Epistolarum collectione, et Bellarminus*, Leonem III. in argenteis laminis inscribi Symbolum Concilii secundi (Constantinopolitani) mandasse, ut ab omnibus ullo sine additamento legeretur. Post haec *Leo IV.* ὁ τέταρτος, ad Sedes Orientales scripsit, ne Romanum ullum Pontificem communione sua donarent, nisi prius eorum professione fidei recepta. *Photio* scripsit *Joannes* (VIII.) ut Synodum celebraret, in qua *azyma damnarentur*, ac anathema dice-

retur in eos, qui profiterentur *Spiritus processionem a Filio*... Post annos octoginta *Formosus Papa* communione sua eos donabat, qui errore imbuti erant . . . *Christophorus Papa* ille fuit, qui temporibus *Basilii Bulgaroctoni* Symbolum primus auxit, e Diptychis propterea a *Sergio Patriarcha* expunctus." Nugis, et fabulis habes onusta plaustra.

Macario praeiverunt Scriptores alii Graeci, eisdem imbuti commentis, quos citat Leo Allatius contra Chreygtonum Exercit. XXVIII. a pag. 571. Eos praestat recensere, ut in fabellis inconstantia innotescat. *Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus*, ut legimus apud Allatium, de Dissidio inter Graecos, et Latinos ait: „Post absolutam *septimam Synodum*, cum praesedisset *Papa Leo II.* et Byzantii oppugnarentur *Imagines;* ex *interiori Francia* ad se advocavit *Carolum quemdam*, eumque insigni Regio accinxit. Ex ea *Franciae* regione comites se praebuere *Haeretici quidam*, Arii Apollinariique discipuli, qui *Romam ingressi*, Dei populum pervertere inceperunt, dicentes: *Sanctissimum Spiritum non solum a Patre procedere, sed etiam a Filio:* tradentesque, *azymum consecrare*, et alia nonnulla ecclesiasticis traditionibus minime consona." *Septimam Synodum* intelligimus Nicaenam *secundam Oecumenicam* anno 787. celebratam pro sacris Imaginibus. Ecclesiae christianae praesidebat *Hadrianus:* cui anno 795. successit *Leo Papa III.* non *secundus*. Hic Romae anno 800. vergente ad finem *Carolum, Francorum Regem*, dixit *Imperatorem*, ipsumque corona redemit. Quae verba sequuntur, germanam historiam depravant. Nempe *Elipandus Toletanus Episcopus*, et *Felix Episcopus Ecclesiae Urgelitanae*, errorem hoc tempore cuderunt: *Christum secundum humanitatem* inquientes, *non esse proprium Filium Dei, sed adoptivum.* Ariana haeresis aliquo modo instaurabatur. Haereseos virus *Gallis*, et *Germanis* afflare conati sunt. Eginhardus in Annalibus ad annum 792. narrat: „*Felicem*, ductum ad Palatium Regis (Caroli) *Reginoburgi, coram Episcoporum Concilio auditum fuisse*, et errasse convictum: missum Romam ad praesentiam *Hadriani Pontificis*, ubi *haeresim confessus* est, atque abdicavit." Annales Fuldenses addo ad eumdem annum: *Haeresis Feliciana, ipso Auctore eam abnegante, apud Regenespurg* (Ratisponam) *primum damnata est. Qui etiam* (Felix) *per Engilbertum Abbatem in praesentia Adriani Apostolici adductus, denuo eam confessione facta damnavit.*

Hanc historiam Graeculi corruperunt: eamque ad controversiam *de Processione, deque Azymis* insipienter transtulere. Data illis ansa ex alia Historia, qua constat, in Galliis, et Romae actum esse aetate illa de eadem *Processione*, voceque *Filioque* adjecta. Adonis verba sunt in Chronico ad annum 767. *Synodus Gentiliaci* (sub Pipino Rege) *celebrata est: in qua quaestio ventilata de Trinitate, et utrum Spiritus Sanctus sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio: et de Sanctorum Imaginibus.* Fidem hanc ab initio acceptam profitebantur Latini: de vocis *Filioque* additamento, quod spectat ad Ecclesiae disciplinam, agendum infra.

Genuinae historiae corruptionem auget *Simeon Jerosolymitanus* apud eumdem Allatium. In Tractatu de Azymis ait: „Undenam *azyma* a vobis excogitata sunt, et a quo principium nacta sunt, vobis enarrabo. Ex *Apollinarii* illius impii unus discipulus, nomine *Leucius*, quinimo *Felix*, namque erat binominis delirus ille, in vestram Urbem magnam *Romam* cum venisset . . . . . Latinos decipiens, ab illis *in Apostolicum Thronum* evehitur, et Papae *principatum* assumit. Itaque is inter alia dogmata, hoc quoque impium edocebat, inanimatam carnem Dominum ex Virgine accepisse, vicem animae mentisque Divinitate gerente: et sic *azymum* Sacrificium Christo offerre instructi fuistis.“ Haereticos Romam adventantes, ac Fideles decipientes, eorum praetermisso nomine, *Epiphanius Constantinopolitanus* narrat: *Simeon Jerosolymitanus* nomen addit *Leucii*, vel *Felicis*. Hunc in *Apostolicam Sedem* evectum ait iste: quam rem silet *Macarius*. Nomen *Leucii* ignotum non est in Ecclesiasticis Monumentis, et Sanctorum Actis: ac notus etiam *Leucius*, qui et *Lucius haereticus*, quem Sanctus Gregorius Nazianzenus vocat *Secundum Arium*. At quis ille fuerit *Leucius*, qui et *Felix*, a Graeco Scriptore invectus, *Apollinarii* discipulus, ac novae haereseos disseminator? Mentio nulla, vestigium nullum. Quis insuper *Leucius*, Romanae Ecclesiae Pontifex? Pontificum acta silent. An *Lucius* intelligi debeat? Sedem Petri conscendit primus *anno 255.* alter *anno 1144.* tertius *anno 1181.* sed hi ad Graecam fabulam non pertinent. Alio nomine appellatum *Felicem*, inquis. An primum ab *anno 272.?* An secundum ab *anno 333.?* An tertium ab *anno 483.?* An quartum ab *anno 526.?* Neminem vides, quem tuam inducas in fabulam. At *Felicis* nomen satis indicat *Felicis Urgelitani Episcopi*

historiam, sine dubio corruptam, ac insipienter translatam ad controversiam *de Spiritus Sancti processione.*

Apud Allatium alii duo sunt, *Athanasius Cydonius,* et *Anonymus,* qui rem hanc narrant: „Eo tempore (inquientes) *Vandali Romam diripuere,* Rege ex ipsis oriundo, *Caroli* nomine, Duce. Illi *azymis* utebantur, et symbolum *cum additione* recitabant . . . Hac doctrina imbutus *Felix,* qui tum *Romanae Ecclesiae* praesidebat, mortifera illa peste mirum in modum inficitur.“ Deliria sunt: *Carolum ex Vandalis oriundum* fuisse, *Romam a Vandalis* ea tempestate *direptam,* et *Romanae Ecclesiae* Antistitem *Felicem* invehi. Si e fabulis verum aliquod exsculpi possit; suspicio foret, Graecos illos fabulatores sub *Caroli* nomine intellexisse *Reccaredum,* Gothorum Regem in Hispania, ad fidem conversum anno 589. Is est, qui *Toletanam Synodum III.* eodem anno aperuit: ubi fidem ipse catholicam profitetur, ac *Spiritum Sanctum a Patre, et a Filio procedentem.* Nicaeni symboli forma recitata est: additurque *Symbolum Constantinopolitanum* cum additione vocis, *Filioque:* quam retinuere, ac propagarunt Hispanicae sequiorum temporum Synodi. *Ariana* peste infecti erant *Gothi praedicti Hispani:* unde fingi *Felix* eorum erroribus imbutus potuit, *Urgelitanae* scilicet *Ecclesiae Episcopus,* qui cum Elipando Toletano Christum inficiabatur *naturalem Dei Patris Filium.*

Paria a *Macario* invecta commenta jam patent, quae ad *Leucium, ejusque discipulos* attinent. Addit alia. Refert, scuta duo argentea a Leone III. sub omnium conspectum posita fuisse, in quibus inscriptum esset lingua etiam Graeca *Symbolum sine additione:* ac testes vocat *Dadonem Historicum Latinum,* (vel potius *Adonem*), *Petrum Lombardum, Cresconium, Baronium, Bellarminum.* In Chronico *Adonis* ne verbulum quidem hujusce rei. Perperam citatur *Cresconius:* sed in Epistolarum collectione *Cresconii* adnotavit Bellarminus Libro II. de Christo capite XXI. reperiri *Collationem, quae habita fuit inter Leonem III. Pontificem, et Legatos Caroli Magni, ac Synodi Aquisgranensis* anno 809. celebratae, in qua de scutis illis nulla mentio. Exstat ea *Collatio* apud Labbeum in collectione Conciliorum Tomo VII. ad annum 809. *Petri Lombardi* Lib. I. dist. XI. affero verba: „Addunt Graeci ad assertionem suae opinionis . . . quod Leo III. Romae transcriptum (Symbolum) in Tabula argentea, post Altare Beati Pauli posita, (imo in Basilica Sancti

Petri,) posteris reliquit *pro amore*, ut ipse ait, *et cautela fidei orthodoxae*. In quo quidem Symbolo, in *Processione Spiritus*, *solus commemoratur Pater*.“ Sumpta haec sunt ex Anastasio Bibliothecario in Vita Leonis III. num. 410. apud Blanchinum: *Hic vero*, inquiente, *pro amore*, *et cautela orthodoxae fidei*, *fecit scuta argentea duo*, *scripta utraque symbolo*, *unum quidem litteris Graecis*, *et aliud Latinis*. Additamentum *Filioque* praetermissum fuisse, tradunt Baronius ad annum 809. num. 62. et Bellarminus loco citato. Id utique colligitur ex illa *Collatione*, quae Leonem inter, et Legatos Concilii Aquisgranensis habita est. Additamentum publice legebatur in Ecclesiis *Hispanicis* ab anno 589. et in *Gallicanis* ab anno fortasse 767. quo Synodum *Gentiliacensem* habuere Patres, et in Ecclesiis *Regni Italici*. Exemplum ut sequeretur, induci numquam potuit *Leo III*. voluitque ut vetusto in suo more, dicendi aut legendi symbolum *sine additione*, Ecclesia Romana maneret. Verumenimvero dogma ipsum coram palamque professus est Leo Papa, ut prima *Collationis* verba patefaciunt: *Ita sentio*, inquiens, *ita teneo*, (Filium a Patre, Filioque procedere,) *cum his Auctoribus*, *et sacrae Scripturae auctoritatibus*, (quas Legati obtulerant). *Si quis aliter de hac re sentire*, *vel tenere voluerit*, *defendo*, (seu inhibeo:) *et nisi conversus fuerit*, *et secundum hunc sensum tenere voluerit*, *contraria sentientem funditus everto*. Se igitur *Macarius* noscat *funditus eversum* a Leone, quem sibi faventem putat. Hinc *fidei orthodoxae cautelam*, quam exprimit Anastasius, non ita intelligas, ac si Leo *processionem ab utroque* crederet catholico dogmati dissonam. Eo sensu *cautela fidei orthodoxae* exprimitur, ut Leonis mens fuerit: liberum cuique non esse ad symbolum addere quidpiam, ne hujuscemodi additionibus quidpiam irreperet, quod fidem orthodoxam depravaret. Sed ipsius Romanae Ecclesiae accessit demum consensus, ut infra.

Scuta argentea illa duo a *Leone seniore*, idest primo hujus nominis Romano Pontifice, *in Sacrario reposita* fuisse, narras ipse: eademque postea a Leone III. educta. Testem nullum affers, tibique adversatur *Anastasius*, qui *facta* ab ipso Leone III. *scuta argentea duo* scribit. Id egisse Leonem addis, postquam *Viros doctos*, abs *Thoma Jerosolymorum Patriarcha* missos, obtinere non potuit, impediente *Tyranno Iconomacho*, quos *Leucio*, *et complicibus haereticis*

opponeret. *Jerosolymorum Patriarchae Thomae* nomen ad mentem revocat veram historiam, quae occasionem praebuit tum *Synodo Aquisgranensi* anno 809. in *causa Processionis Spiritus Sancti* celebratae, tum *Collationi* inter Legatos ejusdem Synodi, et Leonem III. habitae, tum *duobus* denique *scutis argenteis* ejusdem Leonis jussu elaboratis.

Paucis haec enarranda est, ut *Macarii* somnia magis innotescant. *Stephanus Baluzius* Tomo VII. Miscellaneorum a pag. 12. vulgavit *Epistolam Peregrinorum Monachorum in Monte Oliveti ad Leonem Papam III.* Latini erant *Monachi* illi, et *Caroli Magni* subditi. Addiscimus vero, 1. *Joannem* quemdam Graecum, *de Monasterio Sancti Sabae,* insurrexisse *contra Francos,* qui sunt in *Monte Oliveti;* eosque tamquam *haereticos* incusasse, propterea quod *in Symbolo* dicerent; *Qui ex Patre Filioque procedit.* 2. Ita vero Symbolum, *cum additamento* ab illis Monachis cani consuevisse, quod ipsum sic auctum cantari audiverant *in Capella Domni Caroli.* Litteras Monachorum Leo transmisit ad *Carolum Imperatorem* una cum suis, quas ibidem in lucem emisit Baluzius. Istas in Galliam detulerunt *Agamus,* et *Roculphus,* qui Jerosolymis venerant Romam. Secum etiam detulere ipsi, ad Leonem primo, deinde ad Carolum, *Epistolam Thomae Jerosolymitani Patriarchae,* qua plurimum commendabantur *Monachi Montis Oliveti.* Adjunxerat Leo *professionem Fidei* instar Symboli, ad eosdem Monachos perferendam: in qua animadverte, disertissime *Spiritum Sanctum* dici *a Patre et a Filio aequaliter procedentem.* Ille igitur ipse *Leo,* qui Symbolo adjici vocem *Filioque* noluit, luculentissime *Spiritus ab utroque processionem* profitetur. Id nempe ad Fidei dogma pertinet, illud ad Ecclesiae disciplinam.

His Roma acceptis a Carolo, Synodum Aquisgrani anno 809. celebrari jussit. Rem testatur Eginhardus in ejus Vita: *Imperator de Arduenna Aquisgranum reversus, mense Novembrio, Concilium habuit de Processione Spiritus Sancti: quam quaestionem Joannes quidam Monachus Jerosolymis primo commovit.* Synodum hanc sequitur Legatio ad Leonem, et saepedicta *Collatio.* Vetustatis tenacissimus Pontifex renuit, addi vocem *Filioque* ad Symbolum, ut Legati poscebant: fecitque fieri scuta argentea cum Symbolo inscripto sine additione. Haec ignorat omnia *Macarius:* fabulaturque, id a Leone factum, cum *Viros doctos,* quos

Thomas Jerosolymitanus Patriarcha direxerat, Tyrannus Iconomachus detinuisset Constantinopoli.

Novam scilicet fabulam propinat. Doctos viros illos vocat *Michaelem Syncellum, Theodorum, et Theophanem fratres*, qui *Grapti* dicebantur, ac *Jobum* quemdam. Apud Lipomanum, et Surium ad diem XXVI. Decembris exstat latine edita *Vita Theodori:* quam Franciscus Combefisius in originibus Constantinopolitanis graece, et latine edidit emendatiorem: *Βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδόρου τοῦ Γραπτοῦ.* In ea legimus a *Patriarcha Jerosolymitano* (scilicet *Thoma*) Constantinopolim missos eos fuisse, ut fidei sub *Leone Armeno* Tyranno in *causa sacrarum Imaginum* laboranti suppetias ferrent. Ambo flagris caesi, et exilio relegati. De hac re agunt Baronius, et Pagius ad annum Christi 817. Regiam in urbem iterum, ac tertio venere sub *Michaele Balbo* anno 821. et sub *Theophilo* anno 833. multaque et gravia passi sunt. Laudatos Auctores consule, ac *Vitam Theodori.* Quis modo ferat, Historiam hanc, quae in Graecis Monumentis exstat, falso, et perperam, ac insipienter transferri a *Macario* potuisse ad controversiam *de Processione Spiritus Sancti?* Notus est *Michael Syncellus,* seu *Syngellus,* idest Thomae Patriarchae Jerosolymitani Cancellarius, et domesticus, et amicus *Theodori Studitae,* cujus ad ipsum exstant Epistolae. Vide Jo. Albertum Fabricium in Bibliotheca Graeca Tomo X. pag. 220. num. VIII. *Jobus,* qui additur, ignotus mihi: certum vero, compertumque, deliria somniasse Macarium. In eadem contra Iconomachos causa strenuum se praebuit defensorem *Syncellus.* Quid est vero, *Leonem IV.* qui Romam Sedem anno 847. conscendit, scripsisse Sedibus Orientalibus, *ne ullum Romae Papam sua donarent communione, nisi prius professione fidei emissa, et recepta?* Cur morem istum jam antea vigentem, ut patet ex *Libro Diurno Romanorum Pontificum,* qui fidei professionem post Synodum sextam emiserunt, in calumniam, et invidiam trahis, ejusque auctorem fingis *Leonem IV?* Cur *Joannem VIII.* memoras, cur etiam *Photium?* At Latini nostri jam certum fecere, Photium ipsum *Epistolam composuisse tamquam ad se scriptam a Joanne Papa,* in qua uti divinae fidei, et paternarum traditionum eversores condemnantur, qui symbolo verbum addiderunt: ac insuper loqui Pontifex inducitur, *rationi congruere, ne violenter aliquis a nobis addita-*

mentum illud omittere cogatur, sed potius prudentia et mansuetudine praeparare illos, paullatim admonendo ut a blasphemia recedant. Fabulatorem Photium insequuntur Baronius ad annum 879. Michael Lequienus Dissertat. 1. Damascenica num. XXI. ac nos etiam insequuti sumus in *Dissertatione historica, et dogmatica secunda* superius citata Capite V. num. 1.

Quid est *Formosum Papam*, anno 891. electum, haeresim hanc secreto coluisse, eamque palam additamento facto professum esse *Christophorum*, qui anno 903. sedem Romanam obtinuit? Nempe *Macarius* fabulas exscribit ex alio *Anonymo Graeco*, quem refert Baronius ad annum 883. num. XXXV. et seq. *Haec sunt vero*, (ut ibidem ait laudatus Baronius,) *quae ex Graecorum fontibus caenosis hauriuntur. Verum nullo pacto possunt tribui ista Christophoro, qui invasor Apostolicae Sedis, mox sede pulsus, perbrevi tempore eam tenuit tumultuose.* At Macarius initio commentitiae suae narrationis ait: *additionem ad Symbolum coepisse post septimam Synodum annis ducentis.* Testem adhibet *Sanctissimum Maximum.* Quid hac de re testari potuerit Vir sanctissimus, qui saeculo Ecclesiae septimo florebat? *Synodum Oecumenicam septimam* anno 787. celebrarunt Patres. Anni, qui *ducenti* numerantur, inde deducti, ad annum Christi perveniunt 987. Sunt vero post *Christophorum Papam* anni octoginta quatuor. Sed hunc demum Christophorum ob eam additamenti novitatem inquis, *expunctum e Diptychis a Sergio Patriarcha Constantinopolitano.* Inceptam fabulis narrationem concludis fabula. *Sergius* ille, Michaelis Cerularii decessor, ad urbis Regiae sedem *anno 999.* evectus est: adeoque integro fere seculo post *Christophorum Papam* Sedem illam obtinuit. Quo igitur anno in Ecclesia Romana vox *Filioque* adjecta fuerit? Verisimiliore conjectura cum Viris doctissimis *annum 1014.* Romanam Ecclesiam tenente *Benedicto VIII.* ac Romanum Occidentale administrante Imperium *Henrico I.* definivimus in citata superiore Dissertatione II. historica, et dogmatica. Deliria tam foeda propinare, Graeculos pudere tandem aliquando deberet.

IV. Ad alia Theologiae argumenta sermo redit. Typis Venetis Simonis Occhi anno 1754. prodiit Dissertatio *de vetustis Liturgicis, aliisque sacris Ritibus, qui vigebant olim in aliquibus Forojuliensis Provinciae Ecclesiis* in 4. juncta

est cum Dissertatione *de Turranio, seu Tyrannio Rufino, Monacho, et Presbytero.* Frequentes in ea occurrunt Theologicae animadversiones circa sacros Ritus. Agit vero Caput XXVIII. *de Forma indicativa, vel deprecatoria in extremae unctionis Sacramento adhibenda:* agiturque Capite insequenti XXX. *de Matrimoniis clandestinis.*

V. Theologica argumenta plura versantur in *Dissertationibus,* quae numerantur XXX. *de gestis, et scriptis, ac doctrina Sancti Thomae Aquinatis,* quae simul junctae anno 1750. prodierunt typis Jo. Baptistae Pasquali in fol. In Dissertatione III. Capite II. optima exponitur ab Aquinate servata methodus *in exponendis Veteris Testamenti Prophetiis, ac Typis.* Vide Admonitionem praeviam Tomo II. novae Operum Sancti Thomae editionis Venetae. In Dissertatione VI. Capite II. depellitur *Erasmi censura contra doctrinam Aquinatis de Jesu Christo praedestinato Filio Dei.* Capite III. propulsatur *Socinianismi suspicio, qua notari posse eamdem doctrinam, insipienter visum est Ricardo Simonio:* isque convincitur oscitantiae, et erroris, qui *Thomam accusat, veluti confundentem Origenianum commentum de praeexistentia animarum cum haeresi Pelagiana de meritorum praecedentia.* Aliae ejusdem Simonii refelluntur censurae Capite IV. *de modo motionis Dei ad actus malos, de Haeretici nomine, de Transubstantiatione, de adoratione Crucis.* Haec omnia complectitur Admonitio praevia Tomo VI.

In Dissertatione IX. quae orthodoxum vindicat Auctorem Operum Areopagiticorum, Capite XII. et XIII. illustratur *Ritus* origo, *canendi Symbolum in sacra Synaxi:* et Capite XIV. *mala dogmata Monophysitica* diligentius exponuntur: et Capite XVIII. declaratur, *quid in operationibus Christi proprium ejusdem fuerit, quid commune Sanctissimae Trinitati.* Eadem habentur in praevia Admonitione Tomo VIII. In Dissertatione X. vindicatur *innoxia Thomae thesis* circa Tyrannos contra *Curtium,* et *Summontium,* et *Scipionem Christophorum.* Lege Caput IV. Vide Admonitionem praeviam Tomo XII.

Dissertationis duodecimae Caput IV. exhibet *Specimen Sancti Thomae doctrinae in eo argumento, quod Religionis revelatae veritatem spectat. Ac primo naturae lumine non omnes possunt veritates ad Deum pertinentes innotescere. Istas revelare gratuito favore potest Deus, itemque alias quae eodem naturae lumine investigari possunt. Utrasque reipsa*

Supremum Numen revelavit. Perperam objiciuntur, quae mysteria revelata jactabant Gentiles, et jactant Mahometani. Rationi naturali adversa non sunt mysteria Fidei christianae. Supra ipsam rationem attolluntur, ac ordinem constituunt natura qualibet creata superiorem. Eadem exstant in praevia Admonitione Tomo XVIII.

Capite I. Dissertationis XVIII. affertur *prudentissima Aquinatis animadversio circa judicia, quae de Philosophorum placitis ferri debent, ad Fidei doctrinam comparatis.* Agit uberrime Caput II. *de Forma absolutionis in Sacramento poenitentiae:* duplici distincta *juris* quaestione, ac *facti* tertia: refelliturque Launojus. Vide Admonitionem praeviam Tomo XIX. pag. 167.

In Dissertatione XXV. agitur *de Censuris, quae Parisiis, et Oxonii latae fuerunt,* quibus immunis ostenditur Thomae doctrina. Vide praeviam Admonitionem Tomo X. In Dissertatione XXVI. *censura immune* vindicat Caput I. *Theologicum dogma de affluentiore dono gratiae, aliis et aliis Angelis concesso, pro naturae eorum discrimine: itemque de Potentia Dei, quae ad unum qui conditus est, coarctari mundum videtur.* Vide citatam praeviam Admonitionem aliamque Tomo XI. Agitur Capite II. *de sola numerica inter Angelos differentia: de ipsorum praesentia ad locum per operationem: de rationalis animae, salva unitate specifica, diversa perfectione.* Citatam vide Admonitionem praeviam Tomo XI.

Dissertationis XXVII. Caput I. agit *de uno in Sanctissima Trinitate, vel duobus spiratoribus:* deque *usu adjectivorum, ac substantivorum nominum in Deo* adversus Petavium, Capite II. expenditur, *quo sensu catholice enunciari possit, Verbum divinum adsumpsisse hominem:* ubi plura contra Pozam, et Petavium. Ad examen vocat Caput III. *an benedictio panis Eucharistici, et Calicis fuerit consecratio. Genuina Aquinatis mens aperitur: Christophorus Matthaeus Pfaffius refellitur.* Capite IV. disseritur *de Episcopatu, an sit ordo distinctus a Presbyteratu: Tridentina Synodus, ac Patrum dogmata, et Canones expenduntur: eaque ad examen vocatur quorumdam opinio, qui putant Diaconos olim, praetermisso Presbyteratu, ordinatos fuisse Episcopos.* Vide praeviam Admonitionem Tomo XII.

In Dissertatione XXIX. evincit Caput III. contra Petrum Zornium, Hamburgensem Heterodoxum, *cum Ecclesia*

catholica semper Thomam sensisse adversum Pelagianos: ipsiusque Zornii calumniam esse, qui docentem Aquinatem inducit, *hominem in negotio conversionis passive se habere.* Haec eadem offert Admonitio praevia Tomo XIII. Alia plura sunt argumenta, vel ad fidei dogmata, vel ad Sacros Ritus, et Ecclesiae disciplinam pertinentia, quae ut in his Dissertationibus minus amplo sermo attingerentur, occasio data est.

VI. Cum Veneta Operum Sancti Thomae Aquinatis editio incepta est, dare fidem nobis licuit, qua singulos Tomos aliqua nostra Dissertatione, aut praevia Admonitione munire, polliciti sumus. Ex illis, *triginta*, quae memoravimus, plures in uno illo Volumine continentur, quod *Opuscula Theologica* complectitur: unde novas praeter *triginta* conficere dissertationes opus fuit, ut reliquis in Voluminibus data fides impleretur. In ea, quae exstat in Tomo XXIV. hoc anno 1757. et hisce diebus typis edito, Caput II. est, in quo *Sistini Amamae*, et *Joannis Fabricii censura* affertur, quae *Thomae doctrinam petit de proprio illo nomine Dei, Qui est: adversae Fabricii rationes expenduntur, et refutantur; vindicaturque Masorethica Textus Hebraei lectio, ac S. Thomae doctrina ostenditur, Veterum Latinorum Graecorumque documentis conformis, quibus favent Hebraeorum Magistri.* Ad rem theologicam pertinet Caput III. cujus haec summa: *Unum potius, quam primum, vocari diem debuisse, in quo lux facta est, rationibus ostendit Aquinas ex Sancto Basilio sumptis: hinc vero injusta est Joannis Fabricii censura. Fallitur Dionysius Petavius, qui rationes praedictas rejicit, veluti mysticas interpretationes. An vespere praecesserit mane, sive lucem, an viceversa? Joannes Clericus notatus.* Ad Theologum denique maxime spectat, *auctoritates illas Graecorum* nosse, quas in *Opusculo contra Graecos* exposuit Sanctus Thomas, adhibetque aliquibus in Operibus, at in *Summa Theologica* numquam. Hisce de rebus examen instituit Caput IV. quod etiam ex parte institutum est in Dissertationibus, aut praeviis Admonitionibus in *Catenam quatuor Evangeliorum*, ac in *tria Opuscula priora*. Labores nostros, qualescumque sint, pro sua excipiat humanitate benevolus Lector.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT

CA

CAPUT [illegible]

CAPUT [illegible]

CAPUT [illegible]

CAPUT X.

CAPUT XI.

CAPUT XII.

CAPUT [illegible]

CAPUT [illegible]

CAPUT [illegible]

[illegible] VIII.

Pag.

CAPUT XLII.

CAPUT XLIII.

CAPUT XLIV.

CAPUT XLV.

CAPUT XLVI.

CAPUT XLVII.

CAPUT XLVIII.

Pag.

CAPUT XLIX.

CAPUT L.

CAPUT LI.

CAPUT LII.

CAPUT LIII.

CAPUT LIV.

NOS FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

Sacrae Theologiae Professor, ac totius Ordinis FF. Praedicatorum Humilis Magister Generalis, ac Servus.

Cum uti Nobis exponitur, R. A. P. L. F. Bernardus Maria de Rubeis Ex-Vic. Generalis Congregationis nostrae B. Jacobi Salomonii Provinciae nostrae Venetiarum Opus cui titulus: *Tractatus Theologicus de peccato originali, ejusque natura, ac traduce, et poena: deque multiplici statu hominis, innocentis, lapsi, reparatique: ac de possibili purae naturae statu:* composuerit, illudque praelo subjicere desideret; Nos harum serie, nostrique officii auctoritate, quantum in Nobis est, et servatis alias servandis paterne indulgemus, dummodo a RR. PP. Sacrae Theologiae Lectoribus Ex-Vicariis Generalibus Fr. Fulgentio Cuniliati, et Fr. Jacobo Ratti praefatae Congregationis luce dignum judicetur, eorumque censorio in scriptis calculo approbetur. In nomine Patris. et Filii, et Spiritus Sancti Amen. Quibuscumque etc. In quorum Fidem etc. Dat. Romae in Conventu nostro Sanctae Mariae supra Minervam die 11. Septembris an. 1756.

FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS

Mag. Ord.

Registrata fol. 1.

FR. JOANNES BRITO
Mag. Prov. Baeticae, et Prosoc.

Demandante Reverendissimo P. Fr. Joanne Thoma de Boxadors, totius Ordinis nostri Generali Magistro, nos infrascripti Sacrae Theologiae Professores vidimus Opus, cui titulus: *Tractatus Theologicus, de peccato originali, ejusque natura, ac traduce, et poena; deque multiplici statu hominis innocentis, lapsi, reparatique; ac de possibili purae naturae statu, etc.* a R. P. Fr. Bernardo Maria de Rubeis, nostrae Congregationis alumno lucubratum: in quo nedum quidquam non offendimus, quod sanam doctrinam non redoleat, quinimo omnia admirati sumus optimo ordine disposita, solidis fundamentis probata, gravissima auctoritate communita, exquisita eruditione exornata, necnon summa profunditate discreta: ut nonnisi perutile universis Theologiae Professoribus, ad fidei veritates vindicandas, ad errores adversantes compescendos, ad sanam doctrinam in rebus admodum implexis enucleandam, censere debuerimus; ac proinde dignissimum, quod publicae luci donetur.

Ego Fr. FULGENTIUS CUNILIATI Sac. Theol. Profess. ita censeo.

Ego Fr. JACOBUS RATTI Sac. Theol. Profess. ita censeo.

Datum in Collegio SS. Rosarii Venetiarum Ordinis Praedicatorum die 20. Januarii 1757.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Paolo Zapparella Inquisitor Generale del S. Officio di Venezia*, nel Libro intitolato: *Dissertatio Theologica de peccato originali, ejusque natura, ac traduce et poena, deque multiplici statu hominis, innocentis, lapsi, reparatique, ac de possibili purae naturae statu: Auctore F. Jo. Francisco Bernardo Maria de Rubeis Ordinis Praedicatorum;* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi: concediamo Licenza a *Simone Occhi Stampator di Venezia*, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 25. Settembre 1756.

BARBON MOROSINI Kav. Proc. Rif.

ALVISE MOCENIGO 4.° Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 51. al Num. 504.

GIACOMO ZUCCATO Seg.

TRACTATUS THEOLOGICUS

DE

PECCATO ORIGINALI

EJUSQUE

NATURA, AC TRADUCE, ET PŒNA,

DEQUE MULTIPLICE STATU HOMINIS, INNOCENTIS, LAPSI, REPARATIQUE AC DE POSSIBILI PURÆ NATURÆ STATU.

CAPUT I.

Tridentinae Synodi Decreta, quae fidem exhibent Ecclesiae Catholicae de peccato originali. Animadversiones.

I. Peccati originalis labem, ac lethales ejus consecutiones omnes, editis quinque Decretis exposuerunt *Synodi Tridentinae* Patres Sessione V. Sanctissimae orthodoxae sanctiones disputationi, quam adgredimur, praemittendae sunt. Decretum primum: „Si quis non confitetur, primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus (Genes. cap. 3.) statim sanctitatem et justitiam, *in qua constitutus fuerat,* amisisse: incurisseque per offensam praevaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque adeo mortem quam antea illi comminatus fuerat Deus (Genes. cap. 2.), et cum morte captivitatem sub ejus potestate qui mortis deinde habuit imperium, hoc est Diaboli: totumque Adam per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: anathema sit.“

Alterum: „Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse; aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animae; anathema sit, cum contradicat Apostolo dicenti (ad Rom. cap. 5. v. 12): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*“

Tertium: „Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanae naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum *unius Mediatoris Domini nostri Jesu Christi* (I. ad Timoth. cap. 2. v. 5.), qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, *factus nobis justitia, sanctificatio, et redemptio* (I. ad Cor. cap. 1. v. 30.), aut negat, ipsum Jesu Christi meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis, quam parvulis applicari; anathema sit, *quia non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Actor. cap. 4. v. 12). Unde illa vox (Jo. cap. 1. v. 29).: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi:* et illa (ad Gal. cap. 3. v. 27.). *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.*

Quartum: „Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit: quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus (ad Rom. cap. 5. v. 12.): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* nisi quemadmodum Ecclesia catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum, etiam parvuli qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* (Joann. cap. 3. v. 5.)."

Postremi decreti partes duae sunt. Pars prima: „Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat; aut etiam asserit, non tolli totum id quod verum et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari; anathema sit. In renatis enim *nihil odit Deus,* quia nihil est damnationis in iis, qui vere *consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem* (ad Rom. cap. 6. v. 4) qui non secundum carnem ambulant; sed *veterem hominem* exuentes (ad Ephes. cap. 4. v. 22.) et *novum induentes qui secundum Deum creatus est* (v. 24. et ad Coloss. cap. 3. v. 10) innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt *heredes quidem Dei, coheredes autem Christi* (ad Rom. cap. 8. v. 17) ita ut nihil prorsus eos ab ingressu caeli remoretur."

Pars altera: „Manere autem in baptizatis *concupiscentiam,* vel *fomitem,* haec Sancta Synodus fatetur, ac sentit. Quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet. Quinimo (2. ad Tim. cap. 5. v. 5.) *qui legitime certaverit, coronabitur.* Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus (ad Rom. cap. 7. et alibi) *peccatum* appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam in-

tellexisse, *peccatum* appellari quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.“

II. Haec de *peccato originali* fides Ecclesiae Catholicae, quam *Sancta Synodus,* relictis in medio Scholarum opinionibus, divini eloquii et Sanctorum Patrum dictis expressam, credendam proponit. Sfortia Pallavicino teste in Historia ejusdem Concilii Libro VII. Cap. IX. cum *primo* in *Decreto* Adamus diceretur ob transgressionem amisisse Sanctitatem, in qua fuerat *creatus;* vox ista, *Creatus,* ob varia Theologorum placita, quae retulit *Cardinalis Pacecus,* deleta fuit, in eamque commutata, quae legitur, scilicet *constitutus.* Illam etiam *Decreti quinti* propositionem, qua *nihil in renatis odisse Deum,* adseritur, fortiter impugnavit *Seripandus*, Ordinis Augustiniani Theologus, et Prior Generalis: multisque allatis ex Augustino sententiis ostendere nisus est, displicere Deo concupiscentiam, malam esse, a qua liberari flagitant Sancti per orationem Dominicam, adversus spiritum decertare continuo, adeoque a Deo non esse. Nihil attamen in forma decreti mutandum Patribus visum est. Decreti sententiam vindicavit *Petrus Bertanus* Phanensis Episcopus ex ordine Praedicatorum: propterea quod *odium inimicitiae* non obscure indicant verba Decreti, non *odium displicentiae:* ac tametsi labes aliquae in homine renato maneant, quas odio posteriore aversatur Deus; nihil in eo tamen inest, utpote filio Dei adoptivo per regenerationem effecto, quod prioris odii sit objectum.

Periodum ex eodem Decreto expungi jusserunt Patres, qua dicebatur non improbari scholasticam thesim adserentem, *manere post Baptismum partem materialem originalis peccati, non formalem;* ne sacrae Synodi auctoritas immisceretur ullo modo Scholarum litibus. De sententia, quae *Virginem Deiparam* pronuntiat originalis culpae immunem, varia fuerunt Patrum, ac Theologorum consilia: quae narrat omnia Pallavicinus ibidem Capite VII. id unum Synodus *declarat* in calce Decreti quinti: *Non esse suae intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem; sed observandas esse Constitutiones fel. rec. Sixti Papae IV. sub poenis in eis contentis; et eas innovare.*

CAPUT II.

Haereseos adversae origo. Errores plures ex aliis erroribus orti: pluresque motae quaestiones aliarum occasione.

I. Haereseos oppositae originem et incrementa, erroresque (unum ex altero) proficiscentes, ac multiplices inde ortas quaestiones, quas etiam liberius agitare coeperunt homines nimium curiosi, diligentissime enarrat Joannes Garnerius Dissertatione VII. *de ortu, et incrementis Haereseos Pelagianae.* Quae latiore calamo disserit ille, paucis colligo. Quaestionem primam memorat Capite II. omnibus fere temporibus motam, versatamque: *Unde scilicet malum animi, quod est peccatum, habeat ortum?* Originem ejus perpetua consen-

sensione ab ipsa voluntate humana, quae ex nihilo facta est, trahebant Orthodoxi; ab ipsa natura, Gnostici, et Manichaei.

Quaestionem alteram subnectit Capite III. *An mors hominis, seu necessitas moriendi communis hominum, sit a natura, cujus conditor Deus, an a peccato, cujus parens humana voluntas?* Varias in partes animo innoxio abierunt antiqui Ecclesiae Patres, et Scriptores. Alii dixere: *reipsa factum fuisse Adamum immortalem, potestate mortalem:* alii, *reipsa mortalem, potestate immortalem:* alii demum, *neutrius modi reipsa, utriusque potestate, prout merito suo aut faceret statum in quo immortalis esset, aut necessario foret morti obnoxius.* Haec pro genio opinantes, e peccato primi tamen hominis fatebantur ortum esse statum mortalitatis, cui obnoxii et nunc sumus, et hactenus fuerunt Adae posteri. Contentionis porro longius fune ducto, nova dissidia emersere: adserentibus aliis, mortem ex peccato natam, tanquam ex causa poenae: aliisque, tanquam ex occasione beneficii, quod miseris hominibus Deus conferret, utpote quia miseriarum finis mors est. Num hujusce sententiae Magistros merito Garnerius appellet *Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Epiphanium, Chrysostomum,* infra diligentiore opera disquirendum.

Intra catholicae fidei limites adhuc continebat sese *de mortalitate hominis* disputatio. Erupit tandem, praeformatore Theodoro Mopsuesteno, Doctoribusque Pelagio, Caelestio, aliisque, impia haeresis. Propugnatum scilicet: *Mortem puram esse necessitatem naturae, cui servire humanum genus oportet, quomodocumque tandem singuli se habeant quoad mores voluntatis: hominemque primum, sive peccaret, sive non peccaret, moriturum esse non merito culpae, sed naturae fato.* In utramque partem pugna commissa Orthodoxos inter, ac errantes: dataque plurium quaestionum occasio. *1. An morbi ex culpa oriantur, vel ex natura. 2. An partuum dolores futuri essent in Paradiso. 3. An laboriosa sine peccato agricolatio. 4. An Deus sit auctor mortis. 5. An mors censeri debeat in malis. 6. An sua quisque culpa moriatur. 7. Cur justi moriantur, si mors sit poena peccati. 8. Cur Christus ipse mortem passus sit aliquando. 9. An omnes morituri sint, cum omnes eodem originis peccato teneantur. 10. An omnes per Christi resurrectionem resurgere debeant, an soli justi. 11. An resurrectio per se debeat in bonis numerari.*

Surculus est praecedentis quaestionis, radice sua major, quaestio illa, quae *peccati primi hominis propagationem* spectat. Imo *Ger. Joannes Vossius* Libro II. Hist. Pelag. Part. I. e contra censet, quaestionem *de mortalitate* ortam esse ex alia *de peccato originali.* Priorem, quam Garnerius, aliique amplectuntur, luculentissima argumenta illustrant. Augustinus rem narrat apertissime Libro I. de peccatorum meritis, et remiss. Capite IX. Quo ex loco addiscimus: testimonium illud Apostoli, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors,* quo Catholici utebantur, ut mortem ostenderent non ex necessitate naturae ortam, sed ex culpa ab homine commissa, *in aliam novam* ab adversariis *detortum fuisse opinionem:* id vero novam istam opinionem, ex priore de mortalitate profectam, tulisse, *ut mors ista, quae illic commemorata est, non sit corporis, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed Animae, quae in ipso*

peccato fit; et ipsum peccatum non propagatione in alios homines ex primo homine, sed imitatione transierit. Hinc veteres quique Haereseos Pelagianae vel recensentes, vel impugnantes mala dogmata, illud referunt secundo loco quod *originis peccatum* spectat.

Marii Mercatoris verba sunt in Commonit. I. quod exstat in Appendice Tomi X. Operum S. Augustini: *Quaestio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, et praecipue in Cilicia a Theodoro quondam Episcopo Oppidi Mopsuesteni jamdudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodum roditur ..... Progenitores videlicet humani generis, Adam, et Evam, mortales a Deo creatos: nec quemquam posterorum sui praevaricatione transgressi laesisse, sed sibi tantum nocuisse.* Mens eadem est *Auctoris Hypomnestici*, seu Commonitorii, aut Librorum qui vulgo inscribuntur ὑπογνοστικῶν, *Subnotationum*, in Praefat. in Appendice citata: *Hujusmodi dogmatis ista est nefanda blasphemia. 1. Adam, inquiunt, sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse. 2. Tamen peccatum ejus neminem, nisi solum nocuit ipsum. 3. Posse hominem per liberum arbitrium, tanquam per se sibi sufficientem, implere quod velit: vel etiam meritis operum a Deo gratiam unicuique dari. 4. Libidinem naturale esse bonum, nec in ea esse quod pudeat. 5. Parvulos non trahere originale peccatum: neque perituros a vita aeterna, si sine sacramento Baptismi ex hac vita migraverint.*

Ordinem servat eumdem Prosper in Carmine de Ingratis Cap. I.

Dogma, quod antiqui satiatum felle draconis
Pestifero vomuit coluber sermone Britannus,
Hac primos homines creatos ditione ferebat:
Ut seu praeceptum mandatum transgrederentur,
Sive inculpati, servata lege, manerent;
Mortem istam prorsus, qua carnem vita relinquit,
Oppeterent. Quae non peccato parta, sed ipso
Instituente Deo, comes esset fixa creatis.
Progenitos igitur *nullum traxisse reatum*
De patribus: neque dissimiles nunc nascier illo
Ortu primorum, qui libertate male usi
Peccarunt, forma nocui, non semine, proli.

Quae clarissima cum sint, mirum est, in aliam abiisse Vossium opinationem. Illum fefellit veterum quorumdam auctoritas (animadversio est Garnerii Dissert. VII. Capite IV.), qui cum peccatum Adami inde probent in posteros propagari, quod ipsi etiam infantes, licet suae nullius culpae rei, moriantur: nec ullus attamen sub justo Deo moriatur, nisi merito peccati: visi sunt Vossio enarrare, *non solum quid rei ex re*, verum etiam *quid quaestionis ex quaestione* profectum sit: quamvis haec duo longissime diversa sint; quodque reipsa posterius est, primo venerit in controversiam.

II. Dirum ergo bellum exarsit, Scripturarum auctoritate, perpetua Ecclesiae traditione, rationum momentis Viris orthodoxis pugnam agentibus, ac arma similia, invito licet marte, stringentibus Heterodoxis. Non una dirimenda quaestio fuit, cum plures pullularent. Urgebant Catholici testimonium Apostoli Pauli *ad Rom. Cap. V.*

v. 12. superius allatum, ac illud etiam rationis momentum, quod *parvulorum baptismate nititur.* Quae cum eludere niterentur adversarii, ansam dedere quinque difficultatibus, quas recenset Garnerius Cap. IV. §. 1. sunt nempe: *1. An Christus solo exemplo profuerit hominibus: eaque fuerit vel unica, vel potissima causa veniendi, ut reliquis vitae modum in se ostenderet. 2. Qua ratione justitia Christi proficiat parvulis, qui exemplum imitari non possunt. 3. Quomodo parvuli dici possint credentes, cum solis credentibus justitia Christi prosit. 4. Qua ratione Christus infantium dici queat Redemptor, vel Salvator. 5. An demum pro ipsis mortuus sit?*

Fidem ipsam catholicam, quae *peccatum primi hominis propagatum in posteros* credit, directe duabus impetebant quaestionibus. Erat prima: *quomodo dici possit peccatum, quod a voluntate rei hominis non oritur.* Altera: *Quomodo pariter necessitas peccandi conciliari possit vel cum justitia Dei punientis quod vitari non potest: vel cum studio virtutum, quo incensi homines implere conentur legem.* Suas utraque propagines habuit. Data prioris occasione, *subtilius ventilata est definitio peccati olim ab Augustino allata: voluntas admittendi, vel retinendi quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere. Quaesitum, quae foret omnium mentibus impressa peccati notio. Disputatum etiam de justitia Dei, voluntatum judice. Discussus diligenter Manichaeismus, et essentia peccati exposita. Agitata demum quaestio de origine animarum.* Alteram duae consecutae sunt quaestiones. Prima de libero arbitrio: *Utrum peccato illo grandi primi hominis perierit de humano genere.* Secunda de Impeccantia: *An possit homo in hac vita sine peccato esse.* Quae demum in quaestionem unam coaluerunt *de necessitate adjutorii gratiae divinae ad praestanda pietatis opera, ad vincendas tentationes.*

Infinitam postremo loco quaestionem memoro *de Concupiscentia.* Hanc docebant Orthodoxi peccati originalis et effectum, et signum. Plura itaque ad examen vocata. *1. Morbus ne sit, an vigor naturae. 2. Afflatum a Diabolo venenum, an collatum aliquando effoetis a Deo beneficium. 3. Quomodo, et cur permaneat in baptizatis, in quibus nihil est damnationis. 4. Quomodo reos propaget, cum desierit esse rea per Baptismum. 5. Quomodo in hominibus vitium dici queat, cum sit communis cum pecoribus. 5. Quomodo Sancti cum generant, malo hoc bene utantur. 7. Quomodo ex esu ligni vetiti orta sit: et si inde orta sit, quomodo bona non sit, cum lignum Deus creaverit. 8. An inde pudor jusserit velare partes, quibus insidet 9. Cur partes illae, non perinde ac aliae, commoveantur ad rationis nutum. 10. An sui pariter juris in Paradiso exstitissent. 11. An concupiscentia eo mala demonstretur, quod contra ipsam pii quoque pugnant. 12. Quae sit illa peccati lex, quae habitat in membris etiam Sanctorum, repugnatque legi mentis. 13. Quomodo nuptiarum bonum a vitio discerni debeat, foecunditas a libidine, concupiscentiae reatus ab actu. 14. Utrum Christus maculae communis purus fuerit, quia natus ex Virgine, non communi partu. 15. Utrum quisquis commixtione viri, et foeminae gignitur, reus nascatur.* Haec omnia lato calamo enarrat laudatus Garnerius loco citato Cap. IV. Quaestiones praecipuas, quae veluti aliarum capita sunt, diligentiore studio explanabimus omnes.

CAPUT III.

Catholicae fidei de peccato originali adversantur Gnosticorum, et Manichaeorum deliria. Manichaeismus perperam Catholicis imputatus. Origeniana animarum praeexistentia hanc fidem labefactat. Lubrica eorum opinio, qui mortem corporis dixere beneficium Dei. Genuinus Patrum sensus.

I. Brevi compendio collectam habes universam *de peccato originali* disputationem. Errantes modo, erroresque praecipuos, ordine temporum servato, diligentiore opera recenseo. Eorum commentum prodit primum, qui mala, et miserias hominum, ac etiam peccatum in naturam ipsam refundunt, orthodoxae de peccato originis doctrinae dubio nullo adversum. Ita sensere Philosophi Gentium plures: „qui *nihil didicerant* (ut ait Augustinus Libro IV. contra Julian. Cap. XV. num. 77.) *de primo homine Adam*, et ejus conjuge, *de prima eorum praevaricatione, de serpentis astutia, de nuditate corporis ante peccatum sine confusione*, et cum confusione continuo post peccatum. Nihil tale audierant, quale illud est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Nihilque harum literarum, atque hujus veritatis sapere potuerant.“

Rejecta Scripturarum fide, Philosophorum commenta amplexati sunt *Gnostici.* Valentinianos, potissimam Sectae partem, refert Irenaeus Libro I. Capite VII., qui homines alios fecerunt *natura bonos*, in quibus divina scintilla aut spiritus esset, quosve πνευματικοὺς, id est *Spiritales* appellabant: alios *natura malos*, dictos ὑλικοὺς, *materiales*, et χοϊκοὺς, *terrenos*, qui corpore materialique anima sine spiritu constarent: aliosque ψυχικοὺς, *animales*, qui propria electione boni fierent, vel mali. Animas ergo discernebant a spiritu: aliasque *natura bonas*, et alias *natura malas:* bonas illas, quae *spiritus* capaces forent; malas vero ita comparatas, ut *spiritum* nunquam omnino reciperent.

Impio commento incrementa seculo tertio addiderunt *Manichaei.* Eorum fabula erat, Augustino teste de Haeresibus num. 46. et Lib. I. Retractat. Capite XV. *Duo esse principia inter se diversa, et adversa: eademque aeterna, et coaeterna. Duas etiam animas, bonam alteram, et alteram malam, in uno homine. Istam propriam carnis, et carnem dici: illamque segmentum quoddam esse divinae substantiae. Ac omnia demum bona hominis bonae animae, omnia mala hominis malae animae tribui.* Haec adserentes funditus evellunt (quis non videat?) *originalis peccati fidem, quam tenent Christiani.*

II. Hinc mirari subit, impingi Catholicis potuisse *Manichaeismi notam* a Pelagianis. Calumniam passim amolitur Augustinus, longissimam distantiam saepius declarans. Mediam *Manichaeos* inter, ac *Pelagianos* incedentem exponit catholicam sententiam Libro II. contra duas Epistolas Pelagianor. Cap. III. Verba sunt: „*Manichaei* dicunt, Deum bonum non omnium naturarum esse creatorem: *Pelagiani* dicunt, Deum non esse omnium aetatum in hominibus mundatorem, salvatorem, liberatorem. *Catholica* utrosque redarguit, et contra Manichaeos defendens Dei creaturam, ne ab illo instituta negetur ulla creatura; et contra Pelagianos, ut in omnibus aetatibus perdita

requiratur humana natura. *Manichaei* carnis concupiscentiam, non tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab aeternitate malam vituperant: *Pelagiani* eam, tamquam nullum vitium, sed naturale sit bonum, insuper laudant. *Catholica* utrosque redarguit, Manichaeis dicens, non natura, sed vitium est; Pelagianis dicens, non a Patre, sed ex mundo est: ut eam velut malam valetudinem sanari utrique permittant, desinendo illi tamquam insanabilem credere, isti tamquam laudabilem praedicare. *Manichaei* negant, homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali: *Pelagiani* dicunt, etiam hominem malum sufficienter habere liberum arbitrium ad faciendum praeceptum bonum. *Catholica* utrosque redarguit, et illis dicens, *Fecit Deus hominem rectum;* et istis dicens, *Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Manichaei* dicunt, animam particulam Dei, naturae malae commixtione, habere peccatum: *Pelagiani* dicunt, animam justam, non quidem particulam, sed creaturam Dei, etiam in ista corporali vita non habere peccatum. *Catholica* utrosque redarguit, Manichaeis dicens, *Aut facite arborem bonam et fructum ejus bonum* (Matth. Cap. XII. v. 33.), *aut facite arborem malam, et fructum ejus malum:* quod non diceretur homini, qui naturam facere non potest, nisi quia peccatum non natura, sed vitium est. Pelagianis dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsi seducimus, et veritas in nobis non est* (Epist. I. Joan. Cap. I. v. 8.)."

Neque tot Manichaeismi notas, quae latissima patefaciunt discrimina a Catholicorum fide, elevari posse communi quadam apud utramque partem locutione, qua *peccatum* aliquando *naturale* enunciatur, ac *mala* dicitur *concupiscentia*, ostendit Augustinus Libro V. Operis imperfecti contra Julianum num. 30. „*Naturale peccatum* (inquit) nobiscum dicit etiam *Manichaeus;* sed non ideo sumus Manichaei: quod enim dicit ille, non ita dicimus sicut ille. Nos enim *naturam nostram bonam* voluntario peccato illius, *ex quo nati sumus*, dicimus esse *vitiatam:* unde omnes sub peccato nascimur, et ipse noster *ortus in vitio est* .... Ille autem *naturam malam* nobis portat alienam, cujus nos affirmat *commixtione* peccare. Denique nos sanandae naturae nostrae etiam parvulos offerimus Salvatori; ille autem Christum non ideo existimat necessarium, ut naturam nostram sanet in nobis, sed ut alienam sejungat a nobis. Similiter et in eo, quod simul dicimus, *malam esse concupiscentiam carnis*, quia caro concupiscit adversus spiritum; cum quaeritur, *unde hoc sit malum*, discretissimi reperimur. Nos enim cum *Ambrosio* dicimus hanc foedam discordiam carnis, et spiritus per praevaricationem primi hominis in nostram vertisse naturam; ille autem cum suis dicit, ut invicem adversentur caro et spiritus, alienam nobis, quae semper mala fuit, adhaesisse naturam. Unde nos poscimus Salvatorem, ut hoc vitium nostrum sanetur; ille vero, ut a nobis *aliena natura, quae sanari omnino non potest, auferatur.*" Haec ille disserit elegantissime, quae tum Manichaeismi notam perperam et injuria Catholicis afflictam, tum veram Manichaeismo convelli fidem peccati originalis luculentissime demonstrant.

III. Sequitur error alius Catholicae fidei adversus. Coeci Philosophi Gentium *ex evidentia miseriarum*, quibus humanum genus op-

primitur, *compulsi fuerunt dicere* (verba sunt Augustini Libro IV. contra Julianum Capite XV. num. 78. et Capite XVI. num. 83.) *ob aliqua delicta suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa nos esse natos: et animos nostros corruptibilibus corporibus, eo supplicio, quo Hetrusci praedones captos affligere consueverant, tamquam vivos cum mortuis, esse conjunctos.*

Coenoso ex hoc fonte fabulosam hausit Origenes *animorum προϋπαρξιν, praeexistentiam*, eorumque *detrustionem in corpora* ad luendas poenas delictorum, quae superiore in vita commiserint. Comminiscebatur, animas antea exstitisse, quam laberentur in corpora: omnes invicem, atque cum Angelis, natura et arbitrii libertate pares, mentesque dictas. Pro vario merito dispares factas: aliasque Angelorum conditionem adeptas, et alias propter deteriorem arbitrii liberi usum in crassiora corpora deturbatas, syderum puta, daemonum, hominum. At easdem, quocumque sint in loco, proficere posse in virtute, vel contra in vitia relabi: proque regressus, vel progressus ratione, ad superiorem evehi statum, vel deprimi ad inferiorem. Hinc *Animarum, Angelorum, Daemonum* nomina non significare naturam, sed merita, et conditiones ex meritis proficiscentes, quas *Mentes* consequerentur. E mentibus demum, quae *angelicam* conditionem adsecutae forent, aliquas, amorem Christi erga genus humanum imitantes, vel alias ob causas, a Deo missas, carnem adsumpsisse, et Prophetarum sanctorumque virorum personam gessisse in terris.

Hoc in errore adstruendo totus est Origines Libro II. περὶ Ἀρχῶν Cap. I., VIII. et IX., quo *fidem peccati originalis* everti, quis non videat? Qui enim dixerit animas in alia vita anteriore pecasse, tametsi tolli peccata in Baptismo adserat, ac nasci pueros peccato infectos, haud umquam peccatum originis confitebitur, quod ex homine primo propagatum tenet Ecclesia Catholica. Admonere praestat, vel suis minus haerentem principiis Origenem, vel cum iis documenta Scripturarum pro modulo conciliantem, originale peccatum disserte tradidisse: quod infra demonstrandum.

IV. Num in lubrico versarentur Scriptores illi, qui *mortem corporis* docuerunt pro *magno quodam beneficio*, miseris hominibus a Deo inlatam esse, diligentius inquirendum est. Id vero qui sic intelligat, ut velit ex peccato mortem profectam, non tamquam *ex causa poenae*, sed veluti *ex occasione sumpta*, conferendi miseris hominibus beneficii, *originalis culpae doctrinam* dubio procul invadit. At innoxiam ante Pelagianae haereseos ortum ruisse quaestionem, licet in lubrico positam, censet Garnerius Dissert. VII. Cap. III. Addit, in eam libentius ivisse Patres opinionem, partim ut recederent longius ab errore Gentilium, qui mortem velut summum malum, totumque hominis interitum horrebant; partim ob aliquod praejudicium, affine Origenis errori circa mortem, ac si foret solutio animi a corpore, sic tamquam a carcere.

Quatuor appellat Ecclesiae Patres ita sentientes, ut putat ille. Primus est *Gregorius Nazianzenus* Orat. XLII., quae est altera in Pascha: *Postquam*, inquiens, *Diaboli invidia, et mulieris insultu .... accepti mandati oblitus* primus homo, *ab acerbo illo gustu victus est; simul et a ligno vitae, et a Paradiso, et ab ipso Deo propter peccatum*

expellitur, et pelliceas tunicas induit: hoc est, fortasse crassiorem carnem, et mortalem, et refractariam.... Atque hic tamen mortem, et peccati praecisionem elucratur, ne malum immortale sit. Ita poena ipsa in misericordiam cessit. Haud sunt absimilia, quae docet *Ambrosius* Libro de Bono mortis Cap. IV. num. 15. *Si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est praevaricationis, et fraudis, sententia eum comprehenderit, ut in terram suam remearet; inveniemus, mortem esse finem peccati, ne quo esset vita diuturnior, eo foret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, ut culpa cessaret.*

Epiphanius Haer. LXIV. adversus Origenem num. 22. ait: *Propterea pelliceas illas tunicas fecit Deus, quo illum* (Adamum) *velut morte quadam indueret, ut ea corporis dissolutione quidquid in eo mali productum fuerat, intermoreretur.* Denique *Joannes Chrysostomus* Homilia XXVI. in Genesim sic habet: *Mortis supplicium Adamo Deus propter hoc intulit, ut ne posthac per inobedientiam peccato obnoxius effectus, perpetuo peccaret. Non videntur tibi haec esse maximae misericordiae, et ejici a Paradiso, et poena hac puniri?*

V. Multum, et impensius equidem video, ab his commendari Patribus, quod *ex morte*, disponente Deo, *commodum* provenit: simul attamen morti obnoxios nos esse *causa luendae poenae*, testes eosdem dissertissimos habeo; ut oppido eorum documenta nedum innoxia pro temporum circumstantia, sed neque per sese lubrica haberi debeant. Sensum indicant, quem verissime exponit *Petavius* Libro II. de opificio sex dierum Cap. X. num. 10. poenam ipsam mortis, in quam cum posteris incurrit Adamus, magnum in illorum commodum pro sua bonitate vertisse Deum: atque idcirco, cum labem illam humani generis resarcire, et quae primorum parentum vitio erant amissa, recuperare vellet, mortis gratiam facere, aut mortis immunitatem tribuere noluisse. *Nazianzeni* mentem hanc satis produnt ejus verba paulo attentius perpensa. *Nicetas Serranius*, qui floruit circa annum 1080, favet in Commentario: *At quoniam,* inquiens, *prolapsus est homo, si moriendi necessitati obnoxius non fuisset, maximum damnum accepturus erat: nimirum peccatum operans, hic quoque beneficio afficitur. Quodnam autem est hoc beneficium? Mors. Quid ita? Quia peccatum sistit, atque intercidit. Quamquam enim mors poenae rationem habet, utpote vitam extinguens; tamen in misericordiam recidit, immortalem esse peccatorem non sinens.*

Non aliam insedisse mentem *Ambrosio*, locus ipse enarrat. *Epiphanii* sententiam verba declarant, quae praecedunt: *Mors ipsa* (inquientis) *castigandis hominibus est reperta: perinde ac parvulis, qui litterarum rudimenta condiscunt, corrigendis adhiberi verbera consueverunt.* Haud opus habet interprete *Chrysostomus*. Favent omnia, quae prolixa disserit oratione. Dixerat: etsi *puniat, etsi in nos animadvertat Deus, ex sua bonitate facere.* Diluvii exemplum inducit: *Vides* (inquiens) *quomodo et poenae, et supplicia sunt beneficia, et Dei erga hominem providentiam declarant.* Ad ipsum mundi exordium ascendit, ut denique constet: *omnes poenas hac occasione homini intentatas* beneficia esse: *quia et Adam peccantem non puniens tantum, sed et beneficio prosequens, Paradiso ejecit.* Luculentissima sunt omnia.

CAPUT IV.

Haereseos originale peccatum inficiantis praeformator Theodorus Mopsuestenus Episcopus. Quis ille Aram, cujus ipse doctrinam vellicat? Rufinum addunt Caelestius Pelagii discipulus, et Marius Mercator.

I. Errorem, quo de agimus, praeformavit *Theodorus, Mopsuestenus Episcopus.* Ab isto, itemque a *Rufino quodam* malum dogma accepisse Pelagium, ac Caelestium, narrat *Marius Mercator* in Commonitorio I. „Quaestio contra catholicam fidem apud nonnullos Syrorum, et praecipue in Cilicia a *Theodoro quodam Episcopo* oppidi Mopsuestani jamdudum mota, nunc usque penes paucos eorum admodum roditur, nec ea palam profertur; sed ab ipsis, qui de ea cornicantur, velut catholicis intra Ecclesias interim retinetur. Progenitores videlicet humani generis, Adam, et Evam, mortales a Deo creatos, nec quemquam posterorum sui praevaricatione transgressi laesisse; sed sibi tantum nocuisse, seque mandati reos apud Deum fecisse, alterum penitus nullum."

Theodorus, patria Antiochenus, una cum Joanne Chrysostomo Libanii Sophistae, et Andagrathii Philosophi auditor, Monasticam vitam Condiscipuli exemplo adductus primum coluit, mox deseruit disciplinae rigidioris pertaesus, iterumque epistolis ejus correctus adsumpsit. Rem narrant *Socrates* Libro VI Hist. Eccl. Cap. III. et *Sozomenus* Libro VIII. Cap. II. Mopsuestiae, quae in Cilicia secunda urbs erat, Sacris praepositus est circa annum aerae vulgaris 394. ingenio, facundia, eruditione, ac plurium editione voluminum clarus. Duas illas quaestiones, *unde mortalitas primi hominis, et an peccatum ejus traduceretur in posteros*, liberiore mente pertractans, haeresum magister evasit. Docebat namque: *progenitores humani generis mortales a Deo creatos*, ac sive peccarent, sive non, morituros: *nec illos quemquam sui praevaricatione transgressi laesisse, sed sibi tantum nocuise.*

Haec ab illo tradita dogmata, adnotat *Garnerius* in Appendice ad Dissert. VI. Cap. I. vel scriptis quae interierint, vel familiari sermone: donec tandem discipulos, ac socios erroris edito volumine vindicare adgressus est. *Pelagianos* refutaverat *Hieronymus* in Epistola ad Ctesiphontem, quam datam Baronius putat anno 411, Norisius 412, Garnerius 413, vel etiam insequentis initio: eodemque de argumento anno 415 tres elucubraverat Dialogos: quo etiam tempore pro fide catholica strenue pugnabat *Augustinus.* Pro Pelagianis in arenam descendit *Theodorus*, Opere elucubrato *contra asserentes peccare hominem natura, non voluntate*, in quinque libros tributo. Excerpta servavit *Photius* Codice CLXXVII., qui mentem Auctoris minime adsecutus est, neque illos novisse videtur, quos veluti Haereticos insectatur Theodorus. *Sectae summa capita* ita recensentur. „Homines natura, non voluntate peccare: natura, inquam, non ea qua praeditus ab initio, conditusque est Adam (illam enim bonam, et boni Dei opus esse asserunt); sed ea quam post peccatum adeptus sit, quando per praevaricationem et peccatum malam pro bona, mortalemque pro immortali commutavit. Hac quippe ratione, natura quoque improbos effectos, qui antea natura boni fuissent: in natura

jam, et non in voluntate peccatum sibi acquisivisse. Alterum deinceps caput ex illo deductum: infantes, tametsi recens natos, peccati immunes non esse, cum ob Adae praevaricationem natura in peccatis constituta, ad omnes ejus posteros peccatrix (ut ipsi loquuntur) natura propagatur.“ Ita catholicam fidem durioribus verbis *Theodorus* exponebat.

II. Excerptum suum sic incipit Photius: „*Ea disputatio* quinque libris absolvitur, quos *adversus Occidentales* hac labe (labem vocat ipsam fidem catholicam deceptus Photius) infectos scripsit. Inde enim oriundum haeresis hujus auctorem, in *Orientis modo regionibus* versari, librosque de recens abs se excogitata haeresi compositos ad populares suos in Patriam transmittere, narrat (Theodorus): ut jam ibi multos per hanc artem in suam pertraxerit sententiam, integrasque adeo Ecclesias absurdis illis imbuerit opinionibus. *Aram* vero illorum librorum auctorem sive *nomine*, sive *cognomine*, incertum appellat.“

Quis vero sub hujus vocabuli, τοῦ *Aram*, involucro lateat, nodus est (inquit *Guillelmus Cave* in Historia Litter. ad Annum 407) haud ita facile solvendus. Ab infausta τοῦ ἀρὰ significatione dictum (ἀρὰ quippe est *imprecatio*, *maledictio*) frigida plane conjectura existimat *Andreas Schottus*, Photii interpres. In eamdem opinionem abiit *Norisius* Libro I. Cap. IX. inquiens: *Aram illum* (Hieronymum) *ignominiae causa agnominavit, quod ἀρὰ graece maledictionem sonat.* Par est sententia *Stephani de Altimura*, seu Michaelis Lequieni in Panoplia contra schisma Graecorum, Centuria sive seculo XIII. Cap. IV. num. 44. *Theodorus Mopsuestenus*, inquiens, „... *Augustinum* .... *maledicto gravissimo* (*Haram*) *incessere non dubitavit.*“ Exscriptoris nimium festinantis (Cavei verba sunt) errorem esse, ἀρὰμ pro ἱερὸν, nominis scilicet Hieronymiani abbreviaturam, reponentis, satis ingeniose conjicit *D. Alixius* .... Longe verisimilius est, homunculum quemdam in aliquo Syriae angulo latitantem hoc vocabulo denotari: *Aram* enim proprie *Syriam* significat: quod Hieronymo non inepte congruit, qui longe majorem vitae partem in Syria transegit, iisque in locis omnia pene adversus Pelagianos scripta elucubravit.“

Hieronymum sane allata verba depingunt. Narrat Theodorus: *apud Occidentales oriundum haeresis hujus auctorem* (imo catholicae propugnatorem fidei) *in Oriente modo versari, librosque ad populares suos in patriam transmittere.* In Dalmatia, vel Istria natales habuit Hieronymus: ex Occidente sedem transtulerat in Orientem, ibique epistolam ad Ctesiphontem Romae commorantem dedit, elucubravitque *Dialogorum libros* contra Pelagianos. Pergit Theodorus de *Aram illo* haec referre: „Hunc etiam *quintum Evangelium* confinxisse, illudque se in Eusebii Palaestini Bibliotheca reperisse ait. Rejecta praeterea divini ac veteris Testamenti versione, quam septuaginta interpretes simul convenientes ediderunt .... *propriam quamdam suam, novamque* conficere ausum: ut neque Hebraicae linguae, ut illi a puero assuevisset, neque mentem sacrae Scripturae didicisset: *Hebraeis tantummodo quibusdam* abjectae sortis in disciplinam se tradidisse, atque hinc propriam sibi editionem conscribere aggressum.“ Dicteria

sunt, quae in unum Hieronymum ab homine impudente jaci poterant. Testatur ipse Libro III. Dialogorum num. 2. se reperisse *Evangelium*, quo utuntur *Nazareni*, in Eusebii Bibliotheca: *In Evangelio*, inquiens, *juxta Hebraeos, quod Chaldaico quidem Syroque sermone, sed Hebraicis litteris scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni, secundum Apostolos, sive ut plerique autumant juxta Matthaeum, quod et in Caesareensi habetur Bibliotheca* &c. Novam ex Hebraeo Latinam ab ipso confectam veteris Testamenti versionem, nescit nemo. Fatetur tandem in Epistola ad Rusticum num. 12., *dum esset juvenis .... cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, se in disciplinam dedisse.* Scriptam Epistolam referunt ad annum 411. Et in Epistola ad Pammachium et Oceanum data anno circiter 400 num. 3. *Baraninam*, ait, *nocturnum habuisse praeceptorem, timebat enim Judaeos*: aliisque demum in locis homines istos appellat, quos in Hebraicae linguae studio magistros habuerat. Num clarius indicari Hieronymus potuit a conviciatore Theodoro?

Verum etiam egisse Mopsuestenum Episcopum contra Augustini libros *De peccatorum meritis, et remissione*, quos anno 412 ediderat, et contra Epistolam *ad Hilarium* CLVII. alias LXXXIX. anno 414 datam, pro certo habet Norisius Libro I. Histor. Pelag. Cap. IX. propterea quod pauca *Hieronymus* in fine Dialogorum pro adserendo peccato originis verba habet: quaeve de originis reatu Augustinus disserit, certissime vellicat *Theodorus.* Hujus fragmenta quaedam ex codice Vaticano Vir doctissimus ibidem vulgavit, cum Marii Mercatoris Commonitionibus, quorum primum haec habet. *Cujus autem perfidiae sit* (inquit Mercator), *praefatus Theodorus, ex scriptis ejus quae de Graecis transtulimus, approbemus.* Theodori Mopsuesteni Episcopi de secundo codice lib. 4. fol. decimo, contra S. Augustinum, defendentem originale peccatum, et Adam per transgressionem mortalem factum catholice disserentem.“

III. Haereseos praeformatorem alium, *Rufinum quemdam* memorat laudatus Mercator in Commonitorio superius citato: *Hanc ineptam*, inquiens, *et non minus inimicam rectae fidei quaestionem, sub sanctae recordationis Anastasio, Romanae Ecclesiae summo Pontifice, Rufinus quondam natione Syrus Romam primus invexit. Et ut erat argutus, se quidem ab ejus invidia muniens, per se proferre non ausus, Pelagium gente Britannum Monachum tunc decepit: eumque ad praedictam apprime imbuit, atque instituit impiam vanitatem.* Testis etiam accedit Caelestius, Pelagii discipulus, in Concilio Carthaginensi, quod anno 412 habitum est. Acta refert S. Augustinus Libro II. contra Pelagium, et Caelestium, qui *de peccato originali* inscribitur, Cap. III. „Aurelius Episcopus dixit: *Sequentia recitentur.* Et recitatum est: *quod Adae peccatum ipsi soli obfuerit, et non generi humano.* Et cum recitatum esset, Caelestius dixit: *Dixi de traduce peccati dubium non esse, ita tamen ut cui donaverit Deus gratiam peritiae, consentiam: quia diversa ab eis audivi, qui utique in Ecclesia catholica constituti sunt Presbyteri.* Paulinus Diaconus dixit: *Dic nobis nomina ipsorum.* Caelestius dixit: *Sanctus Presbyter Rufinus Romae, qui mansit cum Sancto Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit.*“

CAPUT VI.

Praedictus Rufinus non est Aquilejensis: neque Syrus abs Hieronymo in Occidentem missus: nec alius quispiam. Libellus de Fide nomine Rufini ad examen vocatur. Calumnia videtur esse Caelestii Rufino Aquilejensi, sive alteri impacta. Mercatoris error.

I. Quis iste *Rufinus* fuerit, et quo haeresim tempore disseminaverit in Occidente, inter viros doctos agitatur quaestio. *Aquilejensem Rufinum* esse, Melaniae peregrinantis comitatu, habitis etiam cum Sancto Hieronymo inimicitiis, ac pluribus editis Operibus notissimum, Eruditorum natio tenet. Alium quemdam Rufinum, *natione Syrum*, putant Garnerius Dissert. I. Cap. III. et Monachi Sancti Mauri in Praefat. Tomi X. et in Notis ad Librum de peccato originali Cap. III. Haec sunt praecipua *Garnerii* argumenta: 1. Rufinum Magistrum Pelagii vocat *Syrum natione* Marius Mercator: Rufinum vero, Hieronymi aemulum, in Oppido Aquilejensis agri natum, norunt omnes. 2. Rufinum Aquilejensem scribit Hieronymus in epistola ad Principiam, *navem plenam blasphemiarum*, seu Origenianae doctrinae, *Romano intulisse portui*, sedente *Siricio*, a quo etiam *ecclesiasticas epistolas, ut communicans Ecclesiae Roma discessisse videretur*, impetravit: at Mercatore teste, Rufinus Syrus quaestionem de peccato originali, *sub sanctae recordationis Anastasio*, qui Siricio successit, *Romam primus invexit*. 3. Rufinus, quem erroris auctorem appellat Caelestius, *Romae manebat cum Sancto Pammachio:* quis vero credat, Rufinum Aquilejensem familiari hospitio exceptum fuisse a Pammachio, qui Hieronymo amicus erat, ipsumque excitavit in accusationem Rufini, et istum insequi destitit numquam? 4. Rufinus, Caelestii magister, degebat *Romae*, cum doceret *quia tradux peccati non est:* sed Aquilejensis Roma discesserat adhuc Siricio sedente, neque tempore Anastasii, qui ad annum usque 401 rexit Pontificatum, in urbem remigravit.

Satis his facere nituntur *Natalis Alexander* Seculo IV. Cap. VI. Art. XXXIII. et *Antonius Pagius* ad annum 410 num. 30. et 31. Rufinum Aquilejensem vocari *Syrum* potuisse a Mercatore, cum annos viginti septem in Syria commoratus fuerit. Ideo haereseos ab ipso invectae illigari initium cum *Anastasii Pontificatu*, non quia non antea eam protulerit, sed quia ab illo jam acceptam latius vulgarunt alii: idque pluribus haeresibus commune, ut illis varia adsignentur initia. *Aquilejensem Rufinum*, qui Romam anno 397 ex Oriente remigravit, excipi eodem anno et insequente potuisse a Pammachio, cum non ante annum 399 soluta inter Hieronymum et Rufinum amicitia fuerit, ansam dissidii dante librorum περὶ ἀρχῶν latina versione. Denique minime dictum a Caelestio, Rufinum *Romae* fuisse, cum ab ipso audivit, *quia tradux peccati non est;* verum id se ab eodem alicubi audivisse, qui *Romae mansit apud* Sanctum Pammachium.

Reponi plura possunt, ut integra *Rufini Aquilejensis* fides vindicetur. Theodoro, Antiocheno patria, et Mopsuestiae in Cilicia secunda Episcopo, appellare Hieronymum licuerit *Aram*, sive *Syrum*, utpote degentem in Syria, sive in Palaestina, ac ibidem editis Dialogorum libris, et Epistola ad Ctesiphontem, insequentem Pelagianos: at non ita facile creditu, Rufinum ex Provincia Aquilejensi in Italia

vocari *Syrum* potuisse a Mario Mercatore, homine Italo, aut Africano, qui ab anno 418 circiter floruit ad annum 450, cum scilicet Rufini jam denati gesta, vices, patria, peregrinationes in Orientem, reditus in Italiam, obitus in Sicilia quam maxime innotescerent.

Ut primum anno 397 ex Oriente remigravit ipse in Italiam, Monasterium *Pineti* incoluit, quod Ravennatense puto: Romam cum profectus est, Macarii Monachi amicitiam habuit, eique morem gerens latinam edidit librorum περὶ ἀρχῶν versionem: statimque ac prius duos libros vulgavit, invidiam subiit nonnullorum, ipso teste Rufino in Praefatione ad Librum tertium: quos inter sine dubio fuit *Pammachius,* qui junctus Oceano schedas aliquas novae versionis ad Hieronymum misit in Palaestinam: atque hinc demum infanda inter utrumque, Hieronymum et Rufinum, jurgia orta sunt. Quomodo ergo *Rufinus*, qui *Romae mansit cum Sancto Pammachio*, fuerit Aquilejensis? Quomodo ipsum, si apud se manens negasset *peccati traducem*, de tam impia blasphemia non incusaverit apud Hieronymum?

Rufinum illum diserte narrat Mercator, *haeresim primum invexisse sub sanctae recordationis Anastasio, Romanae Ecclesiae Summo Pontifice:* quo tamen sedente, ac sequiore tempore, Aquilejae commorabatur Rufinus cum Chromatio Episcopo, totus in Eusebianae Historiae ac Origenis libris latine vertendis, aliisque proprio marte elucubrandis operibus. Quis vero sibi suadeat, Rufinum sub Anastasio Pontifice, teste Mercatore, *primum* haeresim *invexisse*, perinde accipi debere ac eam aliorum opera invaluisse? At enim Romae, agente Rufino, qui absens erat, invalescere minime poterat: invaluitque demum, opera Pelagii et Caelestii, sub Innocentio primo.

Traducem peccati non esse, indicant nuspiam quotquot opera aut proprio marte confecit Rufinus, aut latine transtulit. Fidem ejus in suspicionem traduxit latina Origenis librorum *de Principiis* translatio: at Origenes ipse, cujus commentitia animarum praeexistentia catholicae adversatur de peccato originis doctrinae, aut minus constitutis principiis inhaerens, aut fidem catholicam cum eisdem utcumque conciliare studens, *originale peccatum* docuit saepius, ut jam animadversum est, ac sermone latiore inferius firmabitur. An ergo peccatum grandius peccaverit interpres *Rufinus Aquilejensis?*

Alia sunt capita duo haereseos Pelagianae: quorum alterum auxilia divinae gratiae spectat, alterum perfectionem justitiae *cum impeccantia.* Ad primum quod attinet, Semipelagianis potius Origenem praelusisse, operis inchoationem viribus naturae tribuentem, doctissimorum scriptorum sententia est: quodve spectat ad alterum, admissam ab illo procul dubio constat perfectionem justitiae, divina tamen promovente gratia. Fuerunt haec Pelagianae haereseos praeludia: quae proprio sensu docuit numquam *Rufinus*, potuitque dumtaxat in Operibus Origenis latine translatis exprimere. At sua in Apologia ad Anastasium: *Origenis ego*, inquit, *neque defensor, neque assertor sum.* Profitetur etiam, *graecis sensibus verba se dedisse latina tantummodo:* unde *sive in illis sensibus*, inquit, *laus inest aliqua, non est mea: sive culpa, similiter non est mea.* Hinc vero apud Anastasium censuram subiit nullam, ut quamplures viri docti observarunt: id unum ad *Joannem Jerosolymitanum* rescribente Pontifice, ut in ea latina Ori-

genis versione, quam elucubravit Rufinus, *conscientiae suae divinam habeat arbitram Majestatem, apud quam se integro devotionis officio ipse viderit qualiter debeat approbare.* Rufinum scilicet noverat Pontifex latinum interpretem librorum Origenis, qui scatebant erroribus: de animo, deque consilio, quo hanc ille interpretationem scripserit, judicium ferre noluit. Mens potuit esse innoxia, tametsi non ita prudens fuerit operis executio.

Num vero *Pammachius*, ut inquiebam, num *Pontifex Anastasius* dissimulasset haeresim originali peccato adversam, hanc si primus Rufinus Romae, et in aedibus Pammachii invexisset? Quid? quod in Operibus Hieronymi contra Rufinum scriptis, ad originis peccatum quod attinet, nulli sunt uspiam in ipsum aculei; tametsi *haeresim impassibilitatis, et impeccantiae in discipulo Origenis Grunnio* (idest Rufino) *jugulatum fuisse*, scribat ille in Praefatione in Librum IV. Commentariorum in Jeremiam. Ajebat etiam in Epitaphio Marcellae num. 9. Rufino appellente Romam, *navem plenam blasphemiarum Romano inlatam portui.* Sed haec animo plus nimio commoto dicta videntur. Neque solum enim latinas *Origenis*, et *Sixti* interpretationes abs Rufino factas insequebatur; verum etiam si qui interpretationibus inessent errores ab Origene, et Sixto traditi, eos interpreti Rufino tribuebat. Hinc demum ratio patet, qua permoveri *Gelasius Pontifex* potuit, ut in Decreto de Libris apocryphis adsereret: *Beatum Hieronymum in aliquibus eum* (Rufinum) *de libertate arbitrii notavisse.* Notatas intellige latinas abs Rufino confectas *Origenis*, et *Sixti* versiones, in quibus tradi errores videbantur *impassibilitatis*, et *impeccantiae*, aliique divinae gratiae necessitatem minuentes.

II. Alius est *Rufinus*, de quo haec habentur verba apud Hieronymum in Epistola LXVI. edit. Rom. ad Rufinum Aquilejensem data anno 399 num. 2. *Frater meus Paulinianus necdum de Patria reversus est: et puto, quod eum Aquilejae apud Sanctum Papam Chromatium videris.* (Hoc tempore Rufinus, Roma relicta, Aquilejae morabatur.) *Sanctum quoque Presbyterum Rufinum ob quamdam causam per Romam Mediolanum misimus, et oravimus ut nostro animo, et obsequio vos videret.* Jam patet, Romam sedente *Anastasio* hunc adventasse Rufinum: ipsumque vel *Syrum* fuisse, vel ita dictum utpote e *Syria* venientem: atque demum *manere* potuisse apud *Sanctum Pammachium*, qui Hieronymo amicitia junctus erat. Num ergo Rufinum istum indicent Marii Mercatoris verba? Ait enim: *Inimicam rectae fidei quaestionem sub sanctae recordationis Anastasio, Romanae Ecclesiae Summo Pontifice, Rufinus quondam natione Syrus, Romam primus invexit.* Ait etiam Caelestius: *Sanctus Presbyter Rufinus Romae, qui mansit cum Sancto Pammachio: ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non sit.* Rufini nomen, ac patria, et domicilii locus, hospitiumque apud Pammachium, ac invectae haereseos tempus conveniunt.

Addit etiam Mercator: Rufinum Syrum, *ut erat argutus, se quidem ab* haereseos *invidia munientem, per se eam proferre non ausum: Pelagiumque genere Britannum Monachum tunc decepisse, eumque ad praedictam apprime imbuisse, atque instituisse impiam vanitatem.* Atqui anno 399 aut insequente, quo Rufinus abs Hieronymo missus aderat Romae, in ea urbe principe commoratum esse Pelagium, confici

posse ejusdem Mercatoris, et Augustini testimonio videtur. Ait ille in Commonitorio II., quod exstat in Appendice Tomi X. operum S. Augustini, datumque notatur *in consulatu Florentii, et Dionysii,* idest anno aerae vulgaris 429, *Caelestium ante viginti plus minus annos discipulum, et auditorem Pelagii, egressum esse ex urbe Romana.* Viginti si praedicti anni demantur ab anno 429 superest annus 408 aut insequens, quo Roma discessit *Caelestius*, ac etiam magister ejus *Pelalius.* Sed hunc *in urbe Roma diutissime vixisse,* testis est Augustinus in Libro de peccato originali Cap. XXI., unde eadem in urbe adesse anno 399 vel insequente potuit, quo *Rufinus* ex Oriente abs Hieronymo missus *apud Pammachium* manebat hospitio exceptus.

Haud ineptas conjecturas nemo non videt. His attamen haud satis virium inesse quisque intelligat, qui paullo attentius animadverterit, *Rufinum illum* fuisse Hieronymo amicitia junctum, missumque ab eodem in Italiam ad negotia cum Romano Pontifice, et Episcopo Mediolanensi peragenda, ac ea sine dubio exploranda quae data novae librorum Origenis versionis occasione vulgabantur. Num ergo *Origeniana commenta*, quae haereseos Pelagianae praeludia forent, *Rufinus iste* foverit? Num ipsum *Pelagianae impietatis* praecipuum caput, quod *peccati traducem* spectat, in urbe Roma disseminaverit? Id vero simulaverit *Pammachius*, apud quem manebat? Legato suo, qui tam putidum commentum tradiderit, parcere voluerit Hieronymus? Siluerit etiam et *Anastasius Papa*, cum error primum invectus est, et *Innocentius I.* cum idem error postea invaluerat? At *Hieronymus* demum, praeformatores haereseos Pelagianae recensens, Rufini Syri meminit numquam: *Haeresis*, inquiens in Praefat. Libri IV. in Jeremiam, *Pythagorae et Zenonis, impassibilitatis et impeccantiae, quae olim in Origene, et dudum in discipulis ejus, Grunnio* (Rufino Aquilejensi Origenis interprete), *Evagrioque Pontico, et Joviniano jugulata est, coepit reviviscere.* Par est *Pauli Orosii* sententia in Apologetico contra Pelagium de arbitrii libertate, sub initium: *Origenes*, inquientis, *et Priscillianus, et Jovinianus olim apud se mortui, in his* (Pelagio et Caelestio) *vivunt: et non solum vivunt, verum etiam loquuntur.*

III. Tertius innotescit Rufinus ex illa, quam Hieronymus epistolam scripsit *de judicio Salomonis* anno circiter 398. In Codicibus Mss. bene multis, admonente Vallarsio Veronensi Operum ejusdem editore, *Rufinus* appellatur *Presbyter Romanus.* Ipsum Hieronymo recens amicitia junctum, evincere videntur verba, quae habentur num. 6. *Haec ipsa in lectulo decumbentes, longaque aegrotatione confecti, vix Notario celeriter scribenda dictavimus, non ut impleremus materiam, sed ne tibi in principio amicitiarum aliquid imperanti videremur negare.* Nihil occurrit vero, quod *Rufinum istum* in suspicionem invectae impietatis traducere queat. Accedit, hospitem ipsum Romae dici non posse *apud Sanctum Pammachium*: neque *Syrus natione* ipse erat. Nulla demum *Rufini* ingesta mentio inter haereseos Pelagianae praeformatores, quorum Hieronymus et Orosius meminere, praeter unum *Aquilejensem*, quem Hieronymus insequutus est ob latinas ab eo confectas librorum Origenis translationes.

Rufinus prodit *Provinciae Palaestinae Presbyter:* cui *Libellus fidei* tribuitur, a Sirmondo primum, tum a Garnerio vulgatus. Pelagiano

furfure scatet. Ad originale peccatum quod attinet, haec habentur num. 39. apud Sirmondum: *Insaniunt, qui per unum hominem Adam omnem orbem terrarum iniquitatis, flagitiorumque condemnant &c.* Rufino cuidam libellum adjudicat *Joannes quidam Diaconus* in Expositione *Heptateuchi*, quae Mss. adservatur in Parisiensi Bibliotheca S. Germani a Pratis; binis attamen in Exemplaribus Monasterii Corbejensis adnotatum legitur, non a Rufino, sed *a Pelagio* scriptum libellum. Nec *Rufino Aquilejensi*, nec *Pelagio* adscribendum Opusculum, censebat Sirmondus: *Non illi*, inquiens, *liber convenit qui Originem velut impium ac nefarium passim exagitat: neque Pelagio, utpote qui primarium Pelagii decretum evertat (Adam, sive peccasset, sive non peccasset, mortem obiturum).* Ait enim Libelli Auctor num. 29. *Illos igitur primos homines, Adamum dico, et Evam, licet immortales secundum animam creatos esse dixerim, mortales vero secundum corpus; numquam tamen mortem gustassent.* Graece libellum scriptum, ac postea latine translatum, idem adnotat Sirmondus: sibique ignotum fatetur tum graecum Auctorem, tum latinum Interpretem. Hunc putat Garnerius fuisse *Julianum Eclanensem Episcopum;* illumque *Rufinum Syrum* abs Hieronymo missum Romam, et Mediolanum.

Monachi S. Mauri Tomo XI. Operum S. Augustini in addendis, et corrigendis ad Tomum VIII. latinum potius Scriptorem credunt, sua sensa per Graecos explicare nitentem, ipsumque demum Pelagium. „Cui enim (inquiunt) translatus de graeco in latinum sermonem videatur, in quo legat (num. 33) *interrogationem hujusmodi, quam Graeci Dilemmatam vocant.* Rursumque (num. 55.) *Ut sic figmentum suum, quod Graeci sofisma vocant.* Ac demum (num. 60.) ubi de Sabellianis dicitur: *Quod unum ac solum Deum, Filium simul et Patrem per unam partem orationis pronuntiare assolent, quasi graece dicatur υἱοπάτωρ....* Verum objicit Sirmondus, Pelagio non convenire librum, qui *Adam si mandatum Dei servasset, non moriturum fuisse* approbet: adeoque primarium evertat Pelagii decretum.... Sed ex Gennadio (qui narrat, *Pelagium antequam proderetur haereticus, scripsisse libros tres de Trinitate,* quorum alter videtur is, de quo agimus) in promptu est responsio. Nihil enim mirum, si quid Haeresiarches ex fide catholica, in qua natus et educatus erat, scripserit antequam haeresim suam plane excogitasset, ac formasset.“ Haec vero tam longe dissita Scriptorum placita tenebras offundunt, quae minime sinunt ut certo detegamus *Rufinum illum*, si quis umquam fuit, qui primus invexit, Mercatori, et Caelestio si credimus, *traducem peccati non esse.*

IV. Libellus denique ad examen vocandus est, cui titulus apud Norisium, *Inc. propter Fidem:* et finis, *De Fide nomine Rufini.* Priora Opusculi verba haec sunt apud eumdem Norisium: *Propter venerationem sanctorum locorum, Hierosolymarum, et Bethlehem, venimus: et intelleximus, plures fratres in nos scandalizari.... Itaque Deo praesente testamur, quae infrascripta sunt, nos ex parte sensisse per errorem, et praesenti tempore condemnare; alia autem, in quibus falso infamamur, nec dixisse, nec dicere.* Sequuntur *Anathematismi duodecim*, quibus Origeniana doctrina ejuratur, pluresque eo ex fonte haereses ortae condemnantur. Eadem priora verba paullo aliter apud Garnerium

efferuntur: *Propter venerationem sanctorum locorum, Hierosolymam et Bethlehem venimus.* Haec sine dubio sana, et vera lectio.

Hanc *Rufino Aquilejensi* palinodiam tribuit Norisius, quam ipse Romae cecinerit post obitum *Anastasii Papae*, coram successore *Innocentio primo*. Verba relata quammaxime repugnant, quae hominem exhibent, qui *Jerosolymam*, *et Bethlehem* adventaverit *propter venerationem sanctorum locorum*: ibique errores partim adsertos, partim affictos damnaverit, ut satis *fratribus* faceret, qui scandalum patiebantur. At in Orientem non remigravit *Rufinus Aquilejensis* post jurgia, quae occasione Origenianae doctrinae mota fuerant: vitaque mortali cessit in Sicilia.

Rufino Syro Presbytero, quem Romam misit Hieronymus, aut *Rufino Palaestinae Provinciae Presbytero*, si distingui tamen debeant, palinodiam tribuit Garnerius. Missum abs Hieronymo legatum in Occidentem, qui Origenianis commentis infectus esset, eademque in Palaestinam redux ejuraverit, quis animo concipiat? An ille, antequam Hieronymo jungeretur amicitia, Origenianos errores tenuerit, tum eosdem repudiaverit Jerosolymam et Bethlehem veniens, tum in Occidentem missus fuerit? Haec jure nullo, proque genio ingenioque excogitari possent. Accedit, libellum eumdem, a Joanne Mabillonio repertum in Bibliotheca Monasterii Bobiensis, inscriptum legi in Itinere Italico: *Abbreviatio fidei Catholicae exposita a Sancto Hieronymo, ut quidam in haeresim lapsi corrigerentur.* Conjeceram ego in Monumentis Ecclesiae Aquilejensis Cap. XI. num. VI. fictitium ac supposititium opusculum esse, ab otioso quopiam concinatum, qui Hieronymi doctrinam Origenianis commentis adversam colligebat.

V. Eodem in Opere Cap. XIV. num. VII. in eam abire mihi opinionem placuit, ut nonnisi per calumniam *Rufino*, quicumque is fuerit, sive *Aquilejensis*, sive qui Romam et Mediolanum abs Hieronymo missus fuit, error *traduci peccati adversus* a Caelestio affictus impactusque dici debeat. Haud leve indicium suggerit sublestus ac dolo plenus Responsionum Caelestii modus in Concilio Carthaginensi. Jactabat ille, *de traduce peccati* se *diversa ab eis audivisse*, *qui utique in Ecclesia Catholica constituti sunt Presbyteri.* Ubi vero a Paulino Diacono compulsus est *dicere nomina ipsorum:* pro multis, ac diversis unum protulit *Sanctum Presbyterum Rufinum, Romae qui mansit cum Sancto Pammachio.* Urgebat Paulinus: *Est ne aliquis alius?* Reponebatque Caelestius: *audivisse et plures dicere.* Poscebat *nomina ipsorum* Paulinus; justamque interrogationem elusit haereticus homo: *Non tibi sufficit*, inquiens, *unus Sacerdos?*

Nonne vero dolo plena videantur Caelestii responsa, ac etiam pateat calumnia Rufino afficta? Potuit versipellis homo *Rufinum Aquilejensem* adludere, qui ob Origenis libros latine redditos male a plerisque habitus fuit. Potuit etiam intelligere *Rufinum*, quem e Syria Romam miserat Hieronymus, acturum negotia cum Anastasio Summo Pontifice. Satis auctoritatis inerat utrique, ut sub alterutrius nomine errorem suum vulgaret. Synodi praedictae Carthaginensis Acta cum legisset *Marius Mercator*, diligentiore praetermissa inquisitione, quod effutierat Caelestius, facile credidit bona fide: deceptusque scripto

mandavit, *Rufinum quondam natione Syrum, sub sanctae recordationis Anastasio, inimicam fidei quaestionem primum invexisse.* Haec eadem insedit opinio Samueli Basnagio in Annalibus *Politico-Ecclesiasticis ad An. CCCCXI. num. 8.*

CAPUT VI.

Peccatum originis palam inficiantur Pelagius, et Caelestius Romae, in Sicilia, et in Africa. Acta Synodi Carthaginensis contra Caelestium.

I. Ad haereseos tempora devenimus, cum eam spargere coeperunt in vulgus praecipui patroni duo, *Pelagius,* et Caelestius. Peccatum originale palam inficiari coepit *in urbe Roma* Pelagius, *ubi diutissime vixerat, prius sermonibus, et contentionibus.* Rem testatur Augustinus Libro de peccato originali Cap. XXII. Scripsit etiam *ante vastationem urbis Romae* (verba sunt Mercatoris in Commonitorio II.) *Commentarios in Apostolum Paulum:* ubi ad Cap. V. hanc habet disertissimam haereseos adsertionem: *In hunc mundum peccatum intravit, et per peccatum mors, exemplo, vel forma.... Et ita in omnes homines mors pertransiit: dum ita peccant, et similiter moriuntur. In quo omnes peccaverunt: hoc est in eo quod omnes peccaverunt, exemplo Adam peccant.* Ait etiam ad Cap. VII. *Insaniunt, qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum.*

Pelagio adhaesit *Caelestius.* Is *nobilis natu* (ut ait Mercator Commonitor. I.) *illius temporis auditorialis Scholasticus* (id est Forensis homo), *sed naturae vitio Eunuchus matris utero editus fuit.* „Hic a Pelagio praedicto institutus, sensum istum impiissimum meracius imbibit, ac multos incredibili loquacitate amentiae hujus suae participes, et complices fecit: aususque palam, publiceque his verborum sententiis ejusdem sensum passim disseminare per populos: idest, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, fuisset moriturus: quoniam peccatum Adae ipsum solum laesit, et non genus humanum: quoniam infantes, qui nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante praevaricationem: quoniam neque per mortem Adam omne genus humanum moritur, quia neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgit: quoniam infantes, etiamsi non baptizentur, habent vitam aeternam.*“ Errores alios adjecit, qui Jesu Christi gratiam impetunt.

Britanniam habuit *Pelagius* patriam, ut nos docent Hieronymus Praefat. Libri I. in Jeremiam, Augustinus, et Alipius Epist. CLXXXVI. olim CVI. ad Paulinum, Mercator Commonitor. I. Prosper Carmine de ingratis Cap. I. *Monachum* professione appellat Augustinus de gestis Pelagii Cap. XIV. num. 36 et de haeresibus num. 87. Vocat *hominem laicum* Orosius in Apologetico: et *laicum virum* Zosimus Papa in Epistola ad Aurelium, et Afros Episcopos. Monachus autem erat, non eorum qui in Monasterio degentes, *Coenobitae* dicebantur; neque eorum, qui deserta incolebant, *Eremitae,* vel *Singulares* appellati: sed qui propriis in aedibus vivebant, a Graecis *Philosophi,* a Latinis *Monachi* dicti.

Quae patria *Caelestii* fuerit, non constat. Natu nobilem vocat Mercator, naturae vitio Eunuchum, foro addictum: ipsumque a prima juventa *Monachum* facit Gennadius de Scriptoribus Ecclesiasticis Cap. XLIV. Pelagium hunc Haeresiarchem distingue a *Pelagio Monacho*, cujus meminit *Chrysostomus* Epistola ad Olympiadem Diaconissam, et ad quem scribit Isidorus Pelusiota Libro I. Epistola CCCXIV. Ita contra Baronium censent Norisius, Garnerius, Pagius. In Siciliam migrarunt haeretici homines, *Alarici* Romam adventantis furorem declinantes: ubi cum biennium et amplius substitissent, errorum semina sparserunt. Anno 411 trajecere in Africam. Caelestio in Africa relicto, in Palaestinam paullo post solvit Pelagius.

II. Ille „de infrascriptis capitulis (verbis utor Mercatoris in Commonitor. II.) apud *Aurelium Episcopum Carthaginis* per libellum a *quodam Paulino*, Diacono sanctae memoriae *Ambrosii Mediolanensis Episcopi*, est accusatus, sicut Gestorum Concilii (Carthaginensis) confectio se habet: tamquam haec non solum ipse doceret, sed et per Provincias conspirantes sibi diversos, qui haec per populos disseminarent, misisset: idest, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisset*" : et alia superius allata. Synodus anno 412 eadem in urbe coacta. Vocatus *Caelestius* respondit apud Augustinum Libro de peccato originali Cap. III. et IV. *de traduce peccati dubium se esse: et audivisse a Sancto Presbytero Rufino, quia tradux peccati non est:* se veró *semper dixisse, infantes egere baptismo, et debere baptizari.* Id nempe fatebatur ille sensu Pelagiano, quin umquam ex Adamo peccatum transire in parvulos, aut iis remissionem peccatorum concedi, profiteretur.

Haec objecta capitula, jusserunt Patres Carthaginenses, Mercatore teste Commonitor. II. *ut* Caelestius *condemnaret, quia essent haeretici sensus.* Qui *nullo modo acquiescens, quinimo resistens Actis eisdem, quibus frequenter auditus est, ecclesiastica communione privatus est.* Ab hac *sententia ad Romani Pontificis examen credidit ille appellandum: qua mox ipse appellatione neglecta, Ephesum Asiae urbem contendit.* Interpositae abs Caelestio ad Sedem Apostolicam appellationis veritatem vindicat *Natalis Alexander* Seculo V. Dissert. II. Mario Mercatori testes addit *Paulum Diaconum* in Libello ad Zosimum Pontificem, et *ipsum Zosimum* Epistola III. ad Episcopos Africanos, et *Facundum Hermianensem* Libro VII. Cap. III. Quod etiam evincit agendi ratio, quam Synodi secundae Carthaginensis, itemque Milevitanae, Patres tenuerunt. Discusso nempe negotio, relationem transmisere ad Innocentium Papam, ut ipse firmaret auctoritate sua, quod ipsi censuerant de *Pelagio damnando*, et *Caelestio*, eorumque haeresi perfodienda. Interpositam appellationem *neglexerat* Caelestius: unde Patres Africani iterum de causa ejus discussionem instituerunt; ita tamen, ut integrum causae judicium Innocentio I., ad quem prius appellaverat Caelestius, reservatum voluerint. Hac de re uberius infra.

Post Episcoporum Carthaginensium judicium coepit Augustinus quam viva voce adgressus fuerat, stylo etiam exagitare Pelagianam haeresim. Editi ab ipso anno 412 Libri tres *De peccatorum meritis,*

et remissione, qui etiam *De Baptismo parvulorum* inscripti leguntur. *Libro priore* ostendit, mortem hominis merito peccati accidisse: peccatoque Adae totam ejus stirpem obligatam esse: et hac de causa baptizari parvulos, ut originalis noxae remissionem accipiant. *Librum alterum* praetereo, in quo vires arbitrii examinantur, ac divinae gratiae auxilia defenduntur. *Tertio* demum nonnulla convelluntur argumenta, quae in ejusdem Pelagii Commentariis in Apostoli Pauli Epistolas legebantur. Dicatum opus est *Marcellino*, Viro Consulari, quem in partes trahere conabantur Pelagiani.

CAPUT VII.

Synodi Jerosolymis, et Diospoli celebratae contra Pelagium. Diospolitani Patres vindicantur.

I. *Pelagius*, qui versabatur in Palaestina, discipulis adscitis tradebat secretiora haereseos mysteria. *Timasius*, et *Jacobus* adolescentes, qui monasticam vitam Pelagio hortatore susceperant, ejusque pravis inficiebantur doctrinis, ab Augustino admoniti, bonamque ad frugem redacti, Librum a Magistro acceptum in Africam transmisere. Scriptum anno 415 opposuit Augustinus, dicavitque eisdem honestissimis adolescentibus, *De Natura, et Gratia* inscriptum. Suo in Opere contendebat Haeresiarches: *Naturam per peccatum debilitatam, vel mutatam non esse; posterosque Adae non solum illo non esse infirmiores, sed etiam plura implere praecepta, cum ille unum implere neglexerit:* ac fieri *non posse, ut cuicumque jam baptizato sit caro contraria.* Haec, et alia fidei originalis peccati, et gratiae divinae adversa refellit scripto suo Augustinus.

Paulus Orosius ex ultimis Hispaniis in Africam trajecerat, cognoscendi Augustinum causa: quo auctore, in Palaestinam solvit ad Hieronymum, de causa Pelagiana apprime instructus. Exciti contra Pelagium ibi degentem, ejusque doctrinam tumultus: dataque occasio cogendi *conventum Jerosolymitanum* anno 415 die 29. aut 30. Mensis Julii. Presbyterorum consessus erat, quibus *Joannes Episcopus Jerosolymitanus*, praefuit. Vocatus Orosius, damnatum in Africa a Concilio Carthaginensi Caelestium fuisse declaravit: mentionem ingerit Libri *de Natura, et Gratia*, in quem elaborandum Augustinus incumbebat: seque in manibus habere ait epistolam, quam is in Siciliam nuper miserat ad Hilarium Syracusanum. Introductus *Pelagius* in Colloquium. Injuriosa ab eo illa verba prolata: *Et quis est mihi Augustinus?* Reprehensus ille ab Orosio, qui dixerit: *hominem posse esse sine peccato, et mandata Dei facile custodire, si velit:* haud inficiatur Pelagius. Reponit Orosius: hoc in *Caelestio* Synodum Africanam detestatam *esse:* idque damnari ab Augustino in scriptis suis, et abs Hieronymo in Epistola ad Ctesiphontem, et *in Libro* Dialogorum, *quem nunc scribit.* Se judicem acturum praebet *Joannes Jerosolymitanus*, instabatque ut Orosius ageret accusatorem. Neque judex placebat, neque persona accusatoris: quive interpretis munere fungebatur, nequaquam officium implebat suum. Joannes demum sententiam protulit: *ut ad Beatum Innocentium Papam Romanum Fratres,*

et Epistolae mitterentur: universi quod ille decerneret, secuturi: ac *Pelagius, imposito sibi eatenus silentio, conticesceret.* Hinc solutus conventus. Haec latiore calamo habentur omnia in ipsius Orosii Apologetico.

Synodi hujusce nullam ingerit mentionem *Baronius.* Acta ejus, ab Orosio inserta in Apologetico, rejicit Wistellius Carmelita, veluti opus cujusdam Novatiani. Fert etiam censuram Jansenius Libro I. de Haeresi Pelagiana, Pag. 26 in Editione Lovaniensi anni 1640. *Falsa illa sunt* (inquiens) *quae sub nomine Orosii in quadam oratione operibus ejus subjuncta memorantur; quod ipse coram in Concilio Diospolitano Pelagium accusaverit; aliaque nonnulla a vero dissidentia.* Diospolitana nempe Synodus confunditur cum *Jerosolymitana:* et hujusce Acta rejici videntur, itemque *Oratio* subjuncta, quam satis longam *de impeccantia, deque gratiae adjutorio* habuit Orosius *diebus quadraginta septem* post ipsum conventum, *primo Encaeniorum die.* Dubitationem amolitur omnem Augustinus de gestis Pelagii Cap. XIV. num. 37. *Merito, quod gesta indicant, etiam hoc usus est testimonio Sanctus Joannes* Jerosolymitanae *Antistes Ecclesiae, sicut interrogatus quae apud illum* (Jerosolymis) *ante judicium* (Diospolitanum) *gesta fuerint, Coepiscopis nostris, qui simul in illo judicio praesidebant, ipse narravit.* Alia subjungit testimonia Norisius Libro I. Hist. Pelag. Cap. VII. desumpta ex Capitibus XV., XVI., XVII., XXX. Admonet postremo: *praedictae Orosii Apologiae* adsuta legi nonnulla, quae ipsius minime sunt, sed *Augustini in Libro de Natura, et Gratia.*

Paullo post causae cognitio instaurata in *Synodo Palaestina.* Collectis quibusdam Pelagii capitulis, ipsum ad ejus Provinciae Episcopos reum detulerunt Galli Episcopi duo, *Heros Arelatensis,* et *Lazarus Aquensis,* qui suis tunc sedibus pulsi erant. Quatuordecim Episcoporum Synodus congregata *Diospoli,* in Scripturis *Lyddae* vocabulo cognita, a die 20. Debembris ad 23. ut Pagius adnotat ad Annum CCCCXV. num. VII. *Eulogius* Metropolitanus *Caesareensis* praeerat: aderatque *Joannes Jerosolymitanus,* qui Pelagio favebat: caeterosque propriis nominibus Episcopos memorat Augustinus Libro I. contra Julianum Cap. V. et VII.

Pelagio objecta *Capitula de peccato originali,* quae Caelestius protulerat, ab Augustino recensentur de gestis ejusdem Cap. XXXIII. scilicet *1. Adam mortalem esse factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, esset moriturus. 2. Quod peccatum Adae solum ipsum nocuit, et non genus humanum. 3. Quod infantes nuper nati in illo statu sint, in quo fuit Adam ante praevaricationem. 4. Quod neque per mortem, vel praevaricationem Adae omne genus humanum moriatur; neque per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgat. 5. Infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam aeternam.* Quid Pelagius reposuerit, Augustinus ibidem narrat. „In Gestis (Concilii) ita loquutus est: *Secundum ipsorum testimonium a me dicta non sunt, pro quibus ego satisfacere non debeo: sed tamen ad satisfactionem sanctae Synodi, anathematizo eos qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.*" Non ita vero scriptum, a Pelagio fuisse *in chartula defensionis suae,* quam post Synodum confecerat, admonet Augustinus, cum haec solum in ea legan-

tur verba: *Haec omnia secundum ipsorum testimonium a me dicta non sunt, nec pro eis debeo satisfactionem.* Ita ab homine versipelle factum declarat, ut *putaretur, non esse ablatam quamlibet earum sententiarum defendendi licentiam; quod ei tantummodo objectae, nec ejus probatae fuissent, non tamen anathematizatae, atque damnatae.*

II. Objecta quaeque dolis, et ambiguis verborum strophis eludebat Pelagius. Non aderant Episcopi accusatores, ut docet vetus Auctor apud Photium Codice LIV., qui fraudem patefacerent, altero aegrotante, altero aegroti curam agente. Hinc decepti cavillationibus Patres, in eam ivere sententiam: *Nunc quoniam satisfactum est nobis prosecutionibus praesentis Pelagii Monachi, qui quidem piis doctrinis consentit, contraria vero Ecclesiae fidei reprobat et anathematizat, communionis ecclesiasticae eum esse et catholicae confitemur.* Haec habes ab Augustino relata de gestis Pelagii Cap. XX. num. 44.

Hanc *miserabilem vocat Synodum Diospolitanum* Hieronymus in Epistola ad Augustinum et Alypium, quae inter Augustinianas numeratur CCII. alias XXIV. Delusos considerabat Patres illos: nihilque observabat aliud nisi offensionem bene multorum ex imperitioribus, qui rem ipsam penitius cum penetrare non valerent, hoc unum erant dicturi, ab Orientalibus Episcopis pro Catholico admissum, qui haereseos postulatus fuerat. Partibus suis inde commodum sane, atque auctoritatem accersebat Pelagius: *quatuordecim Episcoporum,* (inquiens apud Augustinum de gestis ejus Cap. XXX. num. 54) *definitio nostra comprobata est.*

Quo tamen de Concilio meliorem in partem judicavit semper Augustinus. Argumenta ejus accipe: *Illi enim,* inquientis loco citato Cap. XXI. num. 45., *tamquam de ignoto judicantes, his praesertim absentibus, qui contra eum libellum dederant, hominem quidem diligentius examinare minime potuerunt. Haeresim tamen ipsam.... penitus peremerunt.* Et Cap. XXXV. num. 60. *In his enim sibi objectis, quae sua* (Pelagius) *non esse respondit, dictus est reprobare, et anathematizare contraria.* Et num. 62. *Pelagium ad omnia respondentem, quatuordecim Episcopi provinciae Palaestinae, secundum responsiones ejus alienum a perversitate hujus haeresis pronunciarunt; eam tamen haeresim sine ulla dubitatione damnantes.* Et num. 65. *Haec omnia, et si quae argumentationes ad ea confirmanda interpositae sunt, sua negantem, et anathematizantem Pelagium, judices approbaverunt: et ideo pronuntiaverunt, eum contraria ecclesiasticae fidei reprobando, et anathematizando damnasse.* Et Libro I. contra Julianum Cap. V. num. 19. „Nisi enim in eorum conspectu, audituque damnasset eos, qui dicunt, *quod peccatum Adae ipsum solum laeserit &c.* nullo modo inde, nisi damnatus exisset.“ Uno verbo *responsiones* Pelagii *non immerito approbaverunt* Diospolitani Patres, ut idem ait Augustinus Libro citato Cap. I. num. 2. *non curantes, quomodo ea quae objiciebantur, in Opusculis suis posuerit; sed quid de his in praesenti examinatione responderit. Alia enim est causa fidei non sanae, alia locutionis incautae.*

Quinque Africani Episcopi anno 416 scripserant ad Innocentium I. *in Oriente, ubi degit* Pelagius, *gesta ecclesiastica facta* Dios-

poli *jactari, quibus putatur esse purgatus: ubi quidem si Episcopi eum catholicum pronuntiarunt, non ob aliud factum esse credendum, nisi quia se dixit Dei gratiam confiteri &c.* Ob eamdem rationem reposuit Summus Pontifex: *se non posse illorum nec culpare, nec approbare judicium, cum nesciamus utrum vera sint gesta: aut si vera sunt, illum constet magis subterfugisse, quam se tota veritate purgasse.* Quid? quod Prosper in Carmine de ingratis Cap. II. sic ait:

. . . . Pestem subeuntem prima recidit
Sedes Roma Petri (sub Innocentio I. anno 417)
. . . . . . Non segnior inde Orientis
Rectorum cura emicuit . . . . . .
. . . . . . Sed sancta fides examine in illo
Vicit oborturam diro de semine prolem (idest haeresim).

Quibus conficitur, Fidem catholicam in *Synodo Palaestina* triumphum de haeresi Pelagiana egisse: cujus impia sensa licet mente retineret Pelagius, ore tamen damnare compulsus est, ut imminens capiti suo anathematis fulmen declinaret.

Haud levem non praetereo difficultatem, ex illa apud Prosperum voce *inde* procedentem: *a qua se eruditissimum Petavium expedire non potuisse,* adnotat Petrus de Marca in Dissertatione de veteribus Collectionibus Canonum Cap. XV. num. IX. „Illud vero diligenter considerandum est (verba sunt Petavii Libro de Pelagianorum et Semipelagianorum Dogmatum Historia Cap. I. num. XVI.) etsi constet, *Diospolitanam Synodum* anno Christi 415, celebratam esse; *Innocentii* vero sententiam (de qua infra agendum) contra Pelagium et Caelestium anno 417 missam in Africam, ut haec Synodo illa posterior fuerit: tamen Prosperum, Palaestinam Synodum post Innocentii decretum ponere . . . . Vides enim, ut *inde,* hoc est post damnatam Romae, ab *Innocentio* utique, Pelagianam haeresim, *Orientales Episcopos* de Pelagio judicasse dicit.“ Attamen *Inde* hoc in versu (ut ait Petrus de Marca) non tempus, ut putant, sed locum significat. Scribebat Prosper in Occidente, et habita ratione climatum, ait: *Inde Orientis Rectorum cura emicuit.* Acsi diceret: *Hinc* in Occidente, pestis adversus gratiam recisa est: et *inde* in Oriente ejus quoque rei curam gesserunt Episcopi Palaestini.“

CAPUT VIII.

Pelagianam haeresim, peccato originali adversam, damnari oportere censent Synodi, Carthaginensis et Milevitana. Modus agendi in utraque Synodo servatus. Rescripta, sive Decretalia Sedis Apostolicae, seu Innocentii I. Quaestiones nonnullae explanatae.

I. In his angustiis, hinc Pelagii a Synodo absoluti, inde erroris redivivi, quem nec a se ejuratum Pelagius jactabat, instaurandum esse judicium arbitrati sunt *Eros,* et *Lazarus* accusatores. Cum juxta *Canones antiochenos* discutere major Synodus debeat minorem: videbatur Pelagii causa vel apud Orientis universi Exarchum *Antiochenum Episcopum* agenda, vel potius apud *Romanum Pontificem,* tum

quia ad ipsum appellaverat Caelestius, tum quia judicium ipsi reservandum duxerat *Joannes Jerosolymitanus* in suo Conventu, tum quod causa communis demum foret, et universalem Ecclesiam contingeret. Captum consilium, ut per *Orosium* in Africam redeuntem, litteris suis Eros, et Lazarus admonerent Africanos Episcopos de judicio in *Diospolitana Synodo* lato, deque gravi discrimine, in quo fides versabatur.

Carthagine Synodus anno 416 coacta ex Episcopis Provinciae Proconsularis. Ad Innocentium synodica epistola data, in qua: *id communi deliberatione censuimus*, inquiunt, *hujusmodi persuasionis auctores .... nisi haec* apertissime anathematizaverint, anathematizari *oportere... Hoc itaque gestum Sanctae Caritati tuae intimandum duximus, ut statutis nostrae mediocritatis etiam Apostolicae Sedis adhibeatur auctoritas, pro tuenda salute multorum, et quorumdam perversitate etiam corrigenda.* Ad originalis peccati fidem attinent, quae sequuntur. „*Parvulos* etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant; ac sic eos mortifera ista doctrina in aeternum necant, promittentes etiamsi non baptizentur, *habituros vitam aeternam;* nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait (Lucae cap. 19 v. 10): *Venit enim Filius hominis quaerere, et salvare quod perierat:* quia isti, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis salvetur, vel tanto pretio redimatur, quia nihil est in eis vitiatum, nihil tenetur sub Diaboli potestate captivum; nec pro eis fusus est sanguis, qui fusus in remissionem legitur peccatorum. Quamquam per baptismum Christi etiam *parvulorum* fieri redemptionem Libello suo *Caelestius* in Carthaginensi Ecclesia (in priore nempe Synodo) jam confessus est.... Generaliter tamen.... quicumque negat, parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit."

Synodi Carthaginensis exemplo, Synodus quoque *Numidiae* habita *Milevi*, cui interfuit Augustinus. Epistolam Synodicam his verbis ordiuntur Patres: *Quia te Dominus gratiae suae praecipuo munere in Sede Apostolica collocavit, talemque nostris temporibus praestitit, ut nobis potius ad culpam negligentiae valeat, si apud tuam Venerationem quae pro Ecclesia suggerenda sunt tacuerimus, quam ea tu possis vel fastidiose vel negligenter accipere; magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quaesumus, adhibere digneris.* De peccato originali sic habent: „*Pueros* quoque *parvulos,* etsi nullis imbuantur christianae gratiae sacramentis, *habituros vitam aeternam,* praesumptione nequaquam christiana contendunt: evacuantes quod dicit Apostolus (ad Rom. cap. 5. v. 12.) *Per unum hominem peccatum intravit in mundum &c.*"

In Conciliorum Collectionibus refertur haec Synodus cum Praefatione: *Gloriosissimis Imperatoribus Arcadio, et Honorio Viris Clarissimis Coss.* Praefationem esse *Milevitanae Synodi* alias ob causas anno 402 celebratae, observant Viri docti. In eisdem Collectionibus recensentur *septem et viginti Canones:* quorum priores octo ad *gratiae Dei*, et *peccati originalis* fidem pertinent. At nullos in hac anni 416 Milevitana Synodo editos, communis est contra Baronium sententia.

Utriusque Synodi, ac insuper *quinque Episcoporum*, quos inter Augustinus, epistolae scriptae ad Innocentium, mentionem ingerit ipse Augustinus in Epistola CLXXXVI. alias CVI. ad Paulinum num. 2. *Missae sunt itaque*, inquiens, *de hac re ex duobus Conciliis, Carthaginensi, et Milevitano, relationes ad Apostolicam Sedem .... Scripsimus etiam ad beatae memoriae Papam Innocentium, praeter Conciliorum relationes, litteras familiares, ubi de ipsa causa aliquanto diutius egimus.* Cum praedictis relationibus memoratae litterae prostant, quibus tota uberrima exponitur Pelagii causa.

II. Difficultatem ingerit *Petrus de Marca* loco citato Cap. XIV. num. IV. ex eo quod Africanis Episcopis nihil competivisse juris in Pelagium videtur, nec ejus absolutionis retractandae, quam impetraverat in *Synodo Diospolitana*, in quam Concilium Carthaginense nullam poterat exercere jurisdictionem: et hoc quidem ultimum certum est, cum illa jurisdictio soli *Antiochenae*, vel *Apostolicae Sedi* competeret. „Attamen (ait ille) cum de *Caelestio* judicium olim suscepisset Carthaginensis Synodus, poterat in ejusdem criminis socium Pelagium, ne continentia causae divideretur, inquirere, et constituere quid agendum videretur: praecipue cum *de fide* mota esset quaestio, quae omnes tangit, et cujus conservandae solicitudo omnibus Episcopis imposita est.“

Nihilominus observandum *temperamentum* proponit: „quod prudenter, ac necessario adhibent in dijudicando negotio. Judicant, sed non pronuntiant. Referunt ad *Papam Innocentium*, ut ipse summo jure decernat. Sententiam suam ad eum cum litis actis transmittunt, antequam litigatoribus pronuntietur: ut aut decerneret ipse, aut quid decernendum rescriberet .... quare Synodi Carthaginensis verba sunt: *Censuimus, anathematizari oportere.*“ Alia verba superius allata consule.

Synodorum, *Carthaginensis*, et *Milevitanae*, mentem Innocentius intellexit, qui *Rescripto suo* ad Synodum Carthaginensem eos Episcopos laudat, quod antiquae traditionis exempla sectantes, ad Sedis Apostolicae judicium controversiam istam retulissent: *In requirendis Dei rebus*, inquiens, *quas omni cum solicitudine decet a Sacerdotibus, maxime a vero justoque et catholico tractari Concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea* (anno 412) *cum pronuntiaretis, vera ratione firmatis: qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur: a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas nominis hujus emersit.* Hanc suae Sedis praerogativam pergit Pontifex confirmare: *Vel id vero*, inquiens, *quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana, sed divina decrevere sententia: ut quidquid, quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; ut tota hujus auctoritate, justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent caeterae Ecclesiae, quid praecipere, quid vitare deberent.* Aliorum nempe Episcoporum sententia

indiget Sedis Apostolicae Decreto, ut omnes tenere valeat. Eodem sensu ad *Synodum Milevitanam* haec a Pontifice dicta leguntur: *Diligenter ergo, et congrue apostolici consulitis honoris arcana (honoris, inquam, illius, quem praeter illa quae extrinsecus sunt, solicitudo manet omnium Ecclesiarum) super anxiis rebus quae sit tenenda sententia: antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.*

II. Haec ab Innocentio ad utramque Synodum *data* Rescripta *VI. Kal. Februarii post Consulatum Theodosii Augusti VII. et Junii Quarti V. C.* anno aerae vulgaris 417 eodemque die data pariter *ad quinque Episcopos* responsio. Haec vero tria rescripta commemorat Augustinus in Epistola superius citata CLXXXVI. *Ad omnia* (utriusque Synodi relationes, et quinque Episcoporum litteras) *nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicam Sedem*; ut jam censura cadat Vossii Libro I. Histor. Pelagianae Cap. XXVII. *an Epistolae istae tanto sint dignae Antistite*, post Erasmum in dubium vocantis. Henricum Norisium consule Libro I. Cap. XI.

Fidem originalis peccati verba firmant, quae in Epistolis ad *Carthaginense Concilium* habentur num. 6. *Liberum enim arbitrium olim ille* (primus homo) *perpessus, dum suis inconsultius utitur bonis, cadens in praevaricationis profunda demersus est, et nihil quemadmodum exinde surgere posset, invenit: suaque in aeternum libertate deceptus, hujus ruinae jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gratia relevasset adventus: qui per novae regenerationis purificationem, omne praeteritum vitium sui baptismatis lavacro purgavit.* Luculentiora profert in alio *ad Milevitanam Synodum* Rescripto num. 5. *Illuc vero*, inquiens, *quod eos* (Pelagianos) *vestra Fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est .... qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum praedicant hos habere, quod in eos creditur nonnisi Baptismate conferendum.*

IV. Gennadius de Scriptoribus Eccl. Cap. XLIII. *Decretum Occidentalium Ecclesiarum, et Orientalium* memorat *ab Innocentio adversus Pelagianos datum: quod postea Successor ejus Papa Zosimus latius promulgavit.* Putavit Baronius ad An. CCCCXVI. num. 14. praeter *Epistolas ad utramque Synodum* scriptas, aliud ab Innocentio conditum fuisse *in Pelagianos decretum;* illudque post ejus obitum a Zosimo promulgatum. Implexa videtur Garnerii mens, neque satis constans, Dissertatione II. num. VII. et Dissert. IV. Cap. VI. Praedictas Innocentii ad Synodos *Carthaginensem*, et *Milevitanam* litteras, intelligendas censet Norisius Libro I. Cap. XI. Eadem est Petri de Marca opinio, qui rem hanc egregie illustrat in Dissert. citata Cap. XV. „Caeterum (inquiens) quemadmodum *Decreta* Principis dicebantur, quae cognitione habita controversiam dirimebant; sic quoque Romani Pontifices sua *Rescripta*, quibus aliquid in perpetuum et generaliter constituebatur, *Decretalia* vocavere. Unde *Siricius* in Epistola ad Himerium ait: missa ad Provincias

a Liberio Praedecessore suo *generalia Decreta.* Et *idem Innocentius* decretalia constituta appellat (in Epistola ad Carthaginensem Synodum num. 2. *Ut suis*, inquiens, *constabilita regulis Ecclesia, et (habeat) quo illos caveat, et pronuntiationis justae firmata decreto* (al. decretalibus) *patere non possit iis &c.).* Egregiam laudat, sequiturque expositionem Pagius ad hunc Annum num. XIV. simulque admonet, Gennadii locum cum vetustis Mss. collatum ita legi: *Scripsit Decretum Occidentalium, et Orientalium Ecclesiis adversus Pelagium datum: post quem Successor ejus Papa Zosimus latius promulgavit.* Lectio prior Synodum indicare videtur ex Occidentalibus et Orientalibus collectam: epistolas ipsas Innocentii posterior indicat, utpote quibus generaliter constituitur, quid contra Pelagium Occidentales omnes, et Orientales Ecclesiae tenere debeant.

Num vero Rescripta sua in aliqua *Synodo Romana* dederit Innocentius? Adserunt *Petrus de Marca* Libro VII. de Concordia Cap. XII. num. 5. et *Joannes Garnerius* Dissertatione II. citata: idque inficiatur *Pagius* num. XIX. verbis innixus Augustini Libro IV. ad Bonifacium Cap. XII. ad Pelagianos reponentis: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur.* Duplicem opinionem haud magno negotio componi posse, censet *Petrus Coustant* in Admonitione ad praedictas Epistolas num. V. inquiens: „Si Pelagii, Caelestiique dogmata *sine congregatione Synodi* damnata fuisse jactantibus Pelagianis, Augustinus (loco citato) hoc eis non negat; idem etiam Doctor in eodem Opere *contra duas Epistolas Pelagianorum* ad Bonifacium Libro II. Cap. III. iisdem haereticis, Clericos Romanos praevaricationis arguentibus, respondet: *Si, quod absit, ita tunc* (sub Innocentio) *fuisset de Caelestio, vel Pelagio in Romana Ecclesia judicatum, ut illa eorum dogmata, quae in ipsis et cum ipsis Papa Innocentius damnaverat, approbanda et tenenda pronuntiarentur, ex hoc potius esset praevaricationis nota Romanis Clericis inurenda.* At vero unde culparentur hi Clerici, nihil esset; si citra eorum conscientiam *Innocentius* adversus Pelagium, ac Caelestium scripsisset. Has ergo Epistolas Sanctus ille Papa, sine congregatione Synodi Episcoporum e diversis Provinciis congregatorum, sed non sine *congregatione Clericorum Romanorum*, conscripsit. Eoque pacto conciliantur in speciem pugnantes sententiae: ac mos perpetuus firmatur, quo Romani Pontifices ab Ecclesiis consulti, nonnisi congregato saltem Clericorum suorum coetu, respondere consueverunt.“ Hac de re Garnerium consule in Dissertatione citata, ipsumque Coustantium in Praefatione num. 33.

Acceptis Innocentii litteris, *Augustinus* his verbis, quibus luculentius nihil desiderari potest, Sedis Apostolicae praestantiam praedicavit: *Jam enim de ea Causa* (inquiens Sermone CXXXI. alias II. de verbis Apostoli num. 10.) *duo Concilia* (Carthaginense et Milevitanum) *missa sunt ad Sedem Apostolicam. Inde etiam Rescripta venerunt: causa finita est, utinam aliquando finiatur error.* Hinc etiam jure meritoque a Prospero in Carmine de ingratis dictum: *Primam Sedem Petri recidisse* pestem Pelagianam. *Synodus Carthaginensis* anno 412 celebrata Caelestium quidem repulit a Presby-

terio, et ab Ecclesiae communione; sed haec erat privata in eum hominem censura, quam ille appellatione ad Sedem Romanam se putabat elusisse; ipsique adeo Africani ad eamdem Sedem referendum esse, tunc quoque censuerant, a qua proinde totius rei definitio exspectabatur. Pelagium vero non condemnarunt *Diospolitani Patres*, imo absolverunt per ignorantiam facti. Gratiam utique Jesu Christi adprobarunt, seque gessere fidei peccati originalis vindices; non attamen sibi ignotos per versutiam Pelagii damnaverunt errores. Eorum cura profuit Ecclesiae ad fidem adserendam; sed nullo eorum decreto haeresis ignota proscribi diserte potuit. *Generali decreto* dogma Pelagii, et Caelestii, tamquam fidei catholicae adversum, a Romana Sede proscriptum.

CAPUT IX.

Zosimi, Romani Pontificis Successoris, eodem in negotio gesta. Vindiciae ejus. Carthaginense Concilium: Zosimi epistolae: Concilium africanum, et Canones.

I. Damnationis ab *Innocentio* irrogatae ut primum fama pervenit ad Pelagium, ejusque discipulum Caelestium; vehementius ambo commoti Sedi Apostolicae reddere facti sui rationem sategerunt. Litteras *ad Innocentium*, quem inter vivos putabat, eodem anno 417 dedit Pelagius. Erotem accusat, et Lazarum, uti manifestos calumniatores; in *Palaestina Synodo* absolutum se plenis affirmat suffragiis: incusatque praecipitis deliberationis *Africana Concilia.* Addit epistolam *Praylii*, post Joannem in Sedem Jerosolymitanam suffecti, qua plurimum commendabatur: ac libellum Fidei suae addit instar symboli, quod inter opera Hieronymi edi jam consueverat. In eo Libello *cum ab unitate Trinitatis usque ad Resurrectionem carnis, quod ab illo nemo quaerebat, disputationem quantum voluit, terminasset* (verba sunt Augustini de Gratia Christi Cap. XXXII.): *et Baptisma*, inquit, *unum tenemus: quod iisdem Sacramenti verbis in infantibus, quibus etiam in majoribus, dicimus esse celebrandum.* Haeresim tegebat scilicet, ut poterat, quam peccato originali adversam tenebat.

Caelestius *inde* (Epheso, quam in urbem anno 412 confugerat) *post aliquantos annos* (verbis utor Marii Mercatoris in Commonitorio) *sub sanctae memoriae Attico Episcopo urbem Constantinopolitanam petiit: ubi in similibus detectus, magno studio sancti illius viri, ex praedicta alma urbe detrusus est, litteris super ejus nomine et in Asiam, et Thessalonicam, et Carthaginem ad Episcopos missis.... Praedictus tamen Caelestius etiam hinc ejectus, ad Urbem Romanam sub sanctae memoriae Zosimo Episcopo, tota festinatione perrexit.* Mortali fato sublatum audierat *Innocentium:* quod eodem anno 417 contigit die 12. Martii. Cur Romam similiter non scripserit *Atticus Constantinopolitanus?* Non aliam procul dubio ob causam, nisi quia cum Romano Pontifice, referre in Diptyca *Chrysostomi nomen* recusans, non communicabat.

Libellus fidei suae a Caelestio oblatus Zosimo, qui hac de re Conventum habuit in *Sancti Clementis Basilica* mense

Septembri. Ad originale peccatum quod attinet, proferebat Caelestius, teste Augustino Libro de peccato originali Cap. V. et VI. *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesiae, et secundum Evangelii sententiam. Quia Dominus statuit* (inquit)*: Regnum coelorum nonnisi baptizatis posse conferri: quod quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae largitatem. In remissionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco dicimus, ut peccatum ex traduce firmare videamur: quia peccatum non cum homine nascitur, quod postmodum exercetur ab homine: quia non naturae delictum, sed voluntatis esse monstratur. Et illud ergo confiteri congruum, ne diversa Baptismatis genera facere videamur; et hoc praemunire necessarium est, ne per Mysterii occasionem ad Creatoris injuriam malum, antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam.*

Baptizari Infantes, aliosque cum legis *in remissionem peccatorum;* ne putes, ampliorem fuisse *Baptismi formulam,* quam sit illa qua hodie utitur Ecclesia Romana: *Baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* „Sed observandum est (ait Petrus de Marca loco citato Cap. XII. num. V.) *formam Baptismatis* non accipi ea significatione, quae in Scholis huic nomini tribuitur, quando *de materia,* et *forma Baptismi* disputant. Sumitur hic pro *ritu, ordine,* et *forma Baptismi* in Ecclesia universali exerceri solita: ubi suus est locus interrogationi, qua a Catechumenis mox tingendis fidei christianae professio exigitur, et inter caetera capita *remissionis* utique *peccatorum per Baptismum consequendae.*" Hanc servari formam in ipsorum Baptismo infantium volebat Caelestius; culpam tamen generatione transmitti negabat: addebatque ad ea se fore paratissimum amplectenda, quae sedes Apostolica judicaret. „*Cum enim* Caelestio *a Sancto praecessore tuo* Zosimo (verba sunt Augustini Libro II. contra duas Epistolas Pelagianorum *ad Bonifacium Romanum Pontificem* Cap. IV. num. 6.) dictum esset: *Illa omnia damnas, quae jactata sunt de nomine tuo?* ipse respondit: *Damno secundum sententiam beatae memoriae Praecessoris tui Innocentii.* Inter caetera autem, quae de nomine ejus jactata fuerant, Diaconus Caelestio Paulinus objecerat, quod diceret: *Peccatum Adae ipsi soli obfuisse, et non generi humano: et quod infantes nuper nati in eo essent statu, in quo Adam fuit ante peccatum.*" Quibus demum satis ut faceret: *se omnia, quae Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit,* eodem Augustino teste de peccato originali Cap. VII. num. 8.

His gestis, *ad Aurelium, et universos Episcopos per Africam constitutos* litteras eodem anno 417 dedit *Zosimus.* Ait vero num. 3.: *Omnia quae prius fuerant acta discussimus . . . . Intromisso Caelestio, libellum ejus quem dederat, fecimus recitari. Nec hoc contenti, utrum haec quae scripsisset, corde loqueretur, an labiis, saepe numero exploravimus.* Addit num. 4. ab ipsis Africanis Episcopis, quando praesens Caelestius *Carthagine* anno 412. auditus est, nihil liquido judicatum: pluraque regeri posse contra *Erotis,* et *Lazari* litteras. Et num. 6. gesta cum litteris suis ad ipsos transmitti, ne *praecox, immaturumque in praesenti causa censuisse* videatur: notumque interea

fieri *super absoluta Caelestii fide examen:* atque demum *intra secundum mensem aut venire* debere, *qui praesentem redarguant; aut nihil post haec tam aperta et manifesta, quae protulit,* habendum esse *dubii.*

Sub idem tempus litterae *Pelagii* cum libello fidei supervenere. Zosimo redditae sunt. His magis propitius Pelagianis factus, novas ad eosdam Africanos dedit Epistolas die 21. Septembris. *Ecce,* inquit, *Epistolam Jerosolymitani Episcopi Praylii accepimus, qui causae Pelagii inixius adstipulator intervenit. Litteras quoque suas idem Pelagius, purgationem continentes abundantissime, misit: quibus et professionis suae fidem, quid sequeretur, quidve damnaret, sine aliquo fuco cumulavit. Harum recitatio publica fuit. Omnia quidem paria, et eodem sensu sententiisque firmata, quae et Caelestius ante protulerat, continebant.* Unde *admiratio singulorum, tales etiam absolutae fidei infamari potuisse.* In accusatores *Erotem,* et *Lazarum* acrius invehitur Pontifex. Haud facile credendum ait *Timasio,* et *Jacobo* adolescentibus, qui scripta quaedam velut *Pelagii* foetum prodiderunt. Exemplaria scriptae ab eodem Pelagio professionis ad Africanos transmittit: cujus *lectionem non ambigimus* (inquit) *parituram esse vobis in Domino de absoluta ejus fide laetitiam.*

II. Mirum videri potest, non statim *Caelestium* tamquam haereticum a *Zosimo* condemnatum fuisse, qui in Libello suae fidei tam aperte *originale peccatum* inficiabatur; cum eoque, ac Pelagio tam indulgentius actum! Vindicias agit validissimas S. Augustinus Libro II. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. III. et IV. Vindiciarum momenta profero. Ac primum nihil *Zosimus* dixit, aut scripsit, quod Pelagianae doctrinae faveret. *Tot enim et tantis* (inquit Augustinus num. 5.) *inter Apostolicam Sedem, et Afros Episcopos currentibus et recurrentibus scriptis, ecclesiasticis etiam gestis de hac causa apud illam Sedem Caelestio praesente et respondente confectis, quaenam tandem Epistola venerandae memoriae Papae Zosimi, quae interlocutio reperitur, ubi praeceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci:* vel ubi dixerit, vel conscripserit quidquam, quod perversae Caelestii doctrinae suffragetur? *Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit.*

Libellum quidem Caelestii pronuntiavit catholicum, non habita ratione dogmatum, quae continebantur, sed habita ratione mentis et affectus, quem ipse *Caelestius* praeseferebat, cum illa omnia quae de ipso jactabantur, *secundum sententiam Innocentii* damnasset; seque *omnia, quae Sedes Apostolica damnaret, damnaturum promisisset.* Hinc vero pergit Augustinus: *Sed cum hoc Caelestius in suo libello posuisset* (peccato originali adversum) *inter illa dumtaxat, de quibus se adhuc dubitare, et instrui velle confessus est... voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus catholicus dictus est, quia et hoc catholicae mentis est, si qua forte aliter sapit quam veritas exigit, non ea certissime definire, sed detecta ac demonstrata respuere... Hoc in illo factum esse putabatur, quando se litteris beatae memoriae Papae Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit.*

Quod si demum indulgentius cum Caelestio actum est, haec *Zosimi indulgentia* detrimentum nullum fidei catholicae irrogavit, ipsique Caelestio correctionem suadebat. Unde Augustinus ait: *Profecto quidquid interea lenius actum est Caelestio, servata dumtaxat antiquissimae et robustissimae fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis.*

Facti, ut summum, errorem incurrit *Zosimus*, minime *juris:* specieque tenus catholicam approbavit mentem Caelestii, atque Pelagii, eorum versutia non intellecta. Hanc suam aperit mentem Facundus Hermianensis Libro VII. pro defensione trium Capitulorum Cap. III. *Invenient postremo Beatum quoque Zosimum Apostolicae Sedis Antistitem, contra Sancti Innocentii Decessoris sui sententiam* (quod attinet ad personas Caelestii, et Pelagii) *qui primus Pelagianam haeresim damnavit, fidem ipsius Pelagii ejusque complicis Caelestii, quem in Ecclesia Carthaginensi convictum atque appellantem Apostolicam Sedem et ipse gestis discusserat, tamquam veram et catholicam laudantem* (habita scilicet mentis eorum, quam praeseferebant, ratione) *cum necdum ipsis Africanis Episcopis dolos eorum* (nota facti errorem) *multo manifestius detegentibus, memoratos Pelagium et Caelestium putaret orthodoxos .... Quoniam non debet crimini* (juris) *deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.*

At *causam* ab Innocentio *finitam* Augustinus adserit: cur eam retractat *Zosimus?* Finitam intellige causam, quatenus aperte ac certa auctoritate erant reprobati errores. Ac finitam nec ipse intellexit Augustinus, quatenus istud fixam sonat ac determinatam etiam personarum Pelagii ac Caelestii, eorumque mentis condemnationem. *Ad Innocentium* scripserat *Carthaginense Concilium* anno 416 celebratum num. 6. *Etiamsi Pelagius, Caelestiusque correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt.* Certius non est, quod quinque Episcopi in Epistola ad eumdem Innocentium adseverant num. 14. *Anathemet ergo Pelagius*, inquiunt, *scripta sua ... Aut si ea sua esse negat, aut scriptis suis ab inimicis suis dicit esse immissa, quae sua esse negat, anathemet ea, et damnet.* Ipse demum *Innocentius*, nonnisi adjecta conditione, adhibitoque temperamento, Pelagium et socium ejus damnaverat: *Quod si fecerint*, inquiens in Epistola ad Carthaginense Concilium num. 8., *erit in potestate Pontificum, istis aliquatenus subvenire ... ut a suis revocati praecipitiis, intra ovile Domini redigantur.* Et in Epistola ad Concilium Milevitanum num. 6. *Jubemus sane, si umquam ad sanum, deposito pravi dogmatis errore resipuerint ... eis medicinam solitam, idest receptaculum suum, ab Ecclesia non negari.* Ac demum ad quinque Episcopos num. 4. *Potest* (Pelagius) *damnare quae senserat, ac datis litteris, erroris sui, ut regressum ad nos decet, veniam postulare.* Sententiae, et excommunicationis ab Innocentio latae genus exponit *Petrus de Marca* loco citato Cap. XVI. num. III „*Duplex* erat (inquiens) *excommunicationis genus.* Alterum quod *post interrogationem,* reo legitime convicto, aut etiam confesso, infligebatur: quo usus tandem ipse *Zosimus,* ut mox dicendum, adversus Pelagium et Caelestium. Alterum, quo *reus probationibus pressus*, communione summovebatur, donec inno-

centiam suam purgaret: quo *secundo genere* usus est Innocentius adversus eosdem Novatores. Quae distinctio controversiam istam componit." Errorem se deposuisse voce dicebat *Caelestius*, omnia damnare se quae de ipso jactabantur, ac omnia damnaturum quae Sedes Apostolica damnaret. Ipse Pelagius libellum fidei suae Zosimo redditum, his verbis claudebat: *In qua* (fide) *si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem, et sedem tenes.* Quid vero? Hanc *meri facti* causam versabat *Zosimus*. Dolis *Caelestii*, et *Pelagii* captus est. Innocentes, nimia indulgentia agens, censebat illos, dignosque ut eisdem communio restitueretur. In errorem incidit *meri facti*, quod personas dumtaxat spectabat, earumque mentem. An vero eos etiam absolverit? Immo nihil circa sententiam *Innocentii* immutatum, dicendum infra.

Atqui *Zosimus* in altera praesertim Epistola sua, *Eroti*, et *Lazaro*, minus prudenter fidem habitam opponit, non praesentibus reis, ipsisque absentibus accusatoribus, plurima dignis exceptione: neque fidendum fuisse *Jacobo*, et *Timasio*, utpote adolescentibus. Nonne, reponat quispiam, vitio verti *Innocentio* posse, quod ipsis etiam relationibus innixus, communione privandos *Caelestium*, et *Pelagium* judicavit? Reponam et ego, *meri facti*, et *personarum* quaestiones, et quidem multiplices obtrudi. Ad *Innocentium* quod attinet, satis est iterum cum Marca Cap. XV. num. VI. animadvertere: eo ipsum genere judicii usum esse, quo quis sceleris alicujus per testes convictus, communione statim arcetur, nulla admonitione qua vocaretur ad se purgandum praevia, ut censura illa coactus ad Episcopum accederet, aut innocentiam suam probaturus, aut confessione sua crimen agnoscens, beneficium poenitentiae petiturus: quod tanto accuratius observandum erat in haereseos crimine, quanto diligentius est huic morbo occurrendum. Quod vero attinet ad *Zosimum*, relationes ex Africa perlatas redargui posse deceptus credidit; silet attamen omnino de judicio *Innocentii*, in eoque nihil immutandum decrevit.

III. Praedictae *Zosimi Epistolae* per Basiliscum Diaconum anno 417 redditae sunt Afris exeunte Octobri. Concilium habitum Carthagine, ex quo litterae datae ad Pontificem, perlataeque per *Marcellinum Diaconum*. Quid in ipsis contineretur, ex Pontificio Responso patet: *Missae per Marcellinum Subdiaconum vestrum epistolae omne volumen volvimus: quo aliquando perlecto, ita totum litterarum comprehendistis textum, quasi nos Caelestii commendaverimus in omnibus fidem.* Hinc obtestabantur, ut in causa Caelestii *nihil immutaretur*, sed *in eodem cuncta relinquerentur statu, in quo dudum fuerant* sub Innocentio decessore.

Paulinum Diaconum, qui Caelestium accusaverat, convenit Basiliscus *quarto nonas*, seu die 2. *Novembris*, admoniturus ipsum, ut se Apostolicae Sedis judicio sisteret. Vice sui libellum ipse *ad Zosimum* transmisit *per Marcellinum Subdiaconum*, qui *datus* legitur *sexto idus*, seu die 8. *Novembris*. Fallitur Doctissimus Baronius, qui scriptum libellum putavit, ut gratiae pro damnato Caelestio agerentur. Imo gratias Paulinus agit Zosimo, quod iste in gestis Romae

superiore Septembri mense hujus anni 417 praeciperet Caelestio, ut quae ipsi a Paulino objecta fuerant, capitula damnaret: *Damnas ergo illa omnia, quae in Libello Paulini continentur? &c.*

Ad Carthaginensium expostulationes, obtestationesque *per Marcellinum Subdiaconum* redditas, *datae* a Zosimo litterae *XII. Kalend. April.* (die 21. Martii) *Honorio Augusto XII. Consule*, anno 418. Non omnem, ait Pontifex, Caelestii verbis fidem, ut Carthaginensibus videbatur, se commodasse; neque immutasse de his quidpiam, quae de illo a Decessore suo statuta fuerant. Auctoritatem suae Sedis pluribus explicat num. 1. Se tamen voluisse ait, de negotio *in commune consulere: non quia quid deberet fieri nesciremus, sed pariter vobiscum voluimus* (tum antea, cum etiam nunc) *habere tractatum de illo, quod apud vos, sicut ipsi per litteras dicitis, fuerat accusatus: et ad nostram, qui se adsereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina, venerit Sedem.*

In hac *Synodo Carthaginensi* si quid actum aliud fuerit, addiscere non licet ex Zosimi Epistolis. Quot Episcopi interfuerint, solido fundamento innixus dicat nemo. Praedictae Zosimi litterae *acceptae* in Africa fuerunt *tertio Kalendas Majas*, seu die 29. Aprilis, ut earum in calce adnotatur. Africani Patres, qui Concilia frequenter celebrabant, jam iterum Carthaginem convenerant. Opportune accidit ut post Zosimi epistolam die 29. Aprilis acceptam, triduo post, *Honorio Augusto XII. Consule* (anno 418). *Kalendis Majis in Basilica Fausti* considerent in Concilio ducenti et plures Episcopi. Numerat eos Photius Codice LIII. *vigintiquatuor supra ducentos;* Prosper contra Collatorem Cap. V. *ducentos et quatuordecim.* Hinc citius ad Zosimum rescribi potuit.

Instructiones plurimae, quae tempore praecedente paratae fuerant, simul etiam collecta superiorum Synodorum acta, editi Canones octo vel novem, litterae demum ad Pontificem datae, Romam transmissa omnia. Hujusmodi litterarum fragmentum apud Prosperum exstat loco citato: „Erraverunt (inquientem) *Ducenti quatuordecim* Sacerdotes, qui in Epistola quam suis constitutionibus praetulerunt, ita ad Apostolicae Sedis Antistitem Beatum Zosimum sunt locuti: *Constituimus in Pelagium, atque Caelestium per Venerabilem Episcopum Innocentium de Beatissimi Apostoli Petri Sede prolatam manere sententiam, donec apertissima confessione fateantur?*" Quid aliud *constitutiones* illae, quibus haec epistola praemissa erat, nisi in eadem Synodo *editi Canones?* De his paullo ante sic ajebat idem Prosper: *Erraverunt Africana Episcoporum Concilia, quae decretis suis constituerunt &c.?* Ad eamdem epistolam pertinere existimo, quod refert Augustinus Libro II. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. III. *Exspectabatur, venturis ex Africa litteris ... Romam litterae ... venerunt, id continentes, non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi litteris consentire fatebatur* Caelestius (uti Romae anno 417 fassus erat); *sed aperte eum debere anathematizare, quae in suo libello prava posuerat.*

Hac etiam in Synodo editos Canones fidei, dubitare non sinit idem Prosper in Chronico: *Honorio XII. et Theodosio VIII. Coss....*

Concilio apud Carthaginem habito CCXIV. Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt. Paria tradit Photius Cod. LIII. *Lectus Liber, seu Synodus adversus Pelagium, et Caelestium, Carthagine in Summa Aede habita.... Adfuerunt e Provinciis Sacerdotio praestantes viri, numero ducenti quatuor et viginti. Damnat haec Synodus anathemate &c.* Novem Canones perstringuntur. Digna sunt animadversione, quae laudatus Prosper in Carmine de Ingratis canit Cap. III.

„Tu causam fidei flagrantius, *Africa*, nostrae
Exequeris ....
Convenere tui de cunctis urbibus almi
Pontifices, *geminoque* senum celeberrima *coetu*
Decernis quod Roma probet, quod regna sequantur ...
Condita sunt, et scripta manent, quae ...
Et *ter centenis* Procerum sunt edita linguis ...
An alium in finem posset procedere *Sanctum*
Concilium, cui dux *Aurelius*, ingeniumque
Augustinus erat?“

Indicantur *gemino coetu* Concilia duo Africana, habita *Carthagine*, primum anno 417 exeunte, alterum 418 Kalendis Majis. Ita vero geminos coetus distinguit Prosper, ut etiam singulari numero *Concilium* dicat: quod etiam repetitum legimus Cap. VII. v. 184 et 185. *Et Carthaginis altae Concilium repetant humiles, eademque perorent.* Cur ita? Nempe ex illis coetibus duobus, unus fuerat *celeberrimus*, anno 418 Kalendis Maji congregatus. Huic ergo par est ut adfuisse intelligamus Antistites *ter centenos*, poetice pro ducentis et quatuordecim: ab eoque *decreta condita, et scripta, quae Roma probet.* Quod ipse Carmine, expressit etiam Prosa in Chronico: *Concilio*, inquiens, *apud Carthaginem habito CCXIV Episcoporum, ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt: quibus probatis* (ipsius Zosimi Epistola Tractoria, ut infra dicendum) *per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est.*

Inter octo praedictos Canones ad *peccatum originale* spectat *primum*, et *alter*. Primus est: „Quicumque dicit, Adam primum hominem mortalem factum, *itaut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore;* hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.“ Alter: „Item placuit, ut quicumque *parvulos* recentes ab utero matrum *baptizandos negat*; aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur: unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis *in remissionem peccatorum* non vere, sed false intelligatur: anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt:* nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter enim hanc regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.“

Nonum Canonem antiquissimi Codices praestant, tertio loco inter praefatos octo insertum, qui magis catholicum dogma illustrat: Item placuit, ut si quis dicit ideo dixisse Dominum: *In domo Patris mei mansiones multae sunt:* ut intelligatur, quia in Regno Caelorum erit *aliquis medius*, aut *ullus alibi locus*, ubi beate vivant parvuli, qui sine Baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in Regnum Caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt; anathema sit. Nam cum Dominus dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Caelorum:* quis Catholicus dubitet, participem fieri Diaboli eum, qui cohaeres esse non meruit Christi? Qui enim dextera caret, sinistram procul dubio partem incurret." Hunc Photius Cod. LIII. agnoscit *Canonem*, eique sedem eamdem tribuit. Illum etiam satis indicat Augustinus Libro II. de Anima, et ejus origine Cap. XII. num. 17. *Novellos haereticos Pelagianos*, inquiens, *justissime Conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicae damnatos esse auctoritate; eo quod ausi fuerint, non baptizatis parvulis dare quietis et salutis locum, etiam praeter Regnum Caelorum.*

Ad Afros in litteris anno 418 datis die 21. Martii scripserat Zosimus num. 1. voluisse de negotio *in commune se consulere:* ac *habere* cum eisdem *tractatum de illo* (scilicet Caelestio). Suo igitur munere defungentes Africani, ne causa communis adversariorum cavillationibus in discrimen adduci imposterum posset, *Canones* condere decreverunt, quibus veram fidem explicarent, et haeresim robuste profligarent: quos attamen *Roma probaret*, ut ait Prosper. Diversam gestorum chronotaxim digerunt *Baronius, Norisius, Garnerius, Pagius, Tillemontius, Monachi Sancti Mauri*, plura multiplicantes Concilia Carthaginensia, litteras Pontificias inducentes quae periisse dicuntur, Tractoriam Zosimi epistolam ante Concilium Africanum anno 418 celebratum Kalendis Maji datam statuentes, chronicum ordinem disponentes pro genio ingenioque. Hactenus mihi Petrum Coustantium sequi libuit, ipsumque rerum ordinem exhibere, quem certa Monumenta praestant. Adhuc uberius agendum est.

CAPUT X.

Iterum Caelestius ad examen Romae vocatus, qui fugit ex urbe. Tractoria Zosimi epistola, qua Decreta Africana contra Caelestium, et Pelagium probantur. Difficultates enodatae.

I. Historiam enarrare pergo cum Mario Mercatore in Commonitorio II. *Episcopis ex Africa* (qui Kalendis Maji Carthaginem anno 418 convenerant) *rescribentibus; omnemque causam, quae apud eos facta fuerat, exponentibus; missis etiam gestis, quae fuerant tunc cum illo, vel de illo* (Caelestio) *confecta* (scilicet *cum illo* praesente anno 412 et *de illo* etiam postea, et in ipsa Synodo Kalendis Maji celebrata, juxta Pontificis litteras datas Martio praecedente, ubi *pariter vobiscum*, ait Pontifex, *volumus habere tractatum de illo*, Caelestio:) *vocatus ad Audientiam pleniorem, ut quae promiserat* (Zosimo anno 417 mense Septembri in prima Audientia), *festinaret implere: idest, ut damnatis praedictis capitulis* (quae Paulinus ei objecerat)

sententia Afrorum (lata anno 412 et 416 imo et sententia Innocentii Papae), *qua fuerat communione privatus* (eo, quod superius expositum est, adhibito temperamento), *absolveretur; non solum non adfuit, sed etiam ex memorata Romana urbe profugit.*

Rem confirmat Augustinus Libro II. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. III. *Expectabatur*, inquiens, *venturis ex Africa litteris* (ex Synodo scilicet celebranda post Zosimi litteras anno 418 datas die 21. Martii, adeoque ex Synodo Kalendis Maji habita): *in qua Provincia ejus aliquanto caliditas evidentius innotuerat. Quae Romam litterae* (ab Actis Concilii distinctae) *posteaquam venerunt, id continentes, non sufficere hominibus tardioribus et sollicitioribus, quod se generaliter Innocentii Episcopi litteris consentire fatebatur; sed aperte eum debere anathematizare, quae in suo Libello prava posuerat... Tunc ergo cum ejus praesentia posceretur, ut certis ac dilucidis responsionibus vel astutia hominis, vel correctio dilucesceret, et nulli ambigua remaneret, se subtraxit, et negavit examini.*

Quid post fugam Caelestii acciderit, refert Mercator: *Atque ob hoc*, inquiens, *a beatae memoriae praedicto Zosimo Episcopo scriptis amplissimis, vel longissimis perdamnatus est: in quibus et ipsa Capitula, de quibus accusatus fuerat continentur, et omnis causa tam de Caelestio suprascripto, quam de Pelagio magistro ejus praviore, videtur esse narrata: quorum scriptorum et nos hic habemus exemplaria, et ad Orientales Ecclesias, Aegypti Dioecesim, et Constantinopolim, et Thessalonicam, et Jerosolymam, similia eademque scripta ad Episcopos transmissa esse, suggessimus.* Eadem sunt apud Augustinum, qui postquam *se subtraxit* Caelestius, *et negavit examini*, sic ait loco citato: *Nec differendum jam fuerat*, ut sententia de ipso pronuntiaretur, *sicut factum est* (antea scilicet)... *Ab eodem Sacerdote* (Zosimo) *postea Caelestius, et Pelagius repetita auctoritate* (seu novo instituto judicio) *damnati sunt.*

Haec *Augustini*, *Mercatoris*, et *Prosperi* superius laudati verba chronicum gestorum ordinem sic exhibent. 1. *Afrorum rescripta* ex utraque Synodo Carthaginensi, maxime ex illa quae Kalendis Maji celebrata est, ac *fidei decreta condita*, Romam missa, ut probarentur. 2. *Pleniorem Audientiam* Caelestio datam. 3. *Fugam ejus* ex urbe. 4. Zosimi scripta amplissima, vel longissima, seu *Tractoriam ejus Epistolam*, quibus Carthaginensia fidei decreta probata sunt, ac Caelestius et Pelagius damnati. 5. Hujusmodi *Epistolae transmissionem* ad Afros, et caeteras orbis Provincias. Hinc refellitur *Petrus de Marca*, qui in Dissertatione saepius citata Cap. XVI. num. VIII. et XII. posteriorem quidem Synodo Carthaginensi, Kalendis Maji habita, fatetur *Zosimi Tractoriam;* sed eadem Synodo priorem facit tum *Audientiam* Caelestio datam, tum *fugam ejus*, tum privatam quamdam adversus nomen Caelestii, et Pelagii latam a Zosimo sententiam. Validius alii refelluntur, qui *Tractoriam* arbitrantur Synodo Kalendis Maji celebrata priorem, aut certe ejusdem inductu minime scriptam. Rem uberius illustrare praestat.

II. Dignissima sunt animadversione, Augustini verba Libro II. Retractat. Cap. L. *Postea*, inquientis, *quam Pelagiana haeresis cum*

suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiae Romanae, prius Innocentio, deinde Zosimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est: scripsi duos libros adversus eos, unum de Gratia Christi, *alterum* de peccato originali. Et Cap. LI. *Aliquanto post collationem, quam cum Haereticis Donatistis habuimus, orta est nobis necessitas pergendi in Mauritaniam Caesariensem.* Anno 418 in Mauritania Caesariensi, a Zosimo Papa missum, versatum esse Augustinum die 20. Septembris, consentiunt Viri docti. Antea ergo scripserat praefatos duos libros adversum Pelagianos. Antea, Carthagine adhuc degens, *Tractoriam* recepit: quae non serius Augusto mense recepta fuerit, scripta vero vel exeunte Junio, vel Julio ineunte, postquam Romam pervenerant Acta Concilii Carthaginensis, quod habitum fuerat Kalendis Maji.

Africana ista Synodo posteriorem esse *Tractoriam Zosimi*, evincere videtur Marius Mercator, qui primum *Rescripta Africana* memorat, tum *fugam Caelestii*, tum *Zosimi Tractoriam*, tum *ejus transmissionem ad orbis Ecclesias:* neque posteriorem *Synodum Carthaginensem*, in qua Decreta fidei condita fuerint, ullam indicat. Favet Prosper, qui locis citatis aperte enarrat, *geminos coetus* Carthagine habitos: in Africano Concilio ducentorum et quatuordecim Episcoporum *condita decreta fidei, quae Roma probet:* haec vero *probata* fuisse in Epistola *Zosimi Tractoria.* His paria expressit contra Collatorem Cap. XXI. al. XLI. *Africanorum Conciliorum decretis Papa Zosimus sententiae suae robur adnexuit: et ad impiorum detruncationem gladio Petri, dexteras omnium armavit Antistitum.*

Eamdem satis indicat gestorum chronotaxim Augustinus. *Novellos haereticos Pelagianos* (inquit Libro II. de Anima, et ejus origine Cap. XII. num. 17.) *justissime Conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicae damnavit auctoritas;* ubi *Concilia* primum *Africana* memorantur, tum *Sedis Apostolicae* auctoritas. Et in Libro de Peccato originali Cap. VII. num. 8. *Posteaquam ex Africano Episcoporum Concilio rescripta directa sunt, quid fuerit consecutum ut justissime in eum sententia proferretur, cuncta legite:* ubi singulari numero *Concilium Africanum* nominatur, cui nempe utpote celebriori adfuerunt ducenti ac plures Episcopi. Eadem luculentius repetit Cap. XXI. num. 24. *Post rescripta quippe Africani Concilii ... cura fidelium fratrum prolata patuerunt, quae litteris suis, quas concripsit per Orbem Catholicum perferendas, Papa Zosimus execranda ... adtexuit.*

Quid? quod in ejusdem *Epistolae Tractoriae* fragmentis, quae supersunt, probatos legimus *Canones fidei*, quos *Africanum Concilium* condidit. Augustinus Libro citato de Anima ait: Pelagianos *Conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicae* damnatos *auctoritate: eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, et salutis locum, etiam praeter Regnum coelorum.* Haec ad illum *canonem nonum* spectant, quem tertio loco inter *octo vulgatos* in vetustissimis Codicibus insertum admonuimus. Ad *secundum Canonem* pertinent, quae Augustinus Epistola CXC. num. 23. refert ex Epistola Tractoria Zosimi: *Fidelis Dominus in verbis suis: ejus Baptismus, re ac verbis, idest opere, confessione, et remissione vera peccatorum, in omni*

sexu, aetate, conditione generis humani, eamdem plenitudinem tenet &c. In Fragmento demum, quod servatum legitur in Epistola Caelestini Papae, quae apud Coustantium numeratur XXI. ***canon tertius, quartus***, *et quintus de gratia Jesu Christi* probantur. Sic enim ibidem Zosimus ait: *Illud etiam, quod intra Carthaginensis Synodi decreta constitutum est, quasi proprium Apostolicae Sedis amplectimur: quod scilicet tertio capitulo definitum est.... Et iterum quarto Capitulo.... Item quinto Capitulo:* verbaque ipsa Canonum referuntur.

Post Concilium Carthagine habitum Kalendis Maji, remanserant in urbe ex ipsius *Concilii decreto*, quod in Collectionibus *postremum* est, terni ex singulis Provinciis Episcopi. Accepta ibidem *Epistola Zosimi Tractoria.* Aliis fortasse, quos festinato vocare potuerunt, adjunctis Antistitibus, gratulatorias ad Zosimum litteras rescripserunt. Fragmentum legitur in laudatis Caelestini epistolis, et contra Collatorem Cap. V. „Afri Episcopi ad eumdem *Papam Zosimum* rescribentes, eum in sententiae suae hujus salubritate laudantes... ajunt: *Illud vero, quod in litteris tuis, quas ad universas Provincias curasti esse mittendas, posuisti, dicens, Nos tamen instinctu Dei... sic accepimus dictum, ut illos qui contra Dei adjutorium extollunt humani arbitrii libertatem &c.*"

III. Insignis opponitur Augustini textus, quo nostra gestorum chronotaxis convelli posse videtur. Sumitur ex Epistola CCXV. alias XLVII. *ad Valentinum* data anno 427. Haec habentur num. 2. „Quod enim scriptum est *ad Papam Innocentium* Romanae urbis Episcopum, de *Concilio Provinciae Carthaginensis*, et de *Concilio Numidiae*, et aliquanto diligentius *a quinque Episcopis:* et quae *ad tria ista* rescripsit: item quod *Papae Zosimo* de *Africano Concilio* scriptum est, ejusque *Rescriptum ad universos totius orbis Episcopos* missum: et quod *posteriori Concilio plenario* totius Africae contra ipsum errorem breviter constituimus... haec omnia... misimus." Concilium istud *Plenarium* doctissimi Viri, quos laudavimus, intelligendum putant, quod anno 418 habitum est *Kalendis Maji.* Quod vero appellatur *Africanum Concilium*, celebratum censent Tillemontius, et Monachi Sancti Mauri anno 417 *mense Novembri* ineunte: anno insequente 418 alii prope Februarium mensem. Quo demum in Concilio adfuisse *quatuordecim et ducentos Episcopos* ajunt condita in ipso *decreta fidei*, ex eoque cuncta ad Pelagianam causam acta pertinentia *Romam transmissa ad Zosimum.*

Mirum sane fuerit, tam multa *Africanos Patres* contra Caelestium, et Pelagium egisse vel anno 417 ineunte Novembri, vel anno 418 prope Februarium; ad eosque tam jejune, ac non sine quadam negligentiae nota rescribere voluisse *Zosimum* in Epistola anno 418 data die 21. Martii! Aliis Augustinus in locis, ubi hac de re agit, Carthaginensia aut Africana Concilia, in quibus de Pelagiana haeresi actum est, ante celebrata diserte tradit, quam Sedis Apostolicae auctoritas eamdem confoderit. Libro II. citato de Anima: *Novellos haereticos Pelagianos justissime Conciliorum catholicorum, et Sedis Apostolicae damnavit auctoritas.* Et in Epistola CXC. alias CLVII. ad Optatum Cap. VI. num. 22. *Pelagius et Caelestius Conciliorum*

episcopalium vigilantia . . . etiam a duobus venerabilibus Antistitibus Apostolicae Sedis, Papa Innocentio, et Papa Zosimo . . . damnati sunt. Damnatos illos in *Africano Concilio* ex ducentis et pluribus Episcopis coacto, luculentissime testatur Prosper in Carmine de ingratis, et contra Collatorem: ac istud Concilium fuisse, quod anno 418 celebratum fuit Kalendis Maji, Photius tradit, ac evincunt vetustissimi Codices apud Conciliorum Collectores.

Quodnam ergo fuerit *Concilium illud plenarium totius Africae,* quod Augustinus *posterius* dicit *Africano Concilio*, ex cujus monitis *Tractoriam* scripsit epistolam Zosimus? Fuisse Concilium crediderim ego, in quo gratulatoriae ad Zosimum rescriptae fuerunt epistolae. Ipsum Concilium Kalendis Maji habitum sine dubio *Plenarium* dici debet *totius Africae*, utpote collectum ex ducentis et quatuordecim Episcopis *ex Provincia Byzacena, Mauritania, Sitifensi, Tripolitana, Numidia, Mauritania Caesariensi, et Hispania.* Illud attamen appellant *Africanum* Augustinus, et Prosper: quo nomine *plenitudo,* seu universalitas ejusdem haud imminuitur. Jam adnotavimus, hujusce decreto Synodi constitutum fuisse: *ne diutius universi Episcopi tenerentur ab universo Concilio, ternos de singulis Provinciis eligi.* Terni electi fuerunt *de Provincia Carthaginensi, de Provincia Numidiae, de Provincia Byzacena, de Mauritania Sitifensi, de Provincia Tripolitana.* An electi fuerint ex *Mauritania Caesariensi*, et ex *Hispania,* seu *Mauritania Tingitana,* consule Garnerium. Interim his electis Episcopis *nova Synodus* coaluit, quae *Plenariam* repraesentaret, ad ea quae opus erant peragenda. Idem factum legimus anno insequente, seu *post Consulatum Honorii XII. et Theodosii VIII.* in *Plenaria*, seu universali Africana Synodo *VII. Kalendas Junias* congregata Carthagine: *electis* nempe, ut in ipso Titulo habetur, *de singulis quibusque Provinciis, qui propter alia peragenda residerent,* ac Synodum ipsam *Plenariam* repraesentarent. Hanc igitur Synodum, *ex ternis Episcopis de singulis Provinciis* anno 418 congregatam, cur nomine *posterioris Conilii Plenarii* non intellexerit Augustinus? Animadverte ejus verba illa: *Et quod posteriori Concilio plenario contra ipsum errorem* (Pelagianum) *breviter constituimus.* Haec *breviter* contra errorem *constituta,* fuerint, ut puto, illa quae in Epistolis ad Zosimum gratulatoriis breviter sane disserunt Patres de Fide, quam ipsi, quam Zosimus luculentius, jam constituerant. Hujusce Epistolae fragmentum supra indicavimus.

Addiderim, Concilium *de Appellationibus ad Romanam Sedem,* quod Carthagine anno insequente 419 *VIII. Kal. Junias*, seu die 25. Maji celebrarunt Afri Patres, *Plenarium* absque dubio fuisse. Quid obstat vero, quominus hoc etiam in Concilio quidpiam *contra ipsum errorem* Pelagianum *breviter constitutum* fuerit? *Breviter*, inquam: nova, si placeat, praeteritorum Actorum confirmatione, aut alio modo. Haeresis namque confossa cum fuerit, sed nondum extincta; non una dari potuit adversus eam agendi occasio. Hoc eodem anno, *Kalendis Augusti*, ad Episcopos *Byzacenos* aliosque, *imperiale edictum* contra Pelagium, et Caelestium eodem anno 419 editum *Ravennae V. Idus Junias*, litteris suis *Aurelius Carthaginensis* transmisit, quae exstant in Conciliorum Collectionibus.

Gravis alia difficultas emergit ex illo *imperiali Rescripto*, quod anno 418 *pridie Kalendas Majas* latum est *Ravennae* contra *Pelagium, et Caelestium*, Roma pellendos, modo isthic agerent. Num Ecclesiae sententiam praeverterit *Honorius Imperator?* Priorem facit Petrus de Marca *privatam quamdam*, quam Zosimus Papa *sententiam* tulerit post datas die 21. Martii litteras ad Africanos. Imo tempore etiam praecessisse ipsam Zosimi *Tractoriam* Epistolam, arbitrantur alii. Redeunt scilicet gravissimae difficultates omnes, quas expendimus. Monachi S. Mauri in Praefatione Tomi X. Operum S. Augustini § XVIII. pro certo habent, *Legem* hanc *imperialem* petitam fuisse, cum *Rescriptum* dicatur, non nuda constitutio: petitam illam esse ab Africanis Patribus, quo tempore eorum ad Zosimum litterae perlatae sunt, quibus ille die 21. Martii respondet: eo demum Rescripto inductum Zosimum fuisse, ut *Tractoriam* promulgaret.

Difficultatem elidunt, quae sequentia profero. Ac primum verba occurrunt nulla in eodem *Rescripto*, quae latam ab Ecclesia definitionem indicent contra Pelagium, et Caelestium: ut frustra sit *Garnerius*, qui *beatissimae Ecclesiae Acta* memorata fuisse scribat. In ipso Rescripto haec dumtaxat habentur. „Aures mansuetudinis nostrae recens fama perstrinxit, in sacratissimam urbem nostram, aliaque loca ... pestiferum virus quorumdam inolevisse pectoribus ... novoque scandali fomite concitato, *beatissimae Ecclesiae nutare attentatam tranquillitatem.*" Status Romanae civitatis describitur, quem dissidia Caelestii artibus excitata turbabant. Caute legendum *Garnerium* Doctissimi Viri admonent, qui vetusta in lucem proferens Moumenta, de suo addebat, mutabat, omittebat. Datum etiam Rescriptum intuitu Africanorum Patrum, qui petiere, colligitur ex altero Rescripto anni 419 *V. Idus Junias Ravennae*, in quo haec habentur. *Dudum quidem fuerat constitutum* (anno 418 die 30. Aprilis) *ut Pelagius, et Caelestius ... ab urbe Roma ... pellerentur ... in quo secuta est Clementia nostra judicium sanctitatis tuae* (Aurelii Episcopi Carthaginensis), *quo constat eos ab universis justae sententiae examinatione esse damnatos.* Africana judicia indicantur, ac etiam *Innocentii I. Summi Pontificis,* quae ad illud usque tempus lata fuerant. *Pelagius,* et *Caelestius*, ut urbe Roma expellerentur, jussum: at Caelestius tunc degebat in urbe, non Pelagius. Ambo tamen nominati, ne poena eos discerneret, qui ejusdem communione dogmatis jungebantur. Hinc Africanorum legatio *ad Honorium Imperatorem* innotescit, quae in illud tempus incidit, quo illi cum litteris ad Zosimum Papam direxere Marcellinum. *Comminatorium* denique intelligi *debet primum illud edictum:* ejusque dilata promulgatio. Id satis indicant alterius edicti verba: *Sed quia óbstinati criminis pertinax malum, ut Constitutio geminaretur coegit; recenti quoque Sanctione decrevimus &c.* Hinc vero causa patet, cur *Caelestius* Roma non abierit; ipsumque potuerit Zosimus post rescripta Africani Concilii Plenarii anno 418 celebrati Kalendis Maji, ad *pleniorem Audientiam* vocare. Optime sibi cohaerent omnia.

CAPUT XI.

Tractoriae Zosimi Epistolae subscribere decem et octo Episcopi renuunt, quorum princeps Julianus Eclanensis. Iidem, ac Pelagius, et Caelestius exagitati. Quis ille Augustinus, cui Pelagiani Sacerdotes libellum obtulerunt. Metropolitam Aquilejensem fuisse ostenditur.

I. Dogmaticam Zosimi epistolam vocat *Tractoriam* Marius Mercator in Commonitorio II. apud Baluzium: utpote qua omnes evocarentur Ecclesiae ad subscribendum. Subscribere *decem et octo Episcopi* recusarunt, Augustino teste Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. I. num. 3. Proprio vocat aliquos nomine *Nestorius* in Epistola ad Caelestinum Papam num. VI. apud Coustantium: *Julianum* scilicet, *et Florum*, *et Orontium*, *et Fabium*. Addit alios judicium Ephesinae Synodi oecumenicae in Pelagianos, quod Actione V. legitur: *Julianum*, *Persidium*, *Florum*, *Marcellinum*, *Orontium*.

Dux erat, ac princeps *Julianus*. Illustri de genere in Apulia natus, primum Lector Ecclesiae, tum matrimonio addictus cum Ya consulari virgine, Diaconus postea matrimonio soluto, an uxoris obitu, an consensu communi, incertum: carissimus Augustino, acer ingenio, secularibus et sacris litteris eruditus, ac demum *Eclani* Campaniam inter et Apuliam ordinatus est Episcopus. Quo tempore adhaeserit Pelagio, non constat. Ad *Zosimum* Pontificem *super his quaestionibus duas Epistolas destinavisse*, ait ille apud Augustinum Libro I. Operis imperf. num. 18. Suo, ac aliorum nomine tertiam dedit *ad Rufum Thessalonicensem Episcopum*. Hanc, et unam tantum ex datis *ad Zosimum* refellit Augustinus quatuor Libris contra duas Epistolas Pelagianorum, anno circiter 420 elucubratis, dicatisque *Bonifacio Romanae Ecclesiae Episcopo*. Alia Sancti Patris in Julianum Opera prostant.

II. Marii Mercatoris in Commonitorio II. verba sunt: *Julianus, et reliqui complices ejus*, Tractoriae *subscribere detrectantes*... *non solum imperialibus legibus, sed et sacerdotalibus statutis depositi, atque exauctorati, ex omni Italia deturbati sunt. Ex quibus plurimi resipiscentes, et a praedicto errore correcti, regressi sunt supplices ad Sedem Apostolicam: et suscepti, suas Ecclesias receperunt.*

Leges imperiales indicavimus: Rescriptum primum Comminatorium *datum pridie Kal. Majas Ravennae, DD. NN. Honorio XII. et Theodosio VIII. AA. CC.* (idest anno 418) et Rescriptum, quod executioni mandatum fuit, *datum V. Idus Junias, Monaxio et Plinta Coss.* anno 418. Alia Garnerius posteriora imperatorum affert edicta. Superiora duo Honorii indicat *Possidius* in Vita S. Augustini Cap. XVIII. *Conciliis*, inquiens, *Africanis Sanctorum Episcoporum gestum est, ut Sancto Papae Urbis, et prius Venerabili Innocentio, et postea Sancto Zosimo ejus Successori persuaderetur, quam illa secta a fide catholica, et abominanda, et damnanda fuisset. At illi tantae Sedis Antistites, suis diversis temporibus eosdem notantes, atque a membris Ecclesiae recidentes, datis litteris et ad Africanas Occidentis, et ad Orientis partis Ecclesias, eos anathemandos, et devitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et tale de illis Ecclesiae Dei catholicae prolatum judicium, etiam piissimus*

Imperator Honorius audiens, et sequens, suis eos legibus damnatos, inter haereticos haberi debere constituit. Paucis verbis universus exhibetur gestorum ordo, quem declaravimus. Haereseos ejusdem hostes infensissimi, et acerrimi fidei propugnatores fuerunt Romani Pontifices, qui sequuti sunt, *Bonifacius, Caelestinus, Sixtus, Leo Magnus.*

Anno circiter 421 relicto Occidente, *peragratis terris et exarato mari, atque Oriente lustrato*, scilicet Asia Minore pertransita, apud Theodorum Mopsuestenum *cum sociis, et participibus suis* in Cilicia receperat sese Julianus. Marii Mercatoris verba sunt in Prologo Refutationis Symboli, quod ipse Theodorus ediderat, ubi addit: Julianum, *post de Cilicia abscessum, ab eo* (Theodoro, sáltem specietenus consentiente) *in Episcoporum Provinciae suae conventu, anathemate esse damnatum.* Non aliter Pelagio cessit res. Ab Antiochena Synodo, *cui Sanctae memoriae Theodotus Antiochiae praesedit Episcopus* (ejusdem Mercatoris verbis utor in Commonitorio II.) *deprehensus, atque detectus, a sanctis quoque ac venerabilibus Hierosolymorum locis est deturbatus.* Quo perfugerit *Pelagius*, ignotum est: neque ejus posthac mentionem ingerunt Historiae. Turbas ciere non cessabant alii, postulabantque Concilium generale.

III. Apud Garnerium Dissertatione V. exstat *Pelagianorum Libellus*, quem Sirmondus ex Veronensi Codice Ms. cum versaretur in Italia, propria manu exscripsit. Tituli in Archetypo evanescentes ita exprimi posse putabat Sirmondus, IVLI. At eas explicare solidius licet ex verbis, quae ad calcem subjiciuntur hoc modo: *Explicit libellus fidei S. I. C.* unde titulus fuerit INLF, idest, *Incipit Libellus Fidei.* Tribus postremis litteris S. I. C. nomen aliquod breviari, nec aliud posse quam *Siculorum*, contendit Garnerius. Exponunt eas Monachi S. Mauri Tomo X. in Appendice, *Sacerdotum Jesu Christi:* quae interpretatio magis probatur.

Quatuor in partes tribuitur Libellus: primam, *de Sanctissima Trinitate, Incarnatione Verbi, et aliis Symboli articulis:* alteram, *de Gratia Dei, et libero humanae voluntatis arbitrio, de natura hominis, nuptiarum institutione, peccato originali, et Sanctis veteris Testamenti:* tertiam, in qua habetur *alienorum dogmatum reprobatio*: quartam demum, ubi *excusatio* legitur *Pelagianorum, provocatio ad plenariam Synodum, praetextus non subscribendi Tractoriae Zosimi, reprehensio summi ejusdem Pontificis, detortum Sancti Chrysostomi testimonium adversus peccatum originale, et epilogus.*

Diligentiore examine pars quarta indiget. *Haec omnia* (inquiunt Libelli auctores) *de quibus nunc agitur, idest quae in fine* (tertiae Partis) *damnavimus; ipsi etiam de quibus ista jactantur, falso sibi objecta testantes, libellis propriis damnaverunt.* Pelagius, et Caelestius dubio procul indicantur, qui libellis Sedi Apostolicae oblatis errores prolatos purgare studuerunt. *Haec, ut nobis secundum regulam catholicam visum est* (pergunt illi) *vestrae Sanctitati conscripta transmisimus: quae si aliter putatis tenenda, scribite; sin autem contradici istis non potest, et tamen aliquis voluerit contra nos scandalum concitare, certa sit Sanctitas vestra, nos ad audientiam Plenariae Synodi provocasse.* Nemo non videt impositam hisce refractariis necessitatem, haereseos

damnationem subscribendi. Hanc vero *Tractoria sua* imposuerat Zosimus Pontifex. *Illud autem Sanctitatem vestram* (inquiunt) *specialiter admonemus, ne ad vestram reprehensionem factum putetis, quod sic absentium damnationem ob Dei timorem subscribere non audemus.* Unam causam afferunt, quae Pelagianis communis erat, ne latae subscriberent damnationi, damnatorum absentiam. *Unde et Sanctus Apostolus Paulus judicandi regulam Episcopis sanciens, ait* (I. ad Timoth. cap. 5. v. 19.): *Adversus Presbyterum &c.* Sibi colligere Garnerius posse videtur, *Episcopos* fuisse qui hunc edidere libellum, ob allegatam judicandi regulam Episcopis a Paulo Apostolo traditam: quam eorum dignitatem sequentibus magis indicari verbis, ait: *Aequalitatis libram mediam inter utrumque servantes, nec damnamus inauditos, nec defensamus absentes.* Haec libra, hoc judicium ad Episcopos pertinet.

Postrema verba dignissima sunt animadversione: *Illud etiam, Sancte ac Venerabilis Frater, et Pater Augustinus, necessario respondendum putavimus &c.* Quis iste *Augustinus* fuerit; quinam illi, qui *Libellum* obtulere, quaestio est. Quatuor tunc temporis florentes in Ecclesia Episcopos memorat Garnerius, quibus offerri Libellus potuerit: insignes duos ob summi Pontificatus apicem, *Zosimum*, et *Bonifacium*, qui anno 418 successit die 29. mensis Decembris: pariterque duos fidei catholicae strenuos vindices, *Aurelium* Carthaginensem, et Hipponensem *Augustinum*. Nonnisi *Zosimo* libellum offerri potuisse, et quidem a *Juliano Eclanensi* cum sociis Episcopis, tenet laudatus Garnerius: jubetque, nomen *Augustini* expungi. In ejus ivere sententiam Monachi S. Mauri Tomo X. operum S. Augustini in Praefat. §. 19. et in Appendice.

Monumentum rationis, aut conjecturae profero, quo innituntur. Juliani verba sunt apud Augustinum Libro I. Operis imperf. num. 18.: „Facit quoque (Augustinus) *epistolae* mentionem, quam *a me* ait *Romam fuisse directam:* sed per verba quae posuit, nequivimus quo de scripto loqueretur, agnoscere. Nam *ad Zosimum* quondam illius Civitatis Episcopum, super his quaestionibus *duas epistolas destinavi.*" Libellum etiam, aut aliam epistolam, suo et sociorum nomine, *ad Rufum Thessalonicensem* transmiserat. Libellum istum refellit Augustinus Libro II. et III. et IV. contra duas Epistolas Pelagianorum ad *Bonifacium*, Zosimi successorem: alteramque ex duabus Epistolis ad eumdem Zosimum datis excutit Libro priore, tametsi hanc suam esse inficiari loco citato videatur Julianus. Altera ex duabus illis epistolis quaerenda est: et hanc eamdem cum Libello, quo de agimus, arbitrantur Ascetae Sammauraei, et Garnerius.

Hujus epistolae *ad Zosimum* datae ab Juliano excerpta quaedam posteritati servavit, ac profert Marius Mercator in Commonitorio I. apud laudatos Operum S. Augustini Editores Tomo X. in Appendice, et apud Baluzium: quae tamen in eodem Libello reperiat nemo. Colligitur inde, diversissima scripta esse *Juliani epistolam*, ac *praefatum libellum.* Fragmenta epistolae, quae apud Mercatorem habentur, haec sunt. I. *Quis est igitur assertor, quod neque per mortem Adae omne genus hominum moriatur, neque per resurrectionem Christi omne genus hominum resurgat? contra Apostolum sentit &c.* II. *Jure igitur*

improbatur, quod huic sententiae contradicit, quae ait: Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. Item quod peccatum Adae ipsum solum laesit, et non genus humanum. Et haec sententia a nobis merito refellitur: non enim soli ipsi, sed generi humano obfuisse credendum est. III. *Quod infantes in eo statu sint, in quo Adam fuit ante praevaricationem, inter indisciplinatas reputo quaestiones: non enim per omnia in eo statu sunt qui nascuntur hodie, in quo Adam fuit ante praevaricationem: quamvis et ipsos opus Dei esse, sicut et ille, negari non possit.* IV. *Adam enim mortalem factum, qui sive non peccaret, fuisset moriturus, nec hoc est ratione subnixum. Credendum est enim, immortalem quidem factum: sed qui si non peccàsset, per gustum ligni vitae virtutem posset immortalitatis adipisci.* Haec ajebat Julianus in Epistola secunda, quam Romam transmiserat. Nihil horum, quae tot amplis in eadem epistola verbis dictata supersunt, habetur in Libello. Brevi sententia in illo condemnatur *quicumque asserit, quod neque per Adam omne genus humanum moriatur, neque per Christum omne genus hominum resurgat.* Postremo loco generatim repudiantur *si quae sunt alia, quae vel contra fidem catholicam veniant, vel ad indisciplinatas pertineant quaestiones.* Accedit, Libellum eumdem a pluribus, communi eorum nomine, scriptum oblatumque esse, ut satis declarant sententiae plures, quas decerptas ex quarta parte protulimus. Suam vero, de qua agimus, dedit *Julianus* epistolam nomine proprio *ad Zosimum*, ut quisque colligat ex tertio Excerpto, ubi sic ait: *Quod infantes in eo statu sint, in quo Adam fuit ante praevaricationem, inter indisciplinatas reputo quaestiones.* Nota verbum singulari numero, *reputo*, non *reputamus.*

IV. Actum ergo videtur de *Zosimi* nomine, quod in Libello, veluti a Juliano, et complicibus oblato, reponendum censebant Monachi S. Mauri, et Garnerius. Cur nomen *Augustini* non retineatur? „Nam id temporis (Norisius ait in *Censura*, quam adornavit *in Notas Garnerii*, nuncupavitque Antonio Magliabecco) celebris erat *Augustinus Aquilejensis*, Primas Venetiarum, Istriae, Norici utriusque, et Rhetiae primae... Cum vero Zosimus anno 418 Pelagianos damnasset, Encyclicas ad Aquilejensem, et Mediolanensem Primates misit, ut easdem suis in Dioecesibus publicarent... Hinc *Augustinus*, Primas Aquilejensis, Apostolicae Sedis contra Pelagianos decretum cum litteris ad suae Provinciae Episcopos misit: quorum nonnulli, cum Pelagianis erroribus tenerentur, memoratum fidei Libellum *ad Augustinum Primatem* dederunt." Eadem de re idem Norisius Antonio Pagio scripsit in Epistola I. quam cum aliis vulgarunt Docti Fratres duo, *Petrus*, et *Hieronymus Ballerini* Veronenses Tomo IV. Operum ejusdem. „Garnerius (inquit) suis in *Marium Mercatorem Notis* Libellum supplicem inseruit, a Pelagianis ad suum Primatem scriptum, qui *Augustinus* ab eisdem nuncupatur. Garnerii errorem correxi in calce *Censurae in ejusdem Notas* ad inscriptiones Epistolarum utriusque Synodi Africanae contra Pelagianos."

Nomen *Augustini* habemus, ac tempora utique conveniunt: regendam quippe Aquilejensem Ecclesiam anno circiter 408 suscepit, eamque rexit plures annos. Consule nostra Monumenta ejus Ecclesiae Cap. XIII. et XIV. Num etiam *Pelagiani homines* fuerunt in *Aquilejensi*

Provincia, qui Metropolitano suo libellum offerrent? Furfuris hujus viros exstitisse tempore Leonis Magni, compertissimum facit ejus Epistola *ad Episcopum Aquilejensem* (Januarium) post annum 440 scripta, in qua haec habentur. „Relatione Fratris et Coepiscopi nostri Septimii (Altinensis), quae in subditis habetur, agnovimus, quosdam *Presbyteros*, *Diaconos*, *ac diversi ordinis Clericos*, quos *Pelagiana*, *sive Caelestiana haeresis* habuit implicatos, ita in *vestra Provincia* ad communionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii exigeretur erroris: et *pastoralibus excubiis nimium dormitantibus*, lupos ovium pellibus tectos in ovile dominicum, non depositis bestialibus animis, introisse.“ Adhuc *aetate Leonis Magni* Pelagiana haeresis in Aquilejensi Provincia serpebat: tenebatque implicatos *quosdam Presbyteros*, *Diaconos*, *ac diversi ordinis Clericos:* ac *nimium* demum *dormitabant pastorales excubiae*, idest Episcopi. Pronum est conjicere, Episcopos istos dormitantes, aut eorum decessores quosdam Juliano adhaesisse, fuisseque in numero *decem et octo* illorum Episcoporum, qui *Tractoriae* Zosimi subscribere recusabant. Fuerint quoque ex eorum numero, qui *resipiscentes*, Mario Mercatore teste in Commonitorio II. *et a praedicto errore correcti*, *regressi sunt supplices ad Sedem Apostolicam*, *et suscepti suas Ecclesias receperunt.* Leonis namque tempore, non *Episcopi* lue Pelagiana infecti erant, sed *Presbyteri*, *Diaconi*, *ac diversi ordinis Clerici:* at ipsi tamen Episcopi notantur *dormitantes*, ac desides in eodem negotio fidei.

Nihil dictum, quod verisimillimum non videatur. Animadvertendum est, *oblati libelli* Auctores, qui satis fortasse detecti sunt, *Juliani* doctrinam sequutos esse, simulque temperamenta, queis ille Pelagianam haeresim emollire studebat. Julianus in Libello, sive Epistola *ad Rufum Thessalonicensem* data, apud Augustinum Libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. II. num. 2. ajebat: *Ex Adam nihil mali per caeteros*, *nisi mortem*, non peccatum. Error idem amplioribus verbis a Juliano exponitur in Excerpto I. et II. alterius epistolae *ad Zosimum* scriptae. A puro, putoque discesserat errore Pelagii, qui naturae conditione mori homines effutiebat, non peccati merito: quia et Adam moriturus fuisset, tametsi non peccasset. Haeresim eamdem sic temperatam adoptant libelli Auctores, ultro condemnantes: *quicumque asserit*, *quod neque per Adam omne genus hominum moriatur*, *neque per Christum omne genus hominum resurgat.*

Fatentur in prima Libelli parte: *Baptisma secundum exemplum Ecclesiae*, *et praeceptum Dei unum* esse, *quod omnibus simul aetatibus necessarium* (inquiunt) *veraciter et tradimus*, *et tenemus: et veniam peccatorum*, *ac regnum Coelorum dicimus invenire neminem posse*, *nisi qui baptismum fuerit consecutus.* Paria legimus breviore sententia in Epistola Juliani *ad Rufum Thessalonicensem* tradita apud Augustinum loco citato Cap. V. num. 10. *Baptisma omnibus necessarium esse aetatibus*, *confitemur.* Eadem posuerat Caelestius, quae refert ac refellit idem Augustinus Libro de peccato originali Cap. V. num. 5. Error ipsorum erat: Baptismatis lavacro actualia peccata deleri, si quae inveniebantur in adultis: idemque Baptisma infantibus necessarium, ad inveniendum Regnum Caelorum, aliaque dona gratiae adipiscenda.

Postremo loco generatim repudiant Libelli auctores: *si quae sunt alia, quae vel contra catholicam fidem veniant, vel ad indisciplinatas pertineant quaestiones.* Vidisse illos epistolam Juliani *ad Zosimum*, quae periit, evincit Excerptum III. a Mario Mercatore servatum, in quo paria verba occurrunt: „Quod infantes in eo statu sint, in quo Adam fuit ante praevaricationem, inter *indisciplinatas* reputo *quaestiones.*" Hanc eos videre potuisse, colligitur ex Mercatore Commonitorio I. haec habente: „*Epistola* praefata, quam ad *Sedem Apostolicam* illo tempore *ausus es mittere* .... antequam in manus sanctae illius Romanae Ecclesiae veniret Antistitis, te agente, a nonnullis a te deceptis *per totam pene Italiam* circumlata est, et tamquam magnum aliquid multorum auribus insinuata cognoscitur."

Locum denique Joannis Chrysostomi describunt Libelli Auctores ex Homilia ad Neophytos .... „Hac de causa etiam infantulos baptizamus, *cum non sint coinquinati peccatis*, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, haereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint, et Spiritus inhabitatio fiant." Haec dona gratiae infantibus, non peccatorum remissionem, baptismo concedi, verbis Chrysostomi abutentes, contendebant illi. Locum eumdem opponebat Julianus apud Augustinum Libro I. contra ipsum Julianum Cap. VI. num. 21., qui tamen illa verba, *cum non sint coinquinati peccatis*, aliter sic effert: *Cum non sint coinquinati peccato.* Juliani fraudem patefacit ibidem Augustinus. Collige vero, Libelli auctores alios a Juliano fuisse, qui aut diverso utebantur *Chrysostomi* Codice, aut alium consulebant interpretem, aut cum Juliano depravare textum non sunt ausi. Capita duo superius citata in Monumentis Ecclesiae Aquilejensis consule.

CAPUT XII.

Latum in Pelagianos anathema ab oecumenica Synodo Ephesina. Decretum, quod Pelagianis favere dicitur; obtruditurque veluti Ephesinum. Baronii, aliorumque et Henrici Norisii sententiae. Massalianorum haeresis eo decreto damnatur.

I. Ad Synodum oecumenicam damnati Pelagiani, ac illi qui *Tractoriae* Zosimi Epistolae subscribere recusabant, provocationem interposuerant. Querimonias eorum, interpositamque appellationem saepius refellit Augustinus. Quarto *ad Bonifacium Pontificem* libro contra duas Epistolas Pelagianorum Capite ultimo: *Aut vero*, inquit, *congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit: cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multoque sint atque incomparabiliter plures, quae ubi exstiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per caeteras terras devitandae innotescere potuerunt.* Consule, quae eodem in loco pergit disserere, ac Libro I. contra Julianum Cap. III. et Libro I. Operis imperf. num. 10.

Conatus attamen suos *Caelestius, Julianus*, aliique factiosi Episcopi in Oriente exseruerunt apud *Theodosium Imperatorem*, ac Patres in *Ephesina Synodo* oecumenica contra Nestorium congregatos. Ipso-

rum pervicaciae sese opposuit *Marius Mercator*. Italus hic erat, vel Campanus, vel Apulus, vel ex ea parte quae ad Siciliam tendit: satis eruditus, laicus, ut creditur, et notus Augustino, cujus ad ipsum Epistola exstat inter Augustinianas novae editionis num. 193. Theodosio Imperatori, ad quem confugerant haeretici homines, Commonitorium I. *super nomine Caelestii*, a Baluzio vulgatum, obtulit *in Consulatu Florentii, et Dionysii*, aerae vulgaris anno 429.

Duae *Nestorii* epistolae, quibus in gratiam Pelagianorum *Caelestino* Romano Pontifici scripserat nefarius homo, recensentur in Actis Concilii Parte I. Ejusdem Pontificis *ad Nestorium* servatur Responsio anno 430 data, in qua haec habentur: *Aliquantis diebus vitae nostrae, post nefandum, et saepe damnatum dogma Pelagii, atque Caelestii, catholica fides quietem habuit, quando eos cum sanae opinionis sequacibus, telis unitae sententiae, Oriens, Occidensque percussit:* memoratque *Atticum* urbe Regia olim eos expulisse. At ipsa demum *oecumenica Synodus Ephesina* anno 431 celebrata, peremptorium tulit in Pelagianos judicium. Acta perierunt. Haec supersunt in ejusdem Relatione *ad Caelestinum* Actione V. *Porro autem perlectis in Sancta Synodo commentariis Actorum in depositione impiorum Pelagianorum, et Caelestianorum, Caelestii, Pelagii, Juliani, Persidii, Flori, Marcellini, Orontii, et eadem cum illis sentientium, quae a Pietate tua de ipsis decreta, et constituta sunt, judicavimus et nos, ea solida, firmaque permanere debere: et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.* Cyrillo nempe Alexandrino, *ad execrandam Nestorianam impietatem*, praebuit Caelestinus *Apostolicum gladium*, ut ait Prosper contra Collatorem Cap. XLI. *quo etiam Pelagiani, dum cognatis confoederantur erroribus, iterum prosternerentru.*

II. *Decretum* quoddam, veluti ab *Ephesina Synodo* latum, obtruditur, Pelagianis favens. Narrat Gregorius Magnus Libro VII. Epistola XXX. alias Libro VI. Epistola XXXI. ad Eulogium Alexandriae Episcopum: *Joannem Jejunatorem* in Causa Monachorum Isauriae, qui haereseos incusabantur, *litteras* ad se *misisse, quibus nitebatur ostendere, eos Ephesinae Synodi definitionibus contradixisse: et velut ex eadem Synodo, certa quibus isti obsisterent, capitula* ad se *destinasse.* Inter quae *scriptum,* inquit, *continebatur de Adae anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod Diabolus in cor hominis non ingrediatur: et si quis hoc dixisset, anathema esset.*

Pelagianam hanc esse thesim Sanctissimus Pontifex observat: probatque, *Adae, qui primus peccavit, animam in peccato mortuam esse: et Diabolum cor hominis peccatoris ingredi*, ut in Evangelio de Juda dicitur: *Et post bucellam intravit in eum Satanas.* Rem eamdem disserit Libro VI. alias V. Epistola XIV. ad Narsem Comitem: *Sententia ista,* inquiens, *evidenter Pelagii est, qui in Ephesina Synodo damnatus est.* Et *ea intentione hoc dixit, ut ostenderet nos a Christo vacue redemptos. Si enim per Adam in anima mortui non sumus (quod dici nefas est), vacue redempti sumus.*

III. *Conciliabulo Ephesino,* quod *Joannes Antiochenus,* tum Nestorii, cum Pelagianorum fautor, anno 431 celebravit, praefatum tribuendum esse Capitulum, jubet *Baronius.* Auctoritate nititur ejus-

dem Gregorii, qui Libro IX. Epistola XLIX. alias Libro VII. Epistola XLVIII. ad Anastasium Antiochenum Episcopum: *Ex annotatione*, inquit, *haeretici Codicis, qui ad me ex Regia urbe transmissus est* (a Joanne Jejunatore) *agnovi per hoc, quod quaedam capitula catholica cum haereticis fuerant reprehensa: quia quidam illam Ephesinam primam Synodum in eadem urbe existimant, quae quondam ab haereticis traditur esse composita*, Joanne Antiocheno praesidente. Et infra: *illa enim Synodus, quae sub primae Ephesinae* (oecumenicae) *imagine facta est* (a Joanne Antiocheno), *quaedam in se oblata capitula asserit approbata, quae sunt Caelestii, atque Pelagii.* Additque demum, praedictum Capitulum Synodo Ephesinae oecumenicae adscribi non posse: *Et cum Caelestius, atque Pelagius*, inquiens, *in ea Synodo sint damnati; quomodo poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur auctores?* Baronium sequuti sunt *Jansenius, Vossius, Usserius, Monachi Sammauraei.*

Falli Viros doctissimos, pro certo habet *Henricus Noris* Libro II. Historiae Pelagianae Cap. IX. Tria adnotat ille ex Magno Gregorio colligi posse. *1. Capitulum*, quod *Pelagianum* existimabat, inter quaedam Synodi Ephesinae excerpta ad se transmissum fuisse. 2. *Oecumenicae Ephesinae Synodo* tribuendum illud non esse, sed neque Conciliabulo Ephesino. 3. *Capitulum* illud nihil esse aliud, quam Pelagiani cujusdam adjectam adnotationem. Primum ex epistola ad Eulogium innotescit: ubi narrat Sanctissimus Pontifex, Joannem Jejunatorem litteras ad se *transmisisse, quibus nitebatur ostendere*, Monachos Isauriae *Ephesinae Synodi definitionibus contradixisse: et velut ex eadem Synodo, certa quibus ipsi obsisterent, capitula ad se destinasse:* inter quae *scriptum illic continebatur de Adae anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod Diabolus in cor hominis non ingrediatur, et si quis hoc dixisset, anathema esset.*

Atqui hocce Decretum neque a Synodo Ephesina oecumenica, neque a Conciliabulo Joannis Antiocheni editum, Gregorii sententia videtur: *quia ergo*, inquientis ibidem paullo infra, *perscrutantes Ephesinam Synodum, nihil in ea tale invenimus contineri; de Ravennati quoque Ecclesia vetustum valde Codicem ejusdem Synodi ad nos deferri fecimus: et Synodo quam habemus, cum ita concordare invenimus, ut in nullo discreparet, et nihil aliud contineret in Definitione anathematis et reprobationis, nisi quod duodecim Capitula* (seu Anathematismi) *beatae memoriae Cyrilli reprobant.* Quod neque factum legitur a *Joanne Antiocheno* in suo *Conciliabulo*. Id postremo, quod Norisius adserit, *Capitulum illud* a Gregorio acceptum nihil fuisse aliud, nisi *Pelagianam quamdam adsutam adnotationem*, exprimere Gregorii verba videntur in Epistola ad Narsem: *Caritas vestra solicitudinem nostrae opinionis habens scribere studuit, quid de illo Codice qui contra Athanasium Presbyterum transmissus est, sensit. Quem nos ex parte aliqua subtiliter percurrentes, in Manichaei invenimus dogma cecidisse. Sed is, qui loca aliqua esse haeretica signo contra posito ostendit, ipse quoque in Pelagianam haeresim labitur: quia quaedam loca catholice dicta, et omnino orthodoxa, velut haeretica annotavit. Hoc enim ubi scriptum est, quia cum peccavit Adam, ejus est anima mortua &c.*

IV. Ita Viri doctissimi. Rem acu tetigisse mihi videtur *Michael Lequienus* in Notis ad Librum Damasceni de Haeresibus num. 80., ubi de *Massalianis* agitur. Docebant errantes illi: *duas in quolibet homine esse animas, communem unam, caelestem alteram:* hac vero *per peccatum exclusa, mori hominem:* atque dum *Diabolum cum homine peccatore* οὐσιωδῶς, *consubstantialiter conjungi: nec ulla Baptismi, alteriusque Sacramenti virtute abigi, nisi per orationem.*

Verissima Lequieni animadversio est: catholicam thesim esse quae enunciat, *Adae animam peccato mortuam esse, et Diabolum in cor ejus qui peccat, ingredi;* at ipsissimam dici blasphemam debere in sensu Massalianorum superius exposito. Hujusce haereseos Auctores fuerunt, Photio teste Codice LII. *Adelphius plebejus homo, et Sabbas Monachorum habitum praeferens.* Synodos plures adversum impietatem habitos memorat ipse: *Sidensem* sub Amphilochio Iconii Episcopo, *Antiochenam* sub Floriano, *Constantinopolitanam* sub Sisinnio circa annum Christi 426 celebratam, aliasque. In ipso *generali Ephesino Concilio* Actione VII. habetur *Definitio contra impios Massalianitas, qui et Euchetae, et Enthusiastae quoque appellantur.* Singuli eorum errores non referuntur, sed generatim damnantur, Actaque contra illos adprobantur. Mentio demum fit *Schedulae Synodicae de illis* (Haereticis) *compositae in Magna Constantinopoli sub beatae memoriae Sisinnio: quae ubi lecta, ab omnibus probata est quod bene sit condita, recteque se habeat.*

Ad Magnum Gregorium ergo miserat *Joannes Jejunator* hunc a Sisinnio *contra Massilianos* editum Libellum. Dubitare non sinunt ipsius Gregorii verba in Epistola ad Narsem: *Ephesinam autem Synodum,* inquientis, *perscrutantes, de Adelphio, et Sava, et caeteris aliis, qui illic dicuntur esse damnati, omnino nihil invenimus.* Utique in definitione Synodi Ephesinae oecumenicae nomina illa non exprimuntur; at sequentia tamen leguntur verba: *Unde ad haec placuit Librum pollutum illius haereseos, qui dicitur Asceticon, anathematizari.* Rem Photius loco citato declarat: *Fecit item,* inquiens, *decretum sacra et oecumenica Synodus Ephesina tertia, quae et illum* (Adelphium) *cum blasphemiis capitibusque Haereseos, quotquot in illorum libro Ascetico essent, detexit, et anathemati subjecit.*

Haec vero cum minus perspecta haberet *Gregorius Magnus,* utpote quod lues *Massaliana* ad Occiduas partes non penetrasset, neque Haereseos auctores noti essent, nihil se invenisse in Ephesina Synodo scripsit *de Adelphio, et Sava, et caeteris aliis, qui illic dicuntur esse damnati.* At in eodem certe *Sisinnii* libello errores *Massalianorum* recensebantur cum haereseos nota: ac inter illos is absque dubio, de quo agimus: neque, *Cum peccavit Adam, ejus est anima mortua, et Diabolus in cor ejus ingreditur.* His exprimi Massalianum impium dogma, non intellexit Gregorius. Cur intellexisset in ea Actorum, quae transmissa fuerant, perturbatione? Catholicam ergo (praeterquam in *Massalianorum* ore) sententiam notari haereseos, miratus est. Notam hanc lati anathematis tribuendam potius esse credidit Pelagianae interpolatrici manui: nihilque non egit, ut de sinceritate Actorum Synodi Ephesinae certior fieret.

Hinc patet quam maxime, *Decretum* nullum ab *Ephesina oecumenica Synodo*, neque a *Conciliabulo Ephesino* Joannis Antiocheni, in gratiam Pelagianorum editum esse: transmissumque a *Joanne Jejunatore* decretum, ad haeresim Massalianorum pertinere.

CAPUT XIII.

Fidem catholicam de peccato originis labefactare nituntur Semipelagiani. Feriunt eos anathemate Synodus Arausicana secunda, ac Summus Ecclesiae Pontifex Bonifacius II.

I. Pelagianae impietatis surculus fuit *Semipelagianorum secta*. Peccatum originale generatione propagatum non inficiabatur; at peccati originalis effectus nimium attenuabat. *Prosper Aquitanus*, Augustino scribens anno 428 aut insequente, de reliquiis Pelagianae Haereseos in Gallia sub catholico nomine latitantibus, haec habet in Epistola, quae inter Augustinianas recensetur num. CCXXV. *Ipsorum* (Massiliensium) *definitio, et professio est: omnem quidem hominem, Adam peccante, peccasse: et neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari.*

Testimonium idem perhibet *Hilarius* in Epistola CCXXVI. *Consentiunt*, inquiens, *omnem hominem in Adam periisse, nec inde posse quemquam proprio arbitrio liberari.* Non *Episcopus*, sed *laicus* erat homo Hilarius, Gallus natione, fortasse Monachus. Diversum putant aliqui ab Hilario *Syracusano*, cujus est ad Augustinum epistola num. CLVI. alias LXXXVIII. de Pelagianis erroribus apud Syracusas in Sicilia disseminatis: eumdem credunt alii, ideo *Syracusanum* nuncupatum, quod ea in urbe maneret.

Utriusque, *Prosperi*, et *Hilarii*, acceptis litteris Augustinus, Massiliensium querelis satisfacere adgressus est in Opere *de Praedestinatione Sanctorum*, ad eosdem scripto. Rectam fuisse Massiliensium fidem de peccato originis, et ipse testatur: *Pervenerunt*, inquiens, Cap. I. *isti Fratres nostri* (Massilienses), *pro quibus sollicita est Caritas vestra, ut credant cum Ecclesia Christi: peccato primi hominis obnoxium nasci genus humanum; nec ab isto malo, nisi per justitiam secundi Hominis, aliquem liberari.* Quinetiam denique *Faustus*, Britannus patria, deinde Lirinensis Abbas, tum ad Rejensem Episcopatum adsumptus, Semipelagianis erroribus occupatus, passim Pelagium redarguit, quod originale peccatum negaverit. Verba refero, quae Libro I. de gratia Dei, et humanae mentis libero arbitrio habentur Cap. II.: *Attendat etiam hoc Pelagius. Si per Baptismi donum, inquit, tollitur originale peccatum, de duobus baptizatis nati debent hoc carere peccato. Quomodo, inquit, mittunt ad posteros, quod ipsi in se minime habuerint? Quibus facile respondetur &c.*

Haec licet fateantur illi; attamen nocumenta, quae peccato originis inferuntur, nimium attenuant; ut in errorem recidant, quem inficiantur. Rem hanc animadvertit Prosper in Carmine de Ingratis Cap. IV. a v. 126.

„Atque *perempti*
Dogmatis extinctas tentant *animare* favillas:
Dum libertatem arbitrii, affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tum bona quemque docent, sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.
Quod qui confirmas, quinam distabis ab illis,
Qui dicunt, *nullo peccati vulnere laesum*
Naturale bonum; cumque illo lumine nasci
Nunc omnes homines, quod primis ingeneratum est?“

Uberius argumentum confirmat, ac illustrat Cap. XXXIX. a v. 817:

Non igitur *cum damnatis sentire* videntur,
Cum dicunt, *mortem in cunctos transisse per unum*
Primum hominem, cujus *crimen resperserit omnes*:
Nec quemquam in vitam aeternam, nisi fonte renatum,
Venturum; infantesque reos hoc munere solvi,
Quos prima ad mortem generaliter edat origo.
Sed *cum damnatis sapiunt, damnataque produnt,*
Cum dicunt, nihil esse animis per vulnus avitum
Detractum decoris: splendoremque omnibus illum
Hunc talem innasci, qualis fuit ante ruinam.
Hinc libertatem arbitrii discernere sano
Posse oculo cordis, quidquid sit rite gerendum.“

Error *Cassiani* erat: inesse omni animae naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta: quae si Dei opitulatione fuerint excitata, ad incrementum possunt pervenire perfectionis. Id esse perinde, ac originis peccatum inficiari, reponit Prosper contra Collatorem Cap. XIII. alias XXVII. *Si dubitari non potest*, inquiens, *inesse omni animae naturaliter virtutum semina, beneficio Creatoris inserta; solus Adam praevaricatus est, et in peccato ejus nemo peccavit. In nullis iniquitatibus concepti sumus, et in nullis nos Matres nostrae peperere delictis. Non fuimus natura filii irae, nec fuimus sub potestate tenebrarum: qui manentibus in nobis naturaliter virtutibus, filii potius nati sumus pacis, et lucis.*

Scilicet *Pelagiani* omnia, quae ad fidelem piamque vitam hominum pertinent, libero tribuebant voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non a Domino poscenda. Solum *initium fidei*, quo etiam intelligitur bonae seu piae initium voluntatis, inficiabantur *Semipelagiani* donum Dei esse. Ex nobis nos habere inquiebant, ut *credere incipiamus:* cetera religiosae vitae bona a Deo per gratiam suam donari quaerentibus, petentibus, pulsantibus. Id explicabant *aegroti similitudine*, qui non advocat Medicum, nisi praecedat bona de illo aestimatio, seu humana credulitas qua credit eum posse, et velle sanare: quin bona ista de Medici scientia et benignitate credulitas, ipsiusque advocatio, et salutis desiderium partem habeant in opere curationis; quae potius tota Medico adscribenda est, et medicamentorum virtuti. Non absimili ratione, totum salutis, et curationis animae opus tribuendum esse profitebantur auxilio divinae gratiae,

atque virtuti, non hominis ipsius naturae sauciae et languenti: licet homo sibi congenitis viribus, et ad hoc sufficientibus in Medicum credere valeat ac debeat, ejusdemque opem ac benignitatem petere, et implorare: quo demum naturali sanitatis desiderio adjuvari prae aliis mereatur, seque ab infidelibus segnibusque discernat, qui hocce *initium fidei* non habent. Vel istas porro vires veluti nativas arbitrio concedere, perinde existimat *Prosper* ac idem arbitrium originali culpa vitiatum, extenuatumque non agnoscere; ipsamque originalem culpam inficiari, aut certe labefactare.

II. Serpentem errorem praeciderunt *Arausicanae II. Synodi* Patres anno 529 duobus editis decretis. Primum est: „Si quis per offensam praevaricationis Adae non totum, idest secundum corpus, et animam, in deterius dicit hominem commutatum: sed animae libertate illaesa durante, corpus tantummodo corruptioni obnoxium credit; Pelagii errore deceptus adversatur Scripturae dicenti (Ezechiel. Cap. 18. v. 20.): *Anima quae peccaverit, ipsa morietur.* Et (ad Rom. Cap. 6. v. 16.): *Nescitis, quoniam cui exhibuistis vos servos ad obediendum, servi istis ejus cui obedistis.* Et (2. Petri Cap. 2. v. 19). *A quo quis superatur, ejus et servus addicitur.*“ Decretum alterum: „Si quis soli Adae praevaricationem suam, et non ejus propagini asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur: injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti (ad Rom. Cap. 5. v. 12): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*“

Semipelagianis praeluserat *Julianus*, Eclanensis Episcopus. Is errorem Pelagianum emollire sategit transitu *mortis* in omnes homines admisso, non *peccati*. Peccatum etiam generatione propagari fatebantur Semipelagiani: at nocumenta, quae inde proficiscuntur, nimium attenuabant. Haereses istas damnarunt *Arausicani Patres*, qui ceteris editis fidei decretis, propius insequuti sunt Semipelagianos.

Arausicanos Canones ex quibusdam *Capitulis ab Apostolica Sede*, seu a Felice IV. *transmissis*, agente *Caesario Arelatensi Episcopo*, efformatos esse, colligitur ex ejusdem Synodi Praefatione. Accessit demum *Bonifacii II.*, qui anno 530 successit *Felici IV.* die 21. Septembris, amplissima confirmatio. Ejus extat *ad Caesarium* epistola. Refert Sanctissimus Pontifex: *Aliquos Episcopos Galliarum, cum caetera jam bona ex Dei adquieverint gratia provenire, fidem tantum qua in Christo credimus, naturae esse velle, non gratiae: eamque fidem hominibus ex Adam (quod dici nefas est) in libero arbitrio remansisse: non etiam nunc in singulis, misericordiae divinae largitate, conferri.* Tum editos Canones confirmat: *Unde nimis eos qui contra sentiunt*, inquiens, *admiramur, usque eo vetusti erroris adhuc reliquiis praegravari, ut ad Christum non credant Dei beneficio, sed naturae veniri; et ipsius naturae bonum, quod Adae peccato nascitur depravatum, auctorem nostrae fidei dicant magis esse, quam Christum.*

CAPUT XIV.

Pelagiana commenta sequiore aetate instaurat Petrus Abaelardus. Latius propagant Huldricus Zuinglius, Arminiani, Sociniani, aliique.

I. *Pelagianae haereseos* non defuere patroni sequioribus Ecclesiae saeculis. Praecipuos, famosioresque memoro. Inter Haeresum *Capitula Petri Abaelardi*, quae Romam *ad Innocentium II.* anno 1140 transmisit *Bernardus*, Abbas sanctissimus Claraevallensis, cum Epistola CXC. in editione Mabilloniana, ut eadem ex Epistola colligitur Cap. IX. haec habentur commenta, quae ad impietatem Pelagianam spectant: „Sciendum est, quod cum dicitur: *originale peccatum est in parvis*, hoc dicitur *pro poena temporali*, *et aeterna*, quae debetur eis ex culpa primi parentis ... Similiter dicitur: *in quo omnes peccaverunt;* ideo scilicet, quia Seminarium omnium erat in illo, qui peccavit. Non tamen inde provenit, *quod omnes peccassent*, qui non erant: et qui non est, non peccat.“

In Epistola CLXXXVIII., quae ad Episcopos, et Cardinales Curiae inscribitur, sic ait Bernardus: „Legite *Librum Petri Abaelardi*, quem dicit *Theologiae* .... Legite et alium, quem dicunt *Sententiarum ejus:* nec non et illum qui inscribitur, *Scito te ipsum*. Et animadvertite, quanta et ipsi silvescunt segete Sacrilegiorum, atque errorum: quid sentiat *de Anima Christi .... de peccato originali &c.*“ Librum Abaelardi, *Scito te ipsum*. vulgavit Bernardus Pezius Tomo III. Thesauri Anecdotorum Parte II. In ejusdem Capite XIV. sic ait ille: *Cum parvulos originale peccatum dicimus habere, vel nos omnes secundum Apostolum in Adam peccasse; tale est, ac si diceretur, a peccato illius originem nostrae poenae, vel damnationis sententiam incurrisse.* Error est *Juliani* commento conformis, a Synodo Arausicana II. percussus anathemate.

II. In eamdem incidit haeresim *Huldricus Zuinglius*, in Pago Doggiorum natus in Helvetia; Glaronensis primum, postea Eremitanae Ecclesiae pastor; ad urbis demum Tigurinae Paroeciam administrandam vocatus. Annos 1519 errores plurimos gregi sibi commisso afflare coepit. Commentum ejus de peccato originali legitur in Declaratione ad *Urbanum Rhegium*, Augustanum Ministrum. Verba sunt: *Originalis culpa morbus est, non peccatum: quia peccatum cum culpa conjunctum est, culpa vero ex commisso, vel admisso ejus nascitur, qui facinus designavit. Exemplum do. Servum nasci misera conditio est, non culpa ejus qui sic nascitur, neque crimen. Qui enim nascitur, nondum quidquam admisit, vel commisit. Si ergo dicat quis: Majores ejus commiserunt, ut in servitutem redigerentur tam ipsi, quam ex sese prognati. Ergo crimen fuit, ex quo culpa: quam deinde servitus, seu multa, seu poena sequuta est. Recte sane. Hoc ipsum volo: culpam originalem non vere, sed metonymice a primi parentis admisso culpam vocari. Esse autem nihil aliud, quam conditionem, miseram quidem illam: at multo leviorem, quam crimen mereatur.* It ergo inficias: *Baptismi lavacro ullum peccatum tolli.* Adseritque: *durius definiri, Christianorum liberos, si tincti non sint, aeternae damnationi alligari.*

Postrema haec pars a Petri Abaelardi commento differt. Pura puta *Juliani Eclanensis Episcopi* impietas est.

Inter Theses, quibus *Arminiani*, sive *Remonstrantes* exposuerunt quosdam Articulos, Ordinibus Hollandiae et Frisiae anno 1611 oblatos, haec habetur, quae spectat peccatum originale: *Quia Deus universum genus humanum in reconciliationis gratiam assumpsit; et cum Adamo, omnibusque ac singulis ejus posteris gratiae foedus iniit: nemo nec infans, nec adultus propter originale peccatum damnationi est obnoxius.* Arminiani dicti sunt a *Jacobo Arminio*, quondam Amstaelodamensi Ministro, postea Theologiae Lugduni Batavorum Professore. Contempta Calvini, Bezae, Petri Martyris, Zanchii, et aliorum Sectae Doctorum auctoritate, acres controversias excitavit circa praecipua dogmata *de Gratia Dei, et libero hominis arbitrio, de justificatione, de perfectione hominis in hac vita, de praedestinatione et reprobatione, de perseverantia, de peccato originali.* Nomen etiam *Remonstrantium* subiere; quo scilicet nomine in *Libellis,* quos Ordinibus Hollandiae offerebant, sese indigitabant:

Socinos memoro, *Lelium,* et *Faustum,* Patruum et Nepotem, saeculi XVI. haereticos. Insequentes de peccato originali cuderunt errores. *1. Hominem ante lapsum, non fuisse immortalitate donatum: nec mortalitatem, neque mortem naturalem per peccatum in mundum intrasse, sed moriendi necessitatem, et mortem aeternam. 2. Justitiam originalem in primo homine, ante lapsum fuisse nullam. 3. Peccatum originis nullum esse. 3. Baptismum aquae a Christo praeceptum non fuisse: eoque posse hominem christianum carere, et abstinere.* Quod ita declarant illi: *ut sit quidem in Baptismo aquae per Christi resurrectionem instituto aliquid, quod ad remissionem peccatorum aliquo modo pertineat; scilicet publica et aperta Jesu Christi nominis professio, sine qua liberatio a peccatorum reatu contingere nemini potest: quin professio tamen ista externae ablutioni alligata sit, adeo ut alio etiam modo fieri non queat, quemcumque vel Ecclesia pro temporum et locorum conditione elegerit, vel res ipsa per se necessario tulerit.* Errantes alios, erroresque recensere praetereo, de quibus infra occasione data sermo erit.

CAPUT XV.

Pelagianae haereseos capita duo praecipua. Adversa Pauli Apostoli doctrina. Ricardus Simonius a Bossueto, Episcopo Meldensi, notatus.

I. Haereseos Pelagianae summa ad capita duo praecipua redigitur. Primum est: *Peccatum Adami ipsum laesisse solum, non genus humanum: nasci nunc homines, quemadmodum fuerat Adam ante praevaricationem, cum viribus, et potestate ad virtutem, et culpam: naturae demum conditione mori homines, non peccati merito; quia et Adam moriturus fuisset, tametsi non peccasset.* Commentum protulerunt, ac tenuere *Caelestius,* et *Pelagius,* quorum sententias jam saepius attulimus. Instauratum a Socinianis hodieque viget.

Alterum est: *Mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem peccatum quod est mors animae, per unum hominem in omne genus humanum transire.* Ita sentiebant *Julianus Eclanensis Episcopus*, aliique complices ejus, auctoresque Libelli oblati Augustino Episcopo Aquilejensi. Testem habemus Augustinum, qui Libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum, ubi Juliani Epistolam refellit *ad Rufum Thessalonicensem Episcopum transmissam*, sic ait Cap. II. *Dicunt, ex Adam nihil mali transisse per caeteros, nisi mortem. Quae non semper est malum, inquiunt, cum et Martyribus sit causa praemiorum: et bonam, vel malam dici faciat, non resolutio corporum ... sed meritorum diversitas, quae de humana libertate contingit.* Errorem hunc amplexatus est *Zuinglius:* qui cum *culpam*, et *culpae mulctam* seu *poenam*, scilicet mortem, aliasque miserias humanae vitae, in Adamo peccatore agnoscat; non *illam*, sed *istas* in nos transire contendit: non tamquam proprie poenam, sed veluti miseram conditionem, quam primi parentes meruerunt.

His adversatur Ecclesia Catholica. Fidem orthodoxam, ac universalem Christianorum consensum proposuere *Romani Pontifices* plures, Concilia *Africana*, Synodus *Arausicana Secunda*. Tridentinum denique Concilium definitionem tulit: *Adam primum hominem, in Paradiso positum, divini mandati transgressione, justitiam et sanctitatem in qua fuerat constitutus, amisisse: per illam praevaricationis offensam in deterius secundum corpus, et animam commutatum esse: neque se solum, sed posteros inquinasse: ac in omne genus humanum transfudisse peccatum, et hoc unicuique esse proprium.*

II. Fidem hanc dissertissime tradit *Apostolus* ad Romanos Cap. V. Integram refero sententiam. V. 12. „Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita *in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* V. 13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. V. 14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri. V. 15. Sed non sicut delictum, ita et donum: si enim *unius delicto multi mortui sunt,* multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. V. 16. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam judicium quidem *ex uno in condemnationem,* gratia autem ex multis delictis in justificationem. V. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae, et donationis et justitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. V. 18. Igitur sicut *per unius delictum in omnes homines in condemnationem:* sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae. V. 19 Sicut enim *per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* ita et per unius obeditionem justi constituuntur multi.“

Breviore sententia rem totam complectitur *Apostolus* Epistola I. ad Corinthios Cap. XV. v. 21. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Et Epistola II. ad eosdem Cap. V. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt: et*

pro omnibus mortuus est Christus. Et ad Ephesios Cap. II. v. 3. *Eramus natura filii irae, sicut et ceteri.* Apostolicae doctrinae, ac fidei christianae summa est, admonente Augustino Libro de peccato originali Cap. XXIV. *In caussa duorum hominum (quorum per unum venumdati sumus sub peccato; per alterum redimimur a peccato, per unum praecipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam: quorum ille nos in se perdidit, faciendo voluntatem suam, non ejus a quo factus est; iste nos in se salvos facit, non faciendo voluntatem suam, sed ejus a quo missus est) in horum ergo duorum hominum caussa proprie fidem christianam consistere.*

III. In hac fide Ecclesiae Catholicae ancipitem, ac novis Pelagianis, veteribusque veluti propensum, illustrissimus doctissimusque Jacobus Benignus Bossuetus, Episcopus Meldensis, notat Ricardum Simonium Presbyterum Gallum. Auctoris dicta plura, quae decerpta sunt ex *Historiae Criticae* Tomo IV., ubi *de praecipuis Novi Testamenti Expositoribus* agitur, ad examen vocat ille in Opere gallice scripto, inscriptoque, *Défense de la Tradition, et des Saints Pères,* quod exstat in tertio Operum ejus Volumine, anno 1753 edito Amstelodami, ut legitur. Intemperatioris criticae hominem passim redarguit: ab eoque Catholicae Ecclesiae fidem *de peccato originali*, deque *Gratia Dei* plurimum attenuari, aut certe labefactari, ostendit.

Agit Simonius loco citato Cap. XI. *de Sancti Joannis Chrysostomi Homiliis in Acta Apostolorum, et in Epistolam Pauli Apostoli ad Romanos:* habetque latine reddita, quae sequuntur verba, pag. 171. *Videtur* (Chrysostomus) *potius de poena peccato debita, scilicet de morte, quam de ipso peccato intellexisse Apostolum: Sicut per unum hominem* (inquientem) *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* „Haec propositio sic enunciata (inquit Bossuetus Libro VII. Cap. X.) in Synodo Tridentina disserte damnata est Sess. V. Can. II.... Simonii animadversio in Joannem Chrysostomum evincit, ipsum more suo in id incumbere, ut Patrum traditionem interrumpat, Patribusque patentes errores affingat."

Ac sane argumenta infirmare nititur, quae ex Traditione, et ex Scripturis promebat Augustinus, ut originale peccatum ostenderet adversum Pelagianos. Praecipuum *Traditionis* fundamentum repetebatur ex necessitate baptismi parvulis infantibus administrandi. At Simonio si credimus; *ratio ista, quam Augustinus ex Baptismate, et Eucharistia sumebat, ac si utrumque Sacramentum parvulis necessarium foret, ut soluti peccato salutem consequerentur aeternam, non videtur concludere.* Haec ejus habentur verba loco citato Cap. XX., ubi *methodum* expendit *ab Augustino servatam in exponendis Novi Testamenti Sententiis contra Pelagianos adhibitis.* Ita vero disserentem ipsum insequitur Meldensis Episcopus in Opere laudato Libro I. Cap. X. et seq. et Libro VII. Cap. XII. Consule quae nos adnotavimus Cap. IX. num. 1.

Bossueti verba sunt loco posteriore citato: „Ad *scripturam* quod attinet, praecipuum momentum in eo textu positum est, quem latine sic effert Augustinus: *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo*

omnes peccaverunt. Prae vocibus illis, *in quo*, quae peccati originalis propagationem manifeste evincunt, totus est Simonius ut versionem inducat, *quatenus*, *quia*, *eo quod*, utpotequae ad sensum Pelagianum facilius detorqueri potest.“ Vide, quae disserit hac de re Cap. XI. citato pag. 171. et Cap. XLIV. pag. 661. et alibi data occasione. Quis vero non admiretur studium Auctoris, ut priorem turbet lectionem, quam habet *Versio vulgata*, habebatque antiqua *Itala* dicta, adhibueruntque vetusti Patres latini, et etiam Graeci non pauci, suaque firmavit auctoritate *Synodus Tridentina*, firmaruntque Concilia *Milevitanum*, *Carthaginense*, et *Arausicanum* secundum. Quamquam demum adnotandum est, utraque versione felicissime contra Pelagianos pugnasse Augustinum.

Eodem in Libro VII. Cap. VII. praecedente refert Simonii verba Bossuetus ex ejus Cap. XX. pag. 289. „Non dubito, inquientis, Sanctum Augustinum verborum Apostoli ad Ephesios, *eramus natura filii irae*, litteralem sensum adsecutum esse, eaque merito intellexisse *de peccato originali:* quoniam *τὸ natura*, sive *naturaliter*, ut legit sanctus Doctor, perinde est atque *originaliter*. Verum Sanctus Hieronymus diligentius adnotat, vocem illam φύσει ambiguam esse, ac verti posse, *prorsus*, aut *omnino*. Ita obscura est vox, *ira:* quae divinis in scripturis accipitur etiam pro *poena:* unde sensus foret, promeritos nos esse ut puniremur.“ Patet hominis nimium critici haud bona fides. Augustini expositionem laudare videtur, tum ipso accuratiorem laudat Hieronymum. Perperam ait, *legisse* Augustinum *naturaliter*. Constantissime legit, *natura*, Libro VI. contra Julianum Cap. X. num. 33. et Libro Operis imperfecti Cap. CCXXVIII. et Libro IV. Cap. CXXIII. Quo in loco observat ille: *quod quidam non ad verbum, sed ad sententiam sunt interpretati dicentes: Fuimus enim et nos aliquando naturaliter filii irae;* qua interpretatione, non lectione usus est ipse Augustinus Libro II. de peccatorum meritis, et remiss. Cap. X. num. 15. Perperam etiam ait, *accuratiorem esse Sanctum Hieronymum.* Legit namque Hieronymus in Commentario Epistolae ad Ephesios, *natura filii irae:* et hanc lectionem, veluti genuinam exponit. Num vero sic adnotat: „Quidam pro eo, quod nunc exposuimus, *et eramus natura filii irae*, pro *natura*, *prorsus* sive *omnino*, quia verbum ambiguum est, transtulerunt. Quod et si sic sonet, juxta ea quae diximus, exponendum est.“ Quid est vero accuratius in Hieronymo, quod non viderit Augustinus? Ac demum sicut Augustinus, ita Hieronymus lectionem posteriorem redigit ad priorem.

Alia Simonii dicta, quae Socinianis favere videntur, sumptaque sunt ex veteribus Pelagianis, expendit doctissimus Meldensis Episcopus toto in Opere citato: germanumque scripturarum sensum tuetur, ac Patrum utriusque linguae traditionem vindicat. Haec libuit de *Ricardo Simonio* hoc loco praemittere. Ecclesiae Catholicae fidem diligentiore studio vindicare pergimus.

CAPUT XVI.

Eadem Apostoli doctrina diligentius declaratur: ac primum instituta comparatio expenditur cum prothesi, et apodosi. Commatis duodecimi lectiones variae. Regnum peccati, et mortis: varians quaedam Textus lectio. Alia, quae sequuntur commata, illustrantur.

I. Singulas jam sententiae apostolicae partes diligentius expono, ut germanus innotescat sensus. Verba sunt v. 12. *Propterea sicut per hominem*, *ὥσπερ*. Instituta ab Apostolo *comparatio* indicatur. *Prothesim*, seu partem comparationis priorem exhibent allata verba: non ita patet *Apodosis*, seu pars altera, ac redditio. Hanç superioribus in verbis contineri putant aliqui: nempe v. 11. *Per quem*, Jesum Christum, *nunc reconciliationem accepimus*. Unde sensus fuerit: ita nos per Jesum Christum reconciliationem accipere, sicut per unum hominem in hunc mundum intravit peccatum. Hanc habet Augustinus interpretationem Libro VI. contra Julianum Cap. IV. simulque observandum proponit adverbium illud, *Propterea;* ut addiscamus, in *Apodosi* reconciliationem per Christum adduci veluti effectum: et in *Prothesi* peccatum, quod per unum hominem intravit in mundum, veluti causam, aut occasionem. Verba ejus accipe: „*Per quem nunc et reconciliationem accepimus*. Et tamquam causa quaereretur, quare per unum mediatorem hominem (Jesum Christum) fiat illa reconciliatio: *propter hoc* (seu *propterea*), inquit, *sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*" Augustino adhaeret Thomas Aquinas in Commentario.

In hoc Apostoli loco esse *Ἀνανταπόδοτον, Anantapodoton*, arbitrantur alii: figuram nempe Atticis familiarem, ubi comparationis pars altera non redditur, facile tamen subintelligenda, ac supplenda. Fuerit ergo sensus: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit in quo omnes peccaverunt:* ita per unum hominem Jesum Christum intravit justitia, et per justitiam vita. Hanc legimus expositionem apud Origenem Libro V. in Epistola ad Romanos: „Ubi dicitur, *Propterea sicut*, necessarium videtur quod addi debeat adimpletio quaedam, ut dicatur: *ita et illud, vel illud;* ut et ipse (Apostolus) in nonnullis aliis locis scribit. V. g. cum dicit (I. ad Corinth. Cap. XV. V. 22.) *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Hic autem dum dixit: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit;* non retulit, ut diceret verbi causa: *ita et per unum hominem justitia introivit in hunc mundum, et per justitiam vita, et sic in omnes homines vita pertransiit, in qua omnes vivificati sunt*. Hoc enim videbatur propositi eloquii sensus expetere."

Tertiam idem Origenes affert ibidem interpretationem. In Apostoli loco censet, *ὑπέρβατον, hyperbaton*, cubare: aut longam inferi *parenthesim* a commate 13. usque ad comma 15. vel potius 18. ubi *Prothesi* paucis repetita, statim redditur *Apodosis*. Origenis verba

sunt: „Alius fortasse dicit, quia hoc quod videtur deesse in his quae supradiximus secundum elocutionis ordinem, tarde quidem, sed in posterioribus redditur, ubi dicit: *Sed non sicut delictum, ita et donatio. Si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Et asserit, ex his completa esse quae defuisse in superioribus videbantur. Nec multum interesse, quod ibi *in omnes homines* dixerit *pertransisse peccatum:* hic vero *donum, et gratiam Jesu Christi in plures abundasse;* cum et *omnes homines* plures esse intelligantur, et *plures* omnes intelligi non videatur absurdum. Maixme cum in sequentibus dicat apertius (V. 18): *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: ita et per uniu; justitiam in omnes homines ad justificationem vitae.*" Haud infrequens haec in Apostolo Paulo figura. Expende tertium ad Ephesios caput, ubi sententiam V. 1. inchoatam, post longam parenthesim, explet demum, ac perficit V. 14. Alia fert loca Irenaeus, quibus permotus haec habet Libro III. contra Haereses Capite VII. num. 2. *Hyperbatis frequenter utitur Apostolus, propter velocitatem sermonum suorum, et propter impetum, qui in ipso est, Spiritus.*

Tres allatae interpretationes maxime consilio, quod Apostolo insederat, innituntur, comparationem instituendi inter *Christum*, et *Adamum*. Diserte ait V. 14. *Adam esse formam futuri,* Jesu Christi. Luculentissima sunt, quae sequuntur. V. 18. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* V. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obeditionem justi constituentur multi.* V. 21. *Sicut regnavit peccatum in mortem: ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam per Jesum Christum Dominum nostrum.* I. ad Corinth. Capite XV. V. 21. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* V. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Alia Interpretum sententia est, *Apodosim* comparationis his efferri verbis: *et per peccatum mors.* Particulam *et* accipiunt pro *ita:* ut in illis etiam verbis Orationis Dominicae, *fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra.* Sensum habes: *sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum; ita per peccatum mors.* Quae insequuntur verba: *et in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt,* utramque institutae comparationis partem magis declarant, *ordine retrogrado;* posito etiam adverbio *ita* ad ea, quae dicta sunt, magis firmanda. Aptissimam Thomae Aquinatis animadversionem accipe, ex ejus Commentario desumptam: „Deinde cum dicit, *Et ita in omnes &c.* ostendit universalitatem hujus processus, et *quantum ad mortem,* et *quantum ad peccatum, ordine* tamen *retrogrado.* Nam supra prius agit de ingressu peccati, qui est causa ingressus mortis: nunc autem prius agit de universalitate mortis, tamquam de manifestiori. Et hoc est, quod dicit: *et ita mors . . . pertransiit in omnes homines;* quia scilicet per originem vitiatam contrahunt homines necessitatem moriendi . . . . Deinde tangit *universalitatem* processus peccati, cum dicit: *in quo omnes peccaverunt.*"

Jacobus Faber, Stapulensis cognominatus, *Apodosim* collocat in illis verbis: *ita in omnes homines mors pertransiit*, veluti superfluam conjunctionem *et ita* rejiciens. Hominis audacia merito reprehendenda, cum omnes Codices Graeci, Latini, Syri, conjunctionem habeant. Eadem praeterea *Prothesis* foret, et *Apodosis*, ordine solum immutato; adeoque insulsa comparatio. Accipe illam: *sicut per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors: ita in omnes homines mors pertransiit, et peccatum.*

II. *Per unum.* Erasmus vertit, *propter unum.* Perperam, ac spreta omnium interpretum auctoritate. Graecum adverbium διὰ cum genitivo significat *per:* notatque causam. Exempla plurima vide apud Georgium Pasorem in Lexico Graeco-latino in Jesu Christi Domini nostri Novum Testamentum. *Per unum hominem.* Evam intellexit Ambrosiaster. At δἰ ἑνος, cum sit generis masculini, satis indicat hominem virum, non feminam: ac certe *Adamum* semper opponit *Christo* Apostolus. Cur vero non per *Evam*, non per *Diabolum*, qui prius peccaverunt? Agit nimirum Paulus de peccato quidem actuali personae, sed simul etiam originali, in posteros propagato. *Et ita in omnes homines mors pertransiit.* Desideratur ὁ θάνατος in aliquibus codicibus. Truncum etiam Pelagiani afferebant textum, *et ita in omnes homines pertransiit*, apud Augustinum Libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite IV. num. 7. Hinc *ibi volebant*, admonente Sancto Patre, *intelligi non peccatum pertransiisse, sed mortem.* Immo utrumque transiisse, evincit ordo retrogradus ab Aquinate notatus. *In quo omnes peccaverunt.* Julianus apud Augustinum Libro VI. contra ipsum Capite XXIV. vertebat, aut interpretabatur *in quo, ac si diceretur propter quod:* seu *quatenus, inquantum, eo quod*, Erasmo etiam consentiente. Nec mira tamen, neque rara prior versio, ἐπὶ cum dativo frequentissime significante *in*, apud sacros, prophanosque Scriptores. Exempla colligunt Lexicographi, et Interpretes. Hanc vindicat Augustinus, ac ita Apostoli verba intelligenda docet, ut omnes peccaverint, *non in morte;* quomodo enim peccasse omnes in morte, intelligi potest? *Non in peccato*, nam in textu ἁμαρτία feminini generis est: masculini vero, ἐφ' ᾧ. Igitur in *ipso Adamo.* Locum indicatum ex opere contra duas epistolas Pelagianorum consule. Loco altero contra Julianum, versionem posteriorem non rejicit num. 75. Hac de re superiore Capite egimus num. III. ac deinceps agemus.

III. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* In illis verbis, *qui non peccaverunt*, negans particula deest in aliquibus exemplaribus. Augustinus Libro I. de peccatorum meritis et remissione Capite XI. num. 13. *Scio*, inquit, *plerosque latinos Codices, negante particula carere. Graeci autem Codices, unde in linguam latinam interpretatio facta est, aut omnes, aut pene omnes . . . habent.* Sinceritatem lectionis tuetur *Joannes Millius* in Notis ad hunc locum, tum exemplarium Mss. universim, et versionum antiquissimarum, atque fere omnium Patrum auctori-

tate, tum argumento quod Apostoli consilio apprime conveniens putat. „Id enim Apostolus contendit (verba ejus afferre liceat), *peccatum fuisse in mundo*, et hoc item (vere) imputatum fuisse; in eos siquidem, qui *ante Moysem* vixerunt, regnavit mors, poena peccati. *Imputari* vero non posse peccatum, ubi non sit lex. Legem autem per hoc temporis intervallum *ab Adamo ad Moysem*, latam fuisse nullam. Nihilominus per omne illud tempus, imperio mortis subjectos eos etiam fuisse, qui *non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, hoc est contra legem Dei positivam aliquam: necdum enim ulla dabatur. Adeoque dicendum: *legis primaevae*, quae una hactenus lata est, legis inquam *Adamo datae*, violationem imputatam ipsis fuisse: et ideo mortuos." Quae postrema verba sic intellige: ut peccatum, quod contra *primaevam legem* commissum intravit per unum hominem in hunc mundum, in omnes etiam homines cum morte pertransierit. „Haec Apostoli mens (inquit ille). Quam cum aliqui minus assequerentur, ut videtur, nec intelligerent, quomodo *mors regnaverit in eos, qui non peccarunt*, maxime quia dixerat Apostolus paullo ante, *in Adamo omnes peccasse*, particulam μὴ, non, eradendam putarunt: inepte admodum."

Variae sunt apud Interpretes expositiones, quae demum in id recidunt omnes: *ex regno*, seu universalitate mortis, colligi ab Apostolo *universalitatem peccati*, quod sicuti omnes inficeret, ita mortis omnium causa esset. Tempus, aut statum hominum *usque ad legem* vocat ad examen: *ad legem* scilicet κατ' ἐξοχὴν dictam, seu *legem Moysaicam*. Quod ipse Apostolus statim explicat, *ab Adam*, inquiens, *usque ad Moysem;* ut frustra sint commenta, quae in hunc locum excogitavit *Praeadamitarum* adsertor. Consule Augustinum Calmetum in Commentario ad hunc locum. Hoc inquam tempus, et hunc hominum statum maxime expendit Apostolus, ut peccatum universale fortius evincat. Eo namque tempore *regnavit mors:* sed eo tamen tempore *lex lata non erat*, quae poenam certam statueret, vel quae mortem loco poenae inflictam doceret, vel quae notitiam peccati efficeret, tametsi legem naturalem cordibus insculptam violarent homines. Sicuti ergo *mors*, ita *peccatum erat in mundo usque ad legem*, seu ante legem Moysis. Quod *peccatum non imputabatur*, aut non videbatur imputari, cum eo tempore *lex non esset*, quae poenam certam statuerent, ut dicebamus, vel quae mortem loco poenae inflictam doceret. Sed attamen fuerat antea imposita Adamo lex Capite II. Geneseos V. 17. *de ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas:* eademque lege mors comminata, ac statuta legitur: *in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Mors igitur, quae *regnabat ab Adam usque ad Moysem*, illa erat quae in eadem lege Adamo peccanti per esum ligni vetiti comminata fuerat. Itaque peccatum, quod eo tempore per aliquam legem non imputabatur, *erat* sine dubio *in mundo usque ad legem*, sèu ante legem Moysi datam: illudque imputabatur per eam legem, quae fuerat Adamo imposita. Adeoque verum est, peccatum, quod *erat in mundo* ante legem, illud fuisse quod Adamus patravit: ac adeo rursum verum est, mortem quae *regnavit ab Adam usque ad Moysem*, illam fuisse, quae in lege Adamo imposita legitur comminata; ut mors regnaret *etiam in eos, qui non*

peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, scilicet infantes: ac istos tametsi peccatum nullum actuale inficeret, inficeret attamen peccatum Adae, *in quo omnes peccaverunt.* Aliae Capite sequente adducendae sunt hujus loci interpretationes.

Negotium facessit nullum varia textus apostolici lectio sine particula negante: *etiam in eos, qui peccaverunt &c.* Genuinum sensum exponit Augustinus Libro I. de peccatorum meritis et remissione Capite XI. num. 13. *Qui ita legunt* (inquiens), *ad eumdem referunt intellectum: ut in similitudinem praevaricationis Adae peccasse accipiant, qui in illo peccaverunt; ut ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, ex morituro morituri, damnatoque damnati.* Paucissimi fuere Patres, qui sine *particula negante* legerent: *Ambrosiaster, Origenes, Sedulius.* Unus est *Ambrosiaster*, qui vitiatos codices contendit, in quibus negatio apponitur. Particulam *non*, legit *Origenes* in Commentario in Joannem: ac utramque *Sedulius* lectionem exponit.

IV. *Qui est forma futuri, τύπος τοῦ μέλλοντος. Futurum genus humanum* intelligunt nonnulli, ex Adamo propagandum: *futurum Christum*, alii. Sensum priorem sic illustrat Augustinus loco citato: *Qui est forma futuri; quia in illo constituta est forma condemnationis futuris posteris, qui ejus propagine crearentur: ut ex uno omnes in condemnationem nascerentur, ex qua non liberat nisi gratia Salvatoris.* Sensum alterum exponit Libro II. de nuptiis, et concupiscentia Capite XXVII. num. 46. „*Qui est forma futuri.* Cujus futuri, nisi Christi? Et qualis forma, nisi a contrario? Quod alibi etiam breviter dicit (I. ad Cor. 15. V. 22.): *sicut in Adam omnes moriuntur: ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Sicut in illo illud, ita in isto istud: ipsa est forma. Sed haec forma non omni ex parte conformis est; unde hinc Apostolus secutus adjunxit.“

Sed non sicut delictum, ita et donum. Discrimina plura inter utrumque patefacit Apostolus. Ac primum V. 15. dona multiplicia, pluresque gratias, ac plurima beneficia nobis attulit Christus. V. 16. neque ab uno tantum peccato nos ille liberat, sed a multis quae peccato Adae addiderunt posteri. V. 17. ac denique regnum vitae invexit bonis omnibus locupletissimum. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines* (reatus pertransiit) *in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines* (donum, et beneficium pertransiit) *in justificationem vitae. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi* (idest omnes Adae posteri): *ita et per unius obeditionem justi constituentur multi* (scilicet omnes, qui ex Christo per fidem, et gratiam renascuntur). *Antithesim* declarat Apostolus inter *Adam*, et *Christum.*

Cur vero modo numeret *omnes* Apostolus, modo *plures*, et *multos?* Reponentem habes Origenem: „Cum et *omnes homines* plures esse intelligantur, et *plures* omnes intelligi non videatur absurdum“: doni scilicet ac beneficii per Christum allati abundantia considerata, et sufficientia. Reponentem accipe Augustinum Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XV. num. 19. „Si propterea Christus unus est *in quo omnes justificentur*, quia non sola ejus imitatio justos

facit, sed per Christum regenerans gratia: propterea et Adam unus est *in quo omnes peccaverunt*, quia non sola ejus imitatio peccatores facit, sed per carnem generans poena. „Ob hoc etiam dictum est, *omnes*, et *omnes*. Neque enim qui generantur per Adam, iidem ipsi *omnes* per Christum regenerantur: sed hoc recte dictum est, quia sicut *nullius carnalis generatio* nisi per Adam, sic *spiritualis nullius* nisi per Christum. Nam si aliqui possent carne generari, non per Adam: et aliqui generari spiritu, non per Christum, non liquide *omnes*, sive hic, sive ibi dicerentur. Eosdem autem *omnes*, postea *multos* dicit; possunt quippe in aliqua re *omnes* esse, qui pauci sunt: sed multos habet generatio carnalis, multos et spiritualis; quamvis non tam multos haec spiritualis, quam illa carnalis. Verumtamen quemadmodum illa *omnes* habet *homines*, sic ista *omnes justos homines*; quia sicut nemo praeter illam homo, sic nemo praeter istam justus homo: et in utraque *multi*.“ Paria disserit ille Capite XXVIII. num. 55.

CAPUT XVII.

Primum refellit Augustinus commentum Pelagianum, quo Adae peccatum transiisse dicitur in omnes homines per imitationem, non propagatione. Itemque alterum de transitu mortis, non peccati. An mortem corporis intellexerit Apostolus Paulus, an mortem animae.

I. Luculentissimam Apostoli Pauli sententiam eludebant Pelagiani, *traducem peccati* inficiantes, *peccatum imitationis* adserentes: eo quod peccatum, quod per unum hominem intravit, imitati fuerint posteri ex eo propagati, in actualia flagitia prolabentes. Quot sunt Apostoli verba, tot praesto habentur argumenta, queis excogitatum commentum profligatur. *Per unum hominem*, scilicet Adam, 'inquit Apostolus, *peccatum intravit in hunc mundum*. Si de peccato imitationis ageretur, cur potius non dixerit *per Evam* quae prius peccavit? Cur non *per Diabolum*, qui omnium primus peccavit? „Sed si Apostolus (inquit Augustinus de peccatorum meritis, et remissione Capite IX. num. 9), peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum *non propagatione*, sed *imitatione* intraverit; ejus principem, non *Adam*, sed *Diabolum* diceret, de quo scriptum est: (I. Joann. Cap. 3. v. 8.): *Ab initio Diabolus peccat.*. De quo etiam legitur in Libro Sapientiae (Cap. 2. v. 24): *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Nam quoniam ista mors sic a Diabolo venit in homines, non quod ab illo fuerint propagati, sed quod eum fuerunt imitati, continuo subjunxit: *imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius.* Proinde Apostolus cum illud peccatum, ac mortem commemoraret, quae *ab uno in omnes propagatione transisset*, eum principem posuit, a quo propagatio generis humani sumpsit exordium.“

Peccatum ergo, quod intravit in hunc mundum, ab Apostolo statuitur peccatum Adae: et per istud peccatum intravit mors. Neque tamen solum Adamum inquinavit peccatum, neque solum ipsum laesit mors. Utriusque universalitatem declarat Paulus: *Et ita in omnes homines*, inquiens, *mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Poena mortis irrogata Adae laesit omnes, quia et omnes infecit peccatum

Adae. Verba illa, *in quo omnes peccaverunt*, vel ita intelligis, ut peccaverint omnes *in Adamo:* igitur *in illo fuerunt omnes* (argumentum est Augustini contra duas Epistolas Pelagianorum Libro IV. Cap. IV. num. 7.), *quando ille peccavit: unde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non solvitur.* Vel eadem sic declaras: *eo quod omnes peccaverunt.* At sequitur, causam mortis, quae pertransiit in omnes homines, afferri peccatum, quod omnes peccaverunt: non aliud scilicet, nisi illud ipsum, quod *per unum hominem intravit in hunc mundum.*

Inquiebat *Julianus* apud Augustinum Libro VI. contra eumdem Cap. XXIV. num. 75. „Ea locutione dictum esset, *in quo omnes peccaverunt:* ac si diceretur, *propter quod omnes peccaverunt.*" Sensum hunc ideo invectum adnotat Doctor Africanus: *ut scilicet non in uno homine omnes homines peccasse intelligantur originaliter, et tamquam in massae unione communiter: Sed propterea quia primus hominum ille peccavit; idest cum imitantur illum, non cum generantur ex illo.* Id attamen ea etiam admissa locutione non conficitur. „Nam *propter hoc* quisque peccat, quod sibi proponit ut peccet, vel quoquo modo quod illi est causa peccandi. Quis vero ab omni humano sensu tam sit-absurdus, ut dicat: *propter hoc fecit homo iste homicidium, quia in Paradiso Adam de ligno prohibito cibum sumpsit?* cum iste latrocinando occiderit hominem, nihil de Adam cogitans, sed propter hoc ut aurum quod ferebat, auferret? Sic et caetera cuncta peccata, quae propria quisque committit, habent causas propter quas fiant; etiamsi nemo cogitet, quod ille primus homo commisit, neque illud sibi ad peccandum proponat exemplum. *Propter hoc* itaque, idest *quoniam peccavit Adam, nec ipse Cain-peccasse dicendus est,* qui eumdem patrem noverat. Propter quod enim fratrem suum occiderit, notum est: quia *non propter hoc quod perpetravit Adam,* sed *quia bono ejus invidit.*"

Neque haereticorum hominum sensui suffragantur testimonia, quae afferebant. „Recte enim dicitur (Psal. 118. v. 9.): *In quo corrigit junior* (*adolesentior* juxta Vulgatam) *viam suam.* Propter quid corrigit? Quoniam sequitur: *In custodiendo verba tua (sermones tuos).* Propter hoc enim corrigit viam suam, quia verba Dei, sicut cogitanda sunt, cogitat: et cogitando custodit, custodiendo recte vivit. Ipsa ergo illi causa est, ut viam suam corrigat, quia Dei verba custodit. Et quod ait beatissimus Stephanus (Actor. 7. v. 29.): *Fugit Moyses in verbo hoc;* bene intelligitur, *propter verbum hoc:* quia hoc audivit, hoc timuit, hoc cogitavit, ut fugeret: haec illi fuit causa fugiendi. Numquid in his locutionibus aliquid dictum est, quod pertineat ad imitationem: qua sic alterum alter imitatur, ut eum omnino non cogitet; et ideo nullo modo dici possit propter hoc peccasse, quia ille peccavit in quo nec originaliter fuit, nec de illo quidquam in proprio peccato cogitavit?" Nihil utique enuntiat ea locutio, *propter quod,* quod pertineat *ad imitationem:* enunciare tamen potest, quod *per originem* trahitur.

At passim priorem versionem, *in quo*, pro genuina habuit Augustinus, novisque versionibus praeferebat, quas inducebant Pelagiani.

Contra Julianum sic disserit Libro VI. Cap. XXIV. num. 76. *Frustra sensum alium novum, atque distortum, et a vero abhorrentem moliris, affirmans ea locutione dictum esse, in quo omnes peccaverunt; acsi diceretur, Propter quod omnes peccaverunt.* Qua posita versione, *in quo*, invictum efformat his verbis argumentum Libro IV. citato contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. IV. num. 7. „Quid est ergo quod sequitur, *in quo omnes peccaverunt?* Aut enim in illo *uno homine* peccasse dicit omnes Apostolus, de quo dixerat, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum:* aut in illo *peccato*, aut certe in *morte*. Non enim movere debet, quia non dixit, *in qua*: sed *in quo omnes peccaverunt;* mors quippe in graeca lingua, *θάνατος*, generis masculini est. Quodlibet ergo eligant. Aut enim in *illo homine* peccaverunt omnes: et ideo dictum est, quod quando ille peccavit, *in illo erant omnes.* Aut in *illo peccato* peccaverunt omnes, quia generaliter omnium factum est, *quod nascentes tracturi erant omnes.* Aut restat, ut dicant, quod in *illa morte* peccaverint omnes: sed hoc quemadmodum possit intelligi, non video. *In peccato* enim *moriuntur* omnes: non *in morte peccant.* Nam peccato praecedente, mors sequitur: non morte praecedente, peccatum.... Quod si propterea non potest illis verbis Apostoli *peccatum* intelligi, *in quo omnes peccaverunt;* quia in graeco, unde translata est Epistola, peccatum feminino genere, *ἁμαρτία*, positum est: restat, ut *in illo primo homine* peccasse omnes intelligantur, quia *in illo fuerunt omnes* quando ille peccavit; unde peccatum nascendo trahitur, quod nisi renascendo non solvitur.“

„Cum dixisset, *in quo omnes peccaverunt*; (verba sunt ejusdem Augustini Libro I. de peccatorum meritis, et remiss. Capite X. num. 12.) secutus adjunxit: *usque ad legem enim peccatum in mundo fuit.* Hoc est, quia nec lex potuit auferre peccatum, quae subintravit ut magis abundaret peccatum. Sive *naturalis lex*, in qua quisque jam ratione utens, incipit peccato originali addere et propria. Sive ipsa, quae *scripta per Moysem* populo data est. *Si enim data esset lex, quae posset vivificare, omnino ex lege esset justitia &c.* (ad Galatas Capite III. v. 21.) Sed *peccatum non deputabatur, cum lex non esset.* Quid est, *non deputabatur?* Nisi ignorabatur, et peccatum non putabatur. Neque enim ab ipso Domino Deo, tamquam non esset habebatur, cum scriptum sit (Romanor. Capite II. v. 12.): *Quicumque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt.* Num. 13. *Sed regnavit*, inquit, *mors ab Adam usque ad Moysem:* idest a primo homine usque ad ipsam etiam legem, quae divinitus promulgata est; quia nec ipsa potuit regnum mortis auferre. Regnum enim mortis vult intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam aeternam, quae vera vita est, venire non sinat: sed ad secundam etiam, quae poenaliter aeterna est, mortem trahat. Hoc regnum mortis sola in quolibet homine gratia destruit Salvatoris, (ut infra docet Apostolus.) .... Ergo in omnibus *regnavit mors ab Adam usque ad Moysem .... etiam in eis, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae:* idest, qui nondum sua et propria voluntate, sicut ille, peccaverunt; sed *ab illo peccatum originale traxerunt.* .... Scio quidem, plerosque *latinos Codices* sic habere, *qui peccaverunt*, (sine particula negante:) quod etiam ipsum, qui ita

legunt, ad eumdem referunt intellectum: ut *in similitudinem praevaricationis Adae peccasse* accipiant, qui *in illo peccaverunt*, ut ei similes crearentur, sicut ex homine homines, ita ex peccatore peccatores, et ex morituro morituri, damnatoque damnati. *Graeci* autem *Codices*, unde in latinam linguam interpretatio facta est, aut omnes, aut pene omnes, id quod a me primo positum est, habent." Vis argumentationis est. Adae peccatum, in quo omnes peccaverunt, scilicet originale, *erat in mundo usque ad legem*, *et usque ad Moysem*, ac deinceps *sub ipsa lege;* quin illud sive *lex naturalis* cuique illucescens in usu rationis, sive *lex scripta* Moysi data auferre posset: cum potius alia adderentur peccata actualia. Utique vero peccatum istud originale erat in adultis, et erat in parvulis etiam ante legem non solum scriptam, sed etiam naturalem: sed *non imputabatur* apud homines, apud quos peccatum imputatur per legem: *imputabatur tamen a Deo*, quoniam non solum in adultos, qui propria voluntate peccassent, sed etiam in parvulos proprio nullo infectos peccato, regnabat mors, poena peccati. Igitur peccatum erat in mundo utrisque commune: et communis utrisque erat poena, mors corporis quae ad aeternam trahebat damnationem sine gratia Salvatoris, quae culpam abstulit, aeternam condonavit damnationem, atque corporis resurrectionem impertitur. Sanctum Thomam consule in Commentario hujus loci, ubi non ita perviam ac facilem Augustini interpretationem egregie illustrat.

Et non sicut per unum peccatum, ita et donum: nam judicium quidem ex uno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in justificationem. „Nunc dicant, (verba sunt Augustini Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XII. num. 15.) ubi locum habeat in his verbis illa imitatio. *Ex uno,* inquit, *in condemnationem.* Quo uno, nisi delicto? Hoc enim explanat, cum adjungit: *Gratia autem ex multis delictis in justificationem.* Cur ergo judicium *ex uno delicto* in condemnationem, gratia vero *ex multis delictis* in justificationem? Nonne si nullum est *originale delictum,* non solum ad justificationem gratia, sed etiam judicium ad condemnationem, *ex multis delictis* homines ducit? Neque enim gratia multa delicta donat, et non etiam judicium multa delicta condemnat. Aut si propterea *ex uno delicto in condemnationem* ducuntur, quia *omnia delicta*, quae condemnantur, ex *illius unius imitatione* commissa sunt: eadem causa est, cur *ex uno delicto etiam in justificationem* duci intelligantur, quia omnia delicta quae justificatis remittuntur, ex illius unius imitatione commissa sunt .... At ideo dictum *judicium ex uno delicto in condemnationem,* quia sufficeret ad condemnationem, etiamsi non esset in hominibus, nisi *originale peccatum.* Quamvis enim condemnatio gravior sit eorum, qui originali delicto etiam propria conjunxerunt: et tanto singulis gravior, *quanto gravius quis peccavit;* tamen illud solum, quod *originaliter* tractum est, (in condemnationem ducit)... Ac per hoc *ab Adam, in quo omnes peccavimus*, non omnia nostra peccata, sed *tantum originale* traduximus: a Christo vero, in quo omnes justificamur, non illius tantum *originalis*, sed etiam *ceterorum*, quae ipsi addidimus, peccatorum remissionem consequimur."

Vim parem exserunt, quae caetera disserit Apostolus, ab Augustino loco citato illustrata. Rem etiam conficit comparatio *Adamum* inter instituta, atque *Jesum Christum*. Certum quippe compertumque, tametsi Pelagiani dubium injecerint, *justitiam*, *et vitam* non haberi *per solam imitationem Christi*, sed *per regenerationem* quae est per Christum: quatenus ob ejus merita vere diffunditur, ac inspiratur in cordibus nostris justitia et caritas, filiatio Dei adoptiva, ac jus ad hereditatem aeternae gloriae tum animae, tum etiam corporis. Unde locum ut habeat comparatio, dicendum est: peccatum Adae transire *per generationem* in posteros, non *per solam Adami peccatoris imitationem*.

Breviore sententia Pelagianum commentum profligat Apostolus ad Ephesios Capite II. v. 3. *Eramus natura*, inquiens, *filii irae*. Haec de *peccato originis* intellexerat ante Pelagianam haeresim Augustinus Libro III. de libero arbitrio Capite XIX. num. 54. „Ipsam *naturam* (inquiens) aliter dicimus, cum proprie loquimur, *naturam hominis*, in qua primum in suo genere inculpabilis factus est: aliter *istam*, in qua ex illius damnati poena et mortales, et ignari, et carni subditi nascimur; juxta quem modum dicit Apostolus: *fuimus et nos naturaliter filii irae*, *sicut et caeteri*." Ampliora habet Libro VI. contra Julianum Capite X. num. 33. „*Fuimus enim et nos aliquando natura filii irae*, *sicut et ceteri*. Omnes enim eruuntur de potestate tenebrarum: et filii irae erant, qui peccato moriuntur (per baptismum.) . . . Quod autem dicis: *ubi ait Apostolus*, Natura filii irae, *posse intelligi*, Prorsus filii irae: nonne hinc admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi catholicam fidem; quia non fere invenitur *latinus Codex*, si non a vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, ubi non *natura* sit scriptum? quod utique cavere debuit Interpretum antiquitas, nisi etiam fidei haec esset antiquitas, cui vestra coepit resistere novitas." Graeci Codices habent, *φύσει*: quae vox, tametsi exponi queat *plane*, *prorsus*, *omnino*, sensum non mutat. Quid magis enim *omnino*, aut *prorsus* tale est, quam id quod *natura* est? Hanc versionem confirmat vox *τέκνα*, quae *nativitatem*, sive *partum* luculentius significat, quam vox alia, *υἱοὶ*.

II. Commentum alterum Pelagianum sequitur, quod maxime *Julianus* excogitavit: ex Adam nihil mali transisse per ceteros contendens, nisi *mortem*, aliasque vitae humanae miserias. Commentum amplexus est Zuinglius: *Exemplum do*, inquiens. *Servum nasci misera conditio est*, *non culpa ejus qui sic nascitur*, *neque crimen*: *qui enim nascitur*, *nondum quidquam admisit*, *vel commisit*. *Si ergo dicat quis*: *at majores ejus commiserunt*, *ut in servitutem redigerentur tam ipsi*, *quam ex sese propagati*. *Ergo crimen fuit*, *ex quo culpa*: *quam deinde servitus*, *seu mulcta*, *seu poena sequuta est*. *Recte sane*. *Hoc ipsum volo*: *culpam originalem non vere*, *sed metonymice a primi parentis admisso culpam vocari*: *esse autem nihil aliud*, *quam conditionem*, *miseram quidem illam*; *at multo leviorem*, *quam crimen mereatur*.

Refellitur haeretica excogitatio jam superius allatis argumentis. Nonne *per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum*, *et per peccatum mors?* Nonne *mors pertransiit in omnes homines*, *in quo*, *vel*

eo quod (si placeat,) *omnes peccaverunt?* Nonne *peccatum*, quod per unum hominem intravit, *erat in mundo* etiam ante legem Mosaicam; illud scilicet, quod primus homo peccavit, legem primaevam violando? Nonne regnum mortis adsumitur ab Apostolo, ut regnum etiam peccati ostendat? Nonne *ex uno delicto* ducimur omnes *in condemnationem* mortis corporis, ac mortis aeternae? Nonne demum *per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi*, seu omnes?

Mortem ipsam, inquis, et miseram hominum conditionem *metonymice dici culpam a primi parentis* flagitio *admisso*. Sequuntur absurda plurima. Cum ait Apostolus, *et per peccatum mors;* perinde fuerit, ac per mortem mors. Cum sequitur ipse, *et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* sensum reddas, in omnes homines mortem pertransiisse, in quo, (vel eo quod) omnes mortui sunt. Cum regnum peccati probat ex regno mortis, mortem probaverit ex morte. Dixerit etiam *judicium ex uno delicto in condemnationem mortis:* hoc est ex morte in condemnationem mortis. Nimis absurda sunt omnia.

Elegantissimum profero Augustini argumentum, quod habetur Libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. IV. num. 6. „Pelagiani quomodo dicunt, *solam mortem ad nos transisse per Adam?* Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccavit: poenam dicunt transire sine culpa, et innocentes parvulos injusto supplicio puniri (vel tamquam injustos puniri), trahendo mortem sine meritis mortis. Quod de uno solo Mediatore Dei et hominum, homine Christo Jesu, catholica fides novit: qui pro nobis mortem, hoc est peccati poenam sine peccato, subire dignatus est... Hanc *singularem Mediatoris praerogativam* Pelagiani evacuare conantur, ut hoc jam non sit in Domino singulare; si Adam ita propter culpam mortem passus est debitam, ut parvuli ex illo nullam trahentes culpam, mortem patiantur indebitam."

Alia ibidem accumulat argumenta. Num. 7. „Volunt intelligi, *non peccatum pertransisse, sed mortem.* Quid est ergo, quod sequitur: *in quo omnes peccaverunt?*" Num. 8. „Propter quid autem idem Apostolus dicit (ad Rom. Cap. 5. v. 10.) *nos per Christum reconciliari Deo*, nisi propter quod *facti fuimus inimici?* Et hoc quid est, nisi peccatum?" Ibidem: „Propheta (Isajas) dicit (Cap. 59. v. 2.): *Peccata vestra separant inter vos, et Deum* (juxta vulgatam, *iniquitates vestrae diviserunt inter vos, et Deum vestrum*). Propter hanc ergo separationem Mediator est missus, ut tolleret peccatum mundi, per quod separabamur *inimici*, et *reconciliati* ex *inimicis* efficeremur *filii*... Hinc factum est, ut (post reconciliationem ex inimicis per Christum expositam v. 10.) interponeret (Apostolus) quod ait (v. 12.) *per unum hominem intrasse peccatum* (quo inimici ejus facti fuimus)."

III. Mortem saepe commemoratam ab Apostolo intelligebant Pelagiani *mortem animae*, non *corporis*. Catholico sensu dici id posse, infra admonendum. Mente illi perversa idipsum obtrudebant, ut *peccatum imitationis* tuerentur. Admonitio est Augustini Libro. I. de peccatorum meritis, et remissione Cap. IX. num. 9. „Quantum autem ex aliis comperi, inquientis; hoc ibi sentiunt, quod et *mors*

ista, quae illic commemorata est (ad Rom. Cap. 5. v. 12.) non sit *corporis*, quam nolunt Adam peccando meruisse, sed *animae* quae in ipso peccato fit: et ipsum peccatum *non propagatione* in alios homines ex primo homine, sed *imitatione transisse.*"

Novam Augustinus insequitur ibidem *opinionem*. „Ait Apostolus (I. ad Corinth Cap. 15. v. 21. Verba sunt Augustini Cap. VIII. num. 8.): *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Quid aliud quam de *morte corporis* intelligi potest; quando ut hoc diceret, de *resurrectione corporis* loquebatur?" Momentum rationis auget: „Quid est ergo, quod hic ad Corinthios ait ...., nisi quod ait etiam ad Romanos: *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum, et per peccatum mors?*" Reponebant Pelagiani, de *sola corporis morte* in loco ad Corinthios agi, cui contra ponitur *resurrectio corporis:* at in loco ad Romanos, de peccato agi, deque morte, quae cum fiat in peccato, *mors* fuerit *animae*. „At ideo sola *mors* (refellit eos Augustinus) ibi *per hominem facta* commemorata est, non etiam *peccatum;* quia non agebatur (ut posteriore in loco), qui contraria est peccato: sed de *corporis resurrectione*, quae contraria est *corporis morti.*" Sumptam inde rationem, ut imitationis peccatum induceretur, profligat Cap. IX. num. 9. „Si Apostolus, inquiens, peccatum illud commemorare voluisset, quod in hunc mundum, *non propagatione*, sed *imitatione* intraverit, ejus principem, *non Adam*, sed *Diabolum* diceret, de quo dictum est (Joann. I. Cap. 3. v. 8.): *Ab initio Diabolus peccat:* de quo etiam legitur in Libro Sapientiae (Cap. 2. v. 24.): *Invidia autem Diaboli mors intravit in orbem terrarum.*" Diabolum, qui prius peccavit, Adamum et Evam imitatos esse, sacer textus ibidem testatur, ac modum imitationis patefacit: *imitantur autem eum, qui sunt ex parte ipsius;* pravos ipsius Diaboli instinctus sequentes, ac aliis insidias struere conantes. „Proinde Apostolus (concludit Augustinus) cum illud peccatum ac mortem commemoraret, quae ab uno in omnes propagatione transisset, eum *principem* posuit (Adamum); *a quo* propagatio generis humani sumpsit exordium .... Dictum autem, quemquam divinis in eloquiis (ut ait Cap. X. num. 11.) peccasse vel peccare *in Diabolo*, cum eum iniqui et impii omnes imitentur, nescio utrum quisquam reperiat: quod attamen cum Apostolus de primo homine dixerit, in quo omnes peccaverunt, adhuc *de peccati propagine* disceptatur, et nescio quae nebula *imitationis* opponitur."

Cur vero *mortem animae* commemorasset Paulus, quae nihil aliud est quam *ipsum peccatum*, seu *gratiae divinae privatio* illata per peccatum, quod per unum hominem docuerat ipse intrasse in hunc mundum, ac fuisse et esse in mundo, in iis etiam qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae? Orthodoxis nihilominus interpretibus licuit *mortem* ab Apostolo commemoratam intelligere *animae etiam mortem*, litterali sensu *mortis corporis* non rejecto. Haec Augustini sententia est loco citato Cap. XI. num. 13. „*Regnum mortis*, inquiens, vult (Apostolus) intelligi, quando ita dominatur in hominibus reatus peccati, ut eos ad vitam aeternam, quae vere vita est, venire non sinat: sed *ad secundam* etiam, quae poenaliter aeterna est, *mortem* trahat." Mortem hanc secundam praecedit prior, quae mors corporis est.

Quae demum sententia fidem peccati originalis firmat, non evellit. Sensus enim fuerit: Per unum hominem Adamum intrasse in hunc mundum peccatum actuale: et per ipsum peccatum sicut in Adamum, ita in ceteros omnes homines transisse mortem tum corporis, tum animae: corporis quidem mortem necessariam post tempus unicuique constitutum a Deo: animae vero, subtracta statim cuique in ipso conceptu amicitia Dei, invectoque reatu poenae aeternae.

Apostolum *loqui primario, ac directe de morte animae,* putat recens Theologus in Demonstratione Critica Religionis Catholicae Parte I. Quaestione VIII. Ita esse ajo, sub voce *peccati:* non ita, sub voce *mortis.* Neque favent alia Pauli Apostoli loca, ex eadem *Epistola ad Romanos* Cap. VI. et VII. et VIII. desumpta, et ex *secunda ad Timotheum* Cap. I. Quibus in locis *mors* a Christo destructa per *futuram gloriosam resurrectionem*, et *mors peccati stipendium,* cur intelligi non debeat *mors corporis?* In ipsa servitute peccati ad mortem, corporis mors intelligitur: quae tollitur obeditione ad justitiam, jus dantem ad resurrectionem, ac aeternam vitam. Consule Interpretes.

CAPUT XVIII.

Peccatum originale satis indicant Veteris Testamenti auctoritates. Testimonium ex Davide sumptum. Refellitur Hugo Grotius: quem etiam refellit Bossuetus, Episcopus Meldensis. Alterum ex Libro Jobi.

I. Apostolicam, quam exposuimus, doctrinam Historia Geneseos ponit sub oculos. Primo addiscimus Capite II. v. 8. *in Paradiso voluptatis positum hominem, quem formaverat* Deus: latum deinde praeceptum v. 17. *de ligno scientiae, boni et mali non comedendi,* comminatamque mortem quocumque die comestio fieret: ac demum Capite III. legem a Deo datam transgressos esse protoparentes, inductamque statim concupiscentiam qua *se nudos esse cognoverunt*, laboriosam vitam aerumnis onustam, ac moriendi necessitatem: eaque omnia transire in posteros, neque remedium allatum iri nisi per *semen* futurum, quod Diaboli caput conteret, *cujus invidia mors intravit in orbem terrarum,* ut in libro Sapientiae dicitur Capite II. v. 24.

II. Communitatem poenae experimur omnes, qui ex Adamo propagati sumus: at ipsa communitas poenae argumentum est communitatis peccati. Hanc satis indicant verba Davidis Psalmo L. v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* Luculentior est textus hebraicus: *Ecce in iniquitate*, בעון, *formatus sum: et in peccato*, ובחטא, *calefcit me*, יחמתני *mater mea.* Vertunt alii: *Et in peccato calefacta est de me, aut impraegnata est de me mater mea:* vel *calefecit me*, aut *ad me progenerandum incaluit mater mea.* Parentum peccatum, quod ipsi patraverint generando Davidem, obtrudunt aliqui. Verum enim vero animadvertente Bossueto in Notis in hunc locum, *mira ubique* (praedictis in versionibus) *verborum simplicitas, atque ingenuitas est, ad litterae proprietatem adigens: atque adeo ut veram conceptionem, ita verum peccatum inducens*, in quo David conceptus, formatus, genitusque fuerit. „Suscepit personam generis humani *David* (verba sunt

Augustini Enarratione in eumdem locum), et attendit omnium vincula: *propaginem mortis* consideravit, *originem iniquitatis* advertit, et ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum.* Numquid David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo, et conjuge ipsius? Quid est, quod se dicit *in iniquitate conceptum*, nisi quia *trahitur iniquitas ex Adam?*"

Eadem est antiquorum Patrum sententia. *Origenes* Homilia VIII. in Leviticum: „Audi David dicentem: *In iniquitatibus,* inquit, *conceptus sum: et in peccatis peperit me mater mea.* Ostendens, quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis et peccati sorde polluitur:" Hilarius Pictaviensis in Psalmum CXVIII. v. 175. „Dixit: *ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea.* Scit, sub peccati origine, et sub peccati lege se esse natum." Ambrosius Libro I. de Poenitentia Capite III. num. 13. „Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est, sicut habes lectum; dicente David: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.*" Hieronymus in Caput XLVII. Ezechielis: *Non in iniquitatibus matris meae, vel certe meis: sed in iniquitatibus humanae conditionis.* Photius, recensens Codice CLXXVII. opera *Theodori Mopsuesteni,* testatur, Orthodoxos adversum Pelagianos et illud attulisse: *ecce in iniquitatibus conceptus sum.* Num obstent versiones, quae plurium numero *iniquitates* reddunt, ac *peccata?* Appositae sunt Augustini animadversiones in Enchiridio Cap. XLIV. et insequente: „Cum illud *Originale* unum *plurali numero* significatur, quando dicimus *in peccatorum remissionem* baptizari parvulos, nec dicimus *in remissionem peccati:* illa est . . . locutio, qua per *pluralem* significatur *numerus singularis.* Sicut in Evangelio, Herode mortuo, dictum est: *Mortui sunt enim, qui quaerebant animam pueri;* non dictum est, *mortuus est.* Et in Exodo: *Fecerunt,* inquit, *sibi Deos aureos;* cum unum Vitulum fecerint, de quo dixerunt: *Hi sunt Dii tui, Israel, qui eduxerunt te de terra Aegypti;* et hic pluralem ponentes numerum. Quamvis et in illo peccato uno, *quod per unum hominem intravit in mundum,* et in omnes homines pertransiit, propter quod etiam parvuli baptizantur, possunt intelligi *plura peccata,* si unum ipsum in sua quasi membra singula dividatur. Nam et *superbia* est illic, quia homo in sua potius esse, quam in Dei potestate dilexit: et *sacrilegium,* quia Deo non credidit: et *homicidium,* quia se praecipitavit in mortem: et *fornicatio spiritalis,* quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est: et *furtum,* quia cibus prohibitus usurpatus est: et *avaritia,* quia plus quam illi sufficere debuit, appetivit: et si quid aliud in hoc uno admisso diligenti consideratione inveniri potest."

III. In loco Davidis, quo de agimus, *hyberbolem* sibi videre visus est Hugo Grotius „Sensus est (inquit): *Non nunc tantum, sed et a pueritia mea, saepius peccavi.* Est enim loquendi genus ὑπερβολικὸν *(superjectivum),* ut ostendit collatio locorum: Job XXXI. 18.; Psal. XXII. 10. 11.; LVIII. 4.; LXXI. 5. 6.; Esaiae XLVIII. 8." Loca ipsa exprimenda sunt: Job XXXI. 18. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum.* Psalmo XXII. vel XXI. v. 10. 11. *Quoniam tu es, qui extraxistis me de*

ventre: spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero. LVIII. vel LVII. v. 4. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.* LXXI. vel LXX. v. 5. et 6. *Domine spes mea a juventute mea. In te confirmatus sum ex utero.* Isaiae XLVIII. v. 8. *Transgressorem ex utero vocavi te.*

Sumptam interpretationem ex *Juliano Pelagiano*, certo constat ex hujus verbis apud Augustinum Libro IV. Operis imperfecti num. CXXIX. „Daniel contra spurcos Presbyteros, de Israel tamen stirpe venientes, eodem genere legitur invectus (hyperbolico). *Semen*, inquit (Cap. XIII. v. 56.) *Chanaan, et non Juda.* Ezechiel quoque Propheta exprobrat plebi Jerusalem (Cap. XVI. v. 3.): *Mater tua*, inquit, *Cethaea, et pater tuus Amorrhaeus.* Est ergo hic usus, ut ad voluntatis invidiam infamatio stirpis accedat: nimiumque crimini videatur adhaerens, per cujus meritum convicium patiuntur et semina. Servatur autem hic idem mos etiam in bonorum parte: ut eum videtur homo per omnia probus, congenitis dicatur florere virtutibus. Unde et Beatus Job *misericordiae* affectum, quo subveniebat indigentibus, *de uberibus* se traxisse, immo *de utero matris suae secum* confirmat *egressum.* Nihil ergo rebus perspicuis aut similitudo, aut *exaggeratio*, aut ambiguitas praejudicare potest.“ Sic eludebat Julianus Augustini argumentum, ex illis Sapientiae verbis desumptum Cap. XII. v. 11. queis *semen Chananaeorum*, dicitur fuisse *maledictum ab initio:* in eorum quidem parentibus, quibus Noe maledixit: et primitus in Adamo, per quem peccatum intravit in mundum.

Julianum insequitur idem loco citato. Impudicos Seniores apud Danielem fatetur dici *semen Chanaan:* hoc est, *similes filiis Chanaan, et non filiis Juda.* Annuit etiam, ideo ab Ezechiele Judaeorum *patrem dictum Amorrhaeum, et matrem Cethaeam, quod eos fuerant imitati*, ipsorum scelera sequentes. Quid amplius intelligendum adserit *in maledicto semine* Chananaeorum: *quorum etiam parvuli, quia et ipsi hoc erant* (semen), *non imitatione, sed stirpe, interfici cum parentibus divinitus jussi sunt* (Deuter. Cap. II. v. 34.). Nihil esse vero exaggerationis in verbis Job, evincit ille: *Cur non, quaeso te,* inquiens, *annuimus esse quosdam natura misericordes: si natura quosdam non negamus excordes* (stolidos, fatuos)?. *Sunt enim nonnulla congenita, quae in aetate, qua usus incipit rationis, sicut ipsa ratio, incipiunt apparere.*

Quae reliqua Grotius afferebat, validissime convellit *Bossuetus.* „Non ejusdem virtutis est illud: *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero;* atque istud: *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea.* Ubi inculcata omnia, selectaque, quae ad proprietatem inducant, *peccatum, iniquitas, conceptio, matris operatio;* omnia denique ad ingenerandum peccatum vel maxime faciunt. Jam *persona Davidis* non erat ex impio genere propagata, non denique innutrita vitiis, prava inter exempla, et instituta: sed ex gente sancta, atque a parentibus Dei timorem edoctis, pueroque instillantibus: nec necesse habuit, connumerare se iis, qui ab infantia pessime educati, ab ipso veluti utero erraverint. Denique conferamus locos. Etenim *in corde iniquitatem operamini, in terra injustitias manus vestrae concinnant: alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero,*

locuti sunt falsa: furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdae et obturantis aures suas: aliaque in hunc morem, quae ad invehendi vehementiam, atque ad amplificatorium genus manifeste pertineant. Illa vero Davidis poenitentis, quam simplicia! *Miserere mei Deus, dele iniquitatem meam, amplius lava me ab iniquitate, munda me a peccato: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper.* En ubique iniquitas, ubique peccatum, innato ac vero sensu. Quibus statim ad illud devenit ejusdem simplicitatis: *Ecce in iniquitate conceptus sum, et in peccato concepit me mater mea.* Ubi nihil aliud agit, quam ut agnito peccato, agnita iniquitate, ex antecedentibus; hic jam ad *peccati*, et iniquitatis redeat *originem.* Quae quam simplicia sint, quam ab *hyperbolico* genere abhorreant, qui non per se sapit, cum ego nihil sapere affirmaverim."

Ad alios commemoratos a Grotio locos quod attinet, nihil ad *hyperbolem* pertinet. „Sumamus primum: quae in bonam partem dicta sint. *In te confirmatus sum ex utero* (a te sustentatus, tibi creditus): *de ventre matris meae tu es protector meus;* non haec *hyperbole,* sed mera est veritas. Cujus generis est etiam illud: *tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae: in te projectus sum ab utero: de ventre matris meae Deus meus es tu;* quorum sensus est, Deum unum esse, qui cum homines quosvis educat in lucem, tum dilectis suis singulari studio invigilet. Quo quid est verius, et *ab omni hyperbole* remotius?.... An forte urgebunt istud: *spes mea ab uberibus matris meae;* tamquam necesse sit, vere ac proprie sperasse Davidem? Non autem ipse expresserit, ab ubere matris Deum esse spem suam, praesidium suum, ac sperandi causam; a quo etiam creaturae inanimes conserventur, quem exspectent, in quem suo modo sperent? Quo sensu etiam *Paulus* commendat expectationem, ac spem universae creaturae suspirantis in Deum, et parturientis electos, Rom. VIII. Nec alio sensu *Moses* promissam Israeli terram, eam esse dicit *quae de caelo expectat pluvias: quam Dominus Deus semper invisat,* Deuteron. XI. v. 11. 12. Denique ipse David: *omnia a te expectant,* Psal. CIII. v. 27. nempe ut intelligamus, animata et inanima indigere altore, et parente Deo: idque *ab ipso utero,* ab ipsis initiis. Quo nihil est ad litteram certius, et evidentius ....

Quod si ex Scriptura constat, quasdam esse gentes praeter commune maledictum singulari titulo maledictas (hujusmodi fuit natio Chananaeorum); quid vetat, quominus sint et aliquae familiae, aliqui denique homines singulares: quorum cum major sit illa ab Adam insita, sed aliis causis aggravata malitia naturalis, ideo peculiari titulo *alienati ab utero* judicentur: ut nec illa locutio *ad exaggerationem* pertineat, sed veram illam quam Augustinus asseruit, ad *peccatum originale* explicet accessionem.

IV. Hujusce fidei testimonium perhibet etiam Job, *vir simplex, et rectus, ac timens Deum, et recedens a malo.* Ait ille Cap. XIV. v. 4. juxta versionem τῶν LXX. *Quis enim mundus erit a sorde! At nemo, etsi unus dies sit vita ejus super terram.* Sordem vides peccati, in qua concipimur omnes.

Perplexam facere sententiam videntur Textus Hebraicus, et Vulgata versio. Habet ille: *Quis dabit mundum de immundo*, יטהור מטמא *neque unus*, לא אחד (mundus nempe est). Vulgata sic ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Ubi *semen* additur: et illud, *neque unus*, modo interrogantis accipitur. Sequitur in textu Hebraeo: *Si definiti sunt dies ejus, numerus mensium ejus apud te est.* Paria reddit Vulgata: *Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.* Quae verba ad sensum praecedentium referuntur juxta versionem septuaginta interpretum. Ut ut loci hujus versiones se habeant, sensum unum reddunt omnes: immundos, vitiatosque nasci homines; quod est, *originalem culpam exprimere.*

Immunditiam corpoream obtrudunt Sociniani: quibus reponendum, quod Auctor Hypognosticon Pelagianis reponebat Libro V. Cap. IV. Parentum semina *immunda esse, non conditione naturae, sed praevaricationis vitio protoplasti.* Ad eumdem locum haec est Grotii interpretatio: *Ut severa nimis Dei judicia effugiat Job, objicit communem naturae humanae infirmitatem.* Immo Vir justus infirmitatis naturae humanae, brevitatis vitae, aerumnarum multiplicium, proclivitatis ad peccandum primam originem pandit infectionem, et immunditiam naturae, ex primi hominis peccato contractam. Haec veterum Patrum sententia est. Origenes Homilia VIII. in Leviticum: *Sed et ille ipse qui nascitur, sive virilis, sive feminei sexus sit, pronuntiat de eo scriptura: quia non sit mundus a sorde, etiamsi unius diei sit vita ejus; ut scias, esse in hoc grande nescio quid.* Nempe, ut infra: *Quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis, et peccati sorde polluitur.* Favet Ambrosius Libro I. de Interpellatione Job Cap. VII. num. 22. *Vere miserabilis conditio, ut peccati sui quod vitare non possit, rationem praestare cogatur; judiciumque intrare, in conspectum Domini subire omnipotentis compellitur, edere causas gestorum suorum, quae tot vitae suae aetatibus percurrerit, cum mundus a peccato quivis esse non possit, ut ab ipsis cunabulis prius obrepat infantiae culpa, quam sit ullus sensus errore.*

CAPUT XIX.

Novi Testamenti loca nonnulla germane exposita: Zuinglius refutatus. Item Testamenti Veteris alia. Justitia Dei illaesa: poenae, ac poenalitates distinguuntur, et explanantur.

I. Divinae Scripturae testimoniis, quibus Catholicae Ecclesiae causam egerunt Orthodoxi, opponenda *Pelagiani* putarunt alia Scripturae ex utroque Testamento sumpta testimonia, ut suam sententiam, si qua possent ratione, suaderent. Ipso textu Apostoli, *Per unum hominem*, abutebatur *Julianus*, ut peccatum ostenderet, *imitatione* traduci, non *generatione.* Prostant verba ejus apud Augustinum Libro II. Operis imperf. num. LVI. „Ostendit Apostolus non a se dictum esse, peccatum generatione transiisse; quando nominans *hominem*, adjecit *unum:* unus enim numeri principium est. Et ille explicans, per quem diceret intrasse peccatum, non solum eum

nominavit, verumetiam numeravit. *Per unum*, inquit, *hominem peccatum in hunc mundum transiit.* Hic autem *unus* praebendae imitationi sufficit, generationi implendae non sufficit. Peccatum autem transiit, sed *per unum*. Manifestum est, hic non *generationem* coargui, quae nisi *per duos* fieri non potest.“ Augustini sequitur responsio multiplex. Ac primo, cur *Adam* potius ad statuendum imitationis peccatum nominaverit Apostolus, et non *Evam* quae prius peccavit, et virum induxit ad peccatum? „Numquid enim *Evam* non imitantur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumsit initium? *A muliere initium factum est peccati: et propter illam*, sicut scriptum est (Eccli. Capite XXV. v. 33.) *morimur omnes*.“

Responsio altera: „Cur ergo non vis attendere, propterea potius Apostolum *unum* dixisse *hominem*, per quem peccatum intravit in mundum; quia non *imitationem*, sed *generationem* volebat intelligi? Sicut enim a muliere initium peccati fuit: sic initium generationis a viro est. Prior enim vir seminat, ut femina pariat: ideo *per unum hominem* peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod a viro excipiens concepit femina. Quo more nasci noluit, qui solus sine peccato est natus ex femina (Jesus Christus.)“ Tertiam addit responsionem num. LVII. „Quamvis possem dicere: ideo non *duos*, sed *unum hominem* dixisse Apostolum, per quem peccatum intravit in mundum; quia scriptum est: (Genes. II. v. 24.) *Erunt duo in carne una.* Unde Dominus ait: (Matth. XIX. v. 6.) *Igitur jam non sunt duo, sed una caro;* maxime quando vir adhaeret uxori, et initur concubitus. De concubitu autem proles gignitur, *trahens originale peccatum*.“ Quae paucis complectitur omnia Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XVI. num. 21. „Sive autem a muliere, sive ab Adamo dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet; quoniam sicut novimus, mulier ex viro est, et utriusque una caro est.“

Agebat etiam *Julianus* causam suam Apostoli loco in Epistola II. ad Corinthios Capite V. v. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum.* Quaerebatque haereticus homo, quomodo ista in parvulis accipi queant? Reponit Augustinus Libro VI. contra ipsum Capite X. num. 29. „Utrum *et ipsi (parvuli)* ante tribunal Christi manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia *pertinet ad eos*, quod per corda et ora gestantium sive credunt, sive non credunt.“ Id ea scilicet ratione verum declarat: quod sicut parvuli regenerati reportabunt quod gesserunt per meritum fidei aliorum; ita reportare possint non regenerati per Adae peccatum, in quo peccaverunt. „Vide ergo, (inquit,) quam importune nolis parvulum de *alieno peccato* reportare malum: et velis eum de *alieno recte facto* reportare bonum, non qualecumque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, (per Patrinos, aut Ecclesiam:) sicut alienum opus fuit, cum peccavit in altero.“

Dictum est Apostoli ad Romanos Capite VII. v. 8. *Sine lege peccatum mortuum erat.* Inde colligebant Pelagiani: *Si cum lex non esset, peccatum non erat: insaniunt, qui de Adam per traducem asserunt ad nos venire peccatum.* Integram doctrinam apostolicam illustrat Augustinus Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite VIII. et IX. Duas illam distribuit in partes: primam a v. 5. ad v. 13. alteram a v. 14. ad v. 24. In illa narrat Apostolus, quae veluti praeterito tempore acciderunt: v. 5. *cum enim essemus in carne.* v. 7. *peccatum non cognovi nisi per legem.* v. 8. *sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando: sed cum venisset mandatum, peccatum revixit.* Altera in parte vocat se praesenti tempore v. 14. *carnalem, venumdatum sub peccato*; v. 15. *non quod vult bonum, hoc agentem: sed quod odit malum, illud facientem &c.*

Haec secundae partis verba, non ex Apostoli persona qui jam spiritalis erat, sed *hominis positi sub lege*, nondum gratia liberati, accipienda esse, docuerat Augustinus Libro I. ad Simplicianum qu. 1. et in Expositione incoepta Epistolae ad Romanos Prop. IV. et XLII. Hac vero maturius re considerata, reliquit interpretationem in Libris adversum Pelagianos elucubratis, ut ipse admonet Libro I. Retractationum Capite XXIII. et XXIV. et Libro II. Capite I. Apostolica documenta intelligi posse *vidit*, non solum *de homine adhuc sub lege, nondum sub gratia constituto; bene facere volente, sed victo concupiscentia carnis male faciente:* sed etiam *de spiritali homine, jam sub gratia constituto; licet concupiscentiae non consentiente, ejus tamen motibus non carente, donec in coelis absorbeatur mors in victoriam.* Ad insurgentes ergo indeliberatos, ac rationem praevenientes concupiscentiae motus, quos etiam justi in corpore mortis hujus, volentes nolentes, sentire et experiri coguntur, magis minusque virtutum exercitio, et profectu spiritali, pertinent Apostoli verba.

Convenire ipsius Apostoli personae prioris partis verba, haud inficiatur Augustinus Libro I. citato contra duas Epistolas Pelagianorum. Sic habet Capite VIII. num. 14. „Haec omnia, sicut dixi, potest videri Apostolus de sua vita commemorasse praeterita; ut illud quod ait: *Ego autem vivebam aliquando sine lege;* aetatem suam primam ab infantia ante rationales annos voluerit intelligi. Quod autem adjunxit: *adveniente autem mandato peccatum revixit, ego autem mortuus sum;* jam se praecepti capacem, sed non efficacem, et ideo praevaricatorem legis ostenderet.“ De ipsa adulta aetate, ac rationis usu eadem exponit Apostoli verba Capite IX. num. 16. „Illud quod dixerat, (inquiens:) *sine lege enim peccatum mortuum est;* non intelligamus, nisi tamquam non sit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tamquam in nescio quibus ignorantiae tenebris sit sepultum. Et quod ait: *ego autem vivebam aliquando sine lege;* quid ait, nisi Vivere mihi videbar? Et quod adjunxit: *adveniente autem mandato peccatum revixit;* quid est aliud, quam emicuit, et apparuit?“ Interpretes consule.

Ad actualia peccata, quae peccatores admittunt, vix legem prohibentem agnoscentes passionum tenebris obvelati, hanc pertinere apostolicam sententiam, comperta res est. At inde peccatum originis colligi posse, pergit ibidem ostendere Augustinus: „Nec tamen ait:

vixit, sed *revixit*, *(ἀνέζησεν)*. Vixerat enim aliquando in paradiso, quando contra datum praeceptum satis apparebat admissum: cum autem a nascentibus trahitur, tamquam mortuum sit latet, donec repugnans justitiae malum ejus prohibitione sentiatur; cum aliud jubetur atque approbatur, aliud delectat atque dominatur: tunc peccatum quodammodo in notitia nati hominis *reviviscit*, quod in notitia primum facti hominis aliquando jam vixerat."

Haec eadem Pelagianorum argumenta instauravit *Zuinglius* in Libro de Baptismo: neque vero quidpiam adduxit, quod antea Augustinus, Pelagianos veteres insequens, non evulserit. Robertum Bellarminum consule.

II. Tum isti, cum ille, pugnam suam pugnarunt, locis etiam quibusdam ex vetere Testamento prolatis Illud opponebant, quod legitur Deuteronomii Capite XXIV. v. 16. *Non occidentur*, (vel *non morientur*, ἀποθανοῦνται, juxta versionem τῶν LXX.) *patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur.*

Textum Augustinus Libro III. Operis Imperf. num. 12. intelligendum docet de proprio cujusvis peccato actuali: ipsumque ad *filios jam natos* pertinere, et *ad homines judicantes:* neque tamen lege ista alligari judicia Dei. „De filiis hoc dixit *jam natis*, non in primo parente damnatis, *in quo omnes peccaverunt*, et in quo omnes moriuntur. Et hoc quidem praeceptum dedit *hominibus judicantibus*, ne pater pro filio, vel filius pro patre moreretur, *(occideretur;)* cum reus tantummodo pater esset inventus, aut filius. Ceterum judicia sua Deus, sive cum per seipsum, sive cum per homines judicat, quibus dat propheticum spiritum, *non alligavit hac lege.* Neque enim quando excepto Noe cum suis, ceteros omnes diluvio perdidit, separavit infantes qui nondum fuerant imitati parentes suos: aut sine suis parvulis Sodomitas ille ignis absumpsit. Quod si voluisset, utique potuisset omnipotens. Et ille *Achar*, (Achan, Josue VII. v. 24.) praecepti transgressor unus inventus, et tamen cum suis filiis, et filiabus occisus est .... Parvuli igitur quid mali fecerant? ... Aliter ergo judicat Deus, aliter homini praecipit ut judicet; cum Deus homine sine dubitatione sit justior."

Ezechielis Prophetae verba nimium exaggerabant, quae habentur Capite XVIII. Inquit v. 2. *Quid est* illud proverbium: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt?* v. 3. et 4. *Vivo ego, dicit Dominus Deus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium in Israel. Ecce omnes animae meae sunt: ut anima patris, ita et anima filii mea est: anima quae peccaverit, ipsa morietur.* v. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris; et pater non portabit iniquitatem filii.* v. 30. *Idcirco unumquemque juxta vias suas judicabo.*

De *originali peccato* si agatur, nihil magis verum, quam protoparentes pomum acerbum comedisse, ac filiorum omnium obstupuisse dentes. Haud ambigit *Augustinus*, hanc esse Ezechielis sententiam Libro VI. contra Julianum Capite XXV. num. 82. ubi propterea censet, Novum Testamentum promitti, ac Jesu Christi Redemptoris gratiam. „Non intelligis (inquit) hanc esse promissionem *Testamenti novi*, et *spiritalis hereditatis* ad alterum saeculum pertinentis. Id enim

agit gratia Redemptoris, ut paternum chirographum deleat, et unusquisque pro se rationem reddat... Quod Prophetae in spiritu praevidentes, ista dixerunt: sed apertius Jeremias. *In diebus illis*, inquit, *non dicent: Patres manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupuerunt:* sed unusquisque in suo peccato morietur; et ejus qui manducaverit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus." Propheticum sensum insequentibus ipsius Jeremiae verbis confirmat: „*Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et consummabo* (feriam) *domui Israel, et domui Juda Testamentum novum, non secundum testamentum, quod disposui* (pepigi cum) *patribus eorum.* In hoc igitur Testamento novo, per sanguinem testatoris deleto paterno chirographo, incipit homo paternis debitis non esse obnoxius renascendo, quibus nascendo fuerat obligatus," Hanc novi Testamenti gratiam, ad saecula praecedentia veluti retroactam per fidem in Messiam, acceperunt quotquot fuere justi, qui veterem legem gestabant.

Litterali sensui adhaerentes interpretes alii, ita *Jeremiam*, et *Ezechielem* exponunt, ut ipsi Judaeis polliceantur: antiqua scelera post captivitatem delenda esse, nequaquam ea Deum revocaturum in mentem, Judaeos habiturum veluti recentem populum: patrem unum puniendum, si ipse unus deliquerit: adeoque futurum esse, ut inposterum proverbio illo utatur nemo: *Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt.* Ad homines itaque adultos Prophetarum verba spectant, eorumque actualia flagitiosa facinora. Quae expositio vanam convellit Pelagianorum confidentiam.

III. Una superest difficultas, quae sumitur ex locis frequentius allatis ab Augustino, de filiis ob peccata parentum poena mulctatis. Exodi XX. v. 5. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, et quartam generationem.* Eadem Deuteronomii V. v. 9. Primus Davidis, et Bersabeae filius propter parentum scelus morte percussus II. Regum XII. v. 14. Captivitas Babylonica nocentes, innoxiosque, et infantes implicuit omnes. Plurimis hisce exemplis abundant sacra Biblia. Hinc *Augustinum* inter, et *Pelagianos* mota quaestio: utrum justitia vetet, alterum pro alterius noxa puniri, etiam a Deo.

Sancti Thomae documentis dirimenda quaestio est. Ea si refertur ad peccatum primi hominis, facillime dirimitur: propterea quod *peccatum primi hominis* (ejus verba sunt Qu. IV. de Malo art. I. ad 19.) *est quodammodo peccatum commune totius humanae naturae: et ideo cum aliquis punitur pro peccato primi parentis, non punitur pro peccato alterius, sed pro peccato suo.* Quomodo suum cujusque peccatum dici queat primi hominis peccatum, elegantissime declarat ibidem: „Considerandum est, inquiens, quod *aliquis homo singularis* dupliciter potest considerari: uno modo, secundum quod est *quaedam persona singularis:* alio modo, secundum quod est *pars alicujus collegii:* et utroque modo ad eum potest aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad eum, inquantum est *singularis persona,* ille actus quem *proprio arbitrio,* et per seipsum facit. Sed inquantum est *pars collegii,* potest ad eum pertinere actus aliquis quem per seipsum non facit, *nec proprio arbitrio:* sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus de collegio, vel a

Principe collegii. Sicut illud, quod Princeps civitatis facit, dicitur civitas facere: hujusmodi enim collegium hominum reputatur quasi unus homo, ita quod diversi homines in diversis officiis constituti, sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis, ut Apostolus inducit de membris Ecclesiae I. ad Cor. 12. Sic ergo *tota multitudo hominum*, a primo parente humanam naturam accipientium, quasi *unum collegium*, vel potius sicut *unum corpus unius hominis*, consideranda est. In qua quidem multitudine *unusquisque homo*, etiam ipse *Adam*, potest considerari vel quasi *singularis persona*, vel quasi *aliquod membrum hujus multitudinis*, quae per naturalem originem derivatur ab uno. Est autem considerandum, quod *primo homini* in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet *originalis justitia*; per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem *donum* non fuerat datum *primo homini*, ut *singulari personae*, sed ut cuidam *principio totius naturae humanae*: ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros. *Hoc autem donum* acceptum primus homo, per liberum arbitrium peccans, amisit eo tenore, quo sibi datum fuerat: scilicet pro se, et pro tota sua posteritate. *Defectus ergo hujus doni* totam ejus posteritatem consequitur. Et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur humana natura. Quae quidem traducitur, non quidem secundum se totam: sed secundum aliquam sui partem, scilicet secundum carnem, cui Deus animam infundit. Et sic sicut anima divinitus infusa, pertinet ad naturam humanam ab Adam derivatam propter carnem, cui conjungitur: ita et defectus praedictus pertinet ad animam propter carnem, quae ab Adam propagatur ... sicut ab activo principio: (Deo scilicet corpori ab Adam propagato animam infundente sine justitia originali.) Si ergo consideretur *iste defectus* hoc modo per originem in istum hominem derivatus; secundum illud, quod iste homo est *quaedam persona singularis:* sic hujusmodi defectus non potest habere rationem culpae, ad cujus rationem requiritur quod sit voluntaria. Sed si consideretur iste homo generatus, sicut *quoddam membrum totius humanae naturae* a primo parente propagatae, ac si *omnes homines essent unus homo;* sic habet rationem culpae *propter voluntarium ejus principium*, quod est actuale peccatum primi parentis. Sicut si dicamus: quod motus manus ad homicidium perpetrandum, secundum quod manus per se consideratur, non habet rationem culpae, quia manus de necessitate movetur ab alio. Si autem consideretur ut est pars totius hominis, qui voluntate agit, sic habet rationem culpae quia sic est voluntarius. Sicut ergo homicidium non dicitur culpa manus, sed culpa totius hominis: ita hujusmodi defectus non dicitur esse *peccatum personale*, sed *peccatum totius naturae:* nec ad personam pertinet, nisi inquantum natura inficit personam. Et sicut ad unum peccatum faciendum diversae partes hominis adhibentur, scilicet voluntas, ratio, manus, et oculus, et hujusmodi; et tamen est unum solum peccatum propter unitatem principii, scilicet voluntatis, a quo peccati ratio ad omnes actus partium derivatur: ita et *ratione principii*, in tota natura humana consideratur quasi unum, *peccatum originale*. Propter quod Apostolus dicit Rom. V. *In quo omnes peccaverunt.* Quod secundum Augusti-

num potest intelligi: *in quo*, scilicet *primo homine*, vel *in quo peccato primi hominis;* ut peccatum primi hominis sit quasi commune peccatum omnium."

Palmulo nostro propius, ac diligentius metiri non possumus mysteria fidei. Hinc homines, ac etiam infantes non regeneratos, carentia divinae visionis puniri, nulla est divinae justitiae laesio: *habent enim in se aliquid*, (ut ait Aquinas ibidem ad 14.) *ex quo debeatur eis quod careant visione divina: et sic carentia visionis divinae est poena peccati*, saltem *originalis.* Cum e contra *hominibus in solis naturalibus*, *etiam sine peccato*, competeret quidem visionis divinae carentia: at ea dumtaxat ratione, *quod non haberent in se unde possent ad divinam visionem pervenire.* Poena igitur illis haud foret praedicta carentia: *sed defectus consequens omnem naturam creatam*, *quia nulla natura creata ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem divinam.* Eamdem ob causam illaesa divina justitia fulget; si propter Adae peccatum, quod in omnes pertransiit, tot in hac vita patiamur aerumnas, atque simus necessitati moriendi obnoxii. Quo loco *regeneratos* homines, *non regeneratosque* distingue: ac praedicta detrimenta accipe *ut proprie poenam,* ac rursum *veluti poenalitates,* ut infra dicendum.

Ad id ergo dirimenda quaestio reducitur, num justitia vetet, alterum puniri pro noxa personali alterius, etiam a Deo? Scripturarum testimonia, quae memoravimus, diversa videntur, et adversa. Satis hoc loco fuerit concordiam exhibere, quae nititur solidissimis Aquinatis documentis. Rem ille pertractat 1. 2. Qu. LXXXVII. Art. VII. et VIII. et 2. 2. Qu. CVIII. Art. IV. in 2. Sent. Dist. XXXIII. Qu. I. Art. I. et in 4. Dist. XLVI. Qu I. Art. II. et de Malo Qu. IV. Art. I. ac alibi. Quae praecipua sunt doctrinae angelicae capita, simul colligo. „Ac primo sciendum est (inquit 1. 2. Qu. LXXXVII. Art. VII), quod quandoque aliquid videtur esse *poenale:* quod tamen non habet *simpliciter rationem poenae.* Poena enim est *species mali:* malum autem est *privatio boni.* Cum autem sint plura hominum *bona, scilicet animae, corporis, et exteriorum rerum;* contingit interdum, quod homo patiatur detrimentum in minori bono, ut augeatur in majori: sicut eum patitur detrimentum pecuniae propter sanitatem corporis, vel in utroque horum propter salutem animae, et propter gloriam Dei. Et tunc *tale detrimentum* non est *simpliciter malum,* sed *secundum quid:* unde non habet *simpliciter rationem poenae,* sed *medicinae;* nam et Medici austeras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem. Et quia hujusmodi non *proprie* habent *rationem poenae*, non reducuntur *ad culpam* nisi pro tanto." Proxima, et directa causa quaerenda non est, quae sit culpa: attamen culpa originalis dici debet causa remota, et indirecta. Cur vero? *Quia hoc ipsum*, *quod oportet humanae naturae medicinas poenales exhibere*, *est ex corruptione naturae, quae est poena originalis. In statu enim Innocentiae non oportuisset, aliquem ad profectum virtutis inducere per poenalia exercitia: unde hoc ipsum, quod est poenale in talibus*, *reducitur ad originalem culpam*, *sicut ad causam.* Jam collige primum: mala praedicta, quae sunt aerumnae hujus vitae, *manere etiam post Baptismum* (ut ait ad 1.), *propter causam superius dictam:* non uti poenas,

queis culpa puniatur: sed uti medicinas, ad profectum virtutis, ad salutem animae, ad gloriam Dei conferentes. 2. Absque ulla divinae justitiae laesione peculiares calamitates, et afflictiones justis etiam hominibus immitti posse ad cautelam peccatorum praecedentium, ad probationem patientiae aliarumque virtutum, ad augmentum meriti, ad aliorum exemplum. 3. Merito inustam a *Pio V.* hanc thesim, quae enunciabat: *Omnes justorum afflictiones esse peccatorum ultiones.*

Quoniam vero *detrimenta corporalium rerum, vel etiam ipsius corporis* possunt esse *poenales medicinae*, *ordinatae ad salutem animae:* „nihil prohibet (verba sunt Sancti Doctoris ibidem Art. VIII.) *aliquem pro peccato alterius puniri a Deo:* utpote filios pro patribus, et subditos pro dominis, inquantum sunt quaedam res eorum. Ita tamen quod si filius, vel subditus est *particeps culpae:* hujusmodi poenalis defectus habet *rationem poenae* quantum ad utrumque, scilicet eum qui punitur, et eum pro quo punitur. Si vero non sit particeps culpae; habet *rationem poenae,* quantum ad eum *pro quo punitur:* quantum vero ad eum, *qui punitur,* rationem *medicinae tantum* ...., ordinatur enim ei ad bonum animae, si patienter sustineat.“ At poena rursum foret, si filius v. g. tametsi iniquitatem patris non imitaretur, *ejus* tamen *peccato consentiret.* Hinc inferas, poenas hujusmodi medicinales in praesenti dumtaxat vita locum habere, non in altera.

Dignissima sunt animadversione verba illa, quae *filios* enunciant *pro patribus, et subditos pro dominis* affligi, aut puniri posse, *in quantum sunt quaedam res eorum.* Haec evincit ratio, immitti a Deo posse absque ullo injustitiae vitio afflictiones hujusmodi, tametsi *medicinae* rationem non habere videantur. Exempla Sanctus Thomas affert 2. 2. Qu. CVIII. art. IV. num. 3. *in parvulis Sodomitarum, qui cum parentibus perierunt: in parvulis Datan et Abiron, qui pariter cum eis absorpti sunt: in ipsis brutis animalibus, qui tametsi careant ratione, jussa sunt interfici pro peccato Amalecitarum.* Luculentissimam accipe ejusdem Aquinatis doctrinam ad 3. „Dicendum, inquientis, quod *parvuli* divino judicio simul puniuntur temporaliter (etiam capite) cum parentibus: tum quia sunt *res parentum,* et in eis etiam parentes puniuntur: tum etiam quia hoc *in eorum bonum cedit,* ne si reservarentur, essent imitatores paternae malitiae; et sic graviores poenas mererentur. In *bruta* vero *animalia*, et quascumque alias irrationales creaturas, vindicta exercetur: quia per hoc puniuntur illi, quorum sunt; et iterum propter detestationem peccati.“ Collige, *parvulorum mortem* a Deo illatam non esse *poenam,* qua filii puniantur pro patribus: sed qua patres puniuntur in filiis, tamquam in re quae est ipsorum, et ex cujus amissione vehementius affligi solent parentes.

Minime tamen *justitia humana* tam late patet. „Nec enim punit filium pro peccato patris (ejusdem verba sunt Doctoris in II. Sent. Dist. XXXIII. Qu. I. Art. II. ad 4.) in eo quod *ex patre jam accepit:* sed in eo quod *ex patre accepturus esset,* vel quantum ad corpus, vel etiam quantum ad possessiones. Non enim quia pater peccat, filius jam natus truncatur: neque filius emancipatus exheredatur. Sed per accidens poena patris redundat in filium: quando patri aufertur

id, quod in filium ex patre transire debebat, ut *hereditas:* vel etiam *membrum*, quia ex truncatis (si casus detur) truncatus nascitur." At haec eadem rursum detrimenta animadverte cum Aquinate 1. 2. Qu. LXXXXVII. Art. VIII. ad 2. simul etiam *remedia quaedam esse, vel medicinas contra culpas sequentes: ut vel ipsi qui puniuntur, vel alii cohibeantur a similibus culpis.*

Dantur poenae spirituales, quae detrimentum inferunt bonorum animae. *Medicinales* istas, inficiatur ibidem Sanctus Thomas: *quia bonum animae* (cujus detrimentum est poena spiritualis) *non ordinatur ad aliud melius bonum.* Hinc *in bonis animae,* inquit ipse, *nullus patitur detrimentum sine culpa propria: et propter hoc talibus poenis, ut dicit Hieronymus in Epistola ad Avitum, unus non punitur pro alio; quia quantum ad animam filius non est res patris.* Interiora animae bona intellige, cujusmodi sunt *gratia sanctificans, virtutum habitus,* similia dona. Fieri namque potest, pro alieno peccato, vel potius occasione peccati alieni privari aliquem spiritualibus *externis bonis,* verbi divini praedicatione, ac ministerio Sacramentorum. Id contingeret, Deo permittente, ut propter peccata aliorum civitates, et regna in potestatem venirent infidelium, et haereticorum. Quo casu proprie haud punirentur innocentes: verum exteriora potius non darentur eis auxilia, quae nec sunt eorum, neque debentur eis, cum sint gratuita. Ac licet praedicta detrimenta medicinae loco haberi nequeant, cum *per sese* neque ad virtutis profectum, neque ad peccati fugam perducant: *ipsorum* tamen *occasione,* misericordia Dei disponente, excitari ferventius potest desiderium ea quaerendi, et habendi praesidia. Interiora demum quaedam spiritualia adde bona, *adeo exigua, et minoris momenti* (ut ait *Bartholomaeus Medina* 1. 2. in Commentario), veluti *orationis suavitatem, et otii sancti quietem:* quorum detrimentum interdum pati justos homines consultissimum videtur *propter officia caritatis praecipua.* Laudatum Medinam, ac *Franciscum Sylvium,* aliosque Doctores Theologos consule, *justitiae divinae,* ac *humanae* jura optime illustrantes.

CAPUT XX.

Fidem originalis peccati firmat Augustinus contra Pelagianos constanti traditione Patrum Ecclesiae Occidentalis. Itemque Ecclesiae Orientalis. Aliqua eorum dicta vindicantur. Aequissimae Bossueti animadversiones.

I. Fidem peccati originalis, traditam *ab Ecclesia catholica ubique diffusa,* testati sunt Africani Patres in *Synodo Carthaginensi* anno 418. celebrata Canone I. Hanc Patrum utriusque linguae testimoniis allegatis compertissimam facit traditionem *Sanctus Augustinus* Libro I. contra Julianum. Testes primo loco appellat probatissimos *Occidentalis Ecclesiae* Patres.

Ducit agmen *Irenaeus,* qui Lugdunenses infulas post sanctum Pothinum, anno circiter 177. sublatum martyrio, gestare coepit, haud longe ab aevo Apostolorum. Haec habet ille ab Augustino prolata Libro IV. contra Haereses Cap. II. alias V. num. 7. *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secun-*

dum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra, omnia traxit ad se, et vivificat mortuos. Et Libro V. Cap. XIX. num. 1. *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per Virginem: aequa lance deposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccatum per correptionem Primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbae simplicitate: vinculis autem illis resolutis, per quae alligati eramus morti.* „Vides ne (Augustinus ait), antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? Quid de similitudine carnis peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? Quid de *Protoplasti peccato*, per quod *alligati fueramus?*"

Multo apertius eamdem fidem tradit *Cyprianus* Martyr, et Episcopus Carthaginensis anno vulgaris aerae 248 renunciatus. Ait enim in Epistola ad Fidum: *Si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiae posset, magis adultos, et provectos, et majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo, atque gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.*

Reticius, Augustoduni Episcopus, qui in Urbe Roma, Melchiade Sedis Apostolicae Episcopo praesidente, judex cum aliis interfuit anno 313 in causa Donatistarum, Donatumque damnavit, in Opusculo *de Baptismo,* quod jam periit, sed visum fuit ab Augustino, ita loquebatur: *Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam, neminem praeterit: in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiae nostrae facinora prisca delemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus.* „Audis antiqui criminis pondus, audis prisca facinora, audis cum sceleribus ingenitis hominem veterem: et audes adversus haec ruinosam construere novitatem?" Par est sententia *Olympii*, Hispani Episcopi, qui Synodo Toletanae primae anno 400 subscripsit, in *Sermone quodam Ecclesiastico*, qui non exstat: *Si fides umquam in terris incorrupta mansisset, numquam Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.*

Sequitur acerrimus Ecclesiae catholicae adversus Haereticos defensor, *Hilarius* Pictavorum Episcopus, anno 367 denatus. In expositione Psalmi CXVIII. v. 171 sic ait: *Vivere se in hac vita non reputat* (David); *quippe qui dixerat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Scit sub peccati origine, et sub peccati lege esse se natum.* „Sentis ne, quid audias? Quaeris ne, quid dicas? Hunc virum, tanta in Episcopis catholicis laude praeclarum, tanta notitia famaque conspicuum, *de peccato originali* aude, si quid tibi frontis est, criminari."

Loca plura prostant *Ambrosii* Mediolanensis. Libro I. in Lucam num. 37. (Jordanis conversus est retrorsum). *Significat salutaris lavacri futura mysteria: per quae in primordia naturae suae qui baptizati*

fuerint parvuli, a malitia reformantur. Libro II. num. 56. *Non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit: sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus Sanctus infudit. Solus enim per omnia ex natis de femina Sanctus Dominus Jesus, qui terrenae contagia corruptelae, immaculati partus novitate, non senserit: et caelesti majestate depulerit.* Libro IV. num. 67. *Omnes in Adam mortui: quia per unum hominem in hunc mundum peccatum introivit, et per peccatum mors: et ita in omnes homines pertransivit, in quo omnes peccaverunt.* Libro VII. num. 73. *Cave ergo, ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati caelestis custodia destitutus, et exutus fidei vestimento, et sic lethale vulnus accepit: in quo omne genus occidisset humanum, nisi Samaritanus ille descendens vulnera ejus acerba curasset.* Ibidem num 234. *Fuit Adam, et in illo fuimus omnes. Periit Adam, et in illo omnes perierunt.* In Apologia David. Cap. XI. *Antequam nascamnr, maculamur contagio: et ante usuram lucis, originis ipsius accipimus injuriam, in iniquitate concipimur. Non expressit, utrum parentum, an nostra. Et in delictis generat unumquemque mater sua. Nec hic declaravit, utrum in delictis suis mater pariat, an jam sint et aliqua delicta nascentis. Sed vide, ne utrumque intelligendum sint. Nec conceptus exors est iniquitatis, quoniam et parentes non carent lapsu. Et si nec unius diei infans sine peccato, multo magis nec illi materni conceptus dies sine peccato sunt. Concipimur ergo in peccato parentum, et in delictis eorum nascimur: sed et ipse partus habet contagia sua, nec unum tantummodo habet ipsa natura contagium.* Quod loco injectum dubium, utrum *parentum*, an *prolis* ea sit iniquitas, sine qua nemo concipitur, fidem peccati originalis nullo modo infirmat; cum disertissima Ambrosii sententia sit, nec infantem *conceptum exsortem esse iniquitatis, et ipsum partum habere contagia sua.* Poenitentis Davidis textum expendimus Cap. XVIII. num. I. et II. Tum vero *transitum mortis* et aerumnarum per Adae peccatum in omnes homines, tum ipsius *peccati,* qua parte privationem importat gratiae sanctificantis, et justitiae originalis Adamo collatae, *transitum* in omnes pariter homines, luculentissime edisserunt Patrum testimonia, quae allata sunt.

II. Patrum *Orientalis Ecclesiae* omnino consona mens est. *Gregorii Nazianzeni,* qui anno 391 vita migravit, plura profert in medium testimonia Augustinus eodem in Libro I. contra Julianum Cap. V. Quod habetur in Oratione XXXVIII. in Christi Nativitatem, paullo post initium, accipe: *Deposito veteri homine, novum induamus. Et quemadmodum in veteri Adamo mortui sumus, ita in Christo vivamus, dum nimirum cum Christo et nascimur et cruci affigimur, et sepelimur, et resurgimus. Pulchra enim in contrarium mutatio mihi subeunda est: ut quemadmodum ex secundis rebus molestae venerunt, sic etiam ex molestis beatae et jucundae redeant . . . Et si gustus condemnavit, quanto magis Christi passio justificavit ..... Reverere ... nativitatem, ob quam nativitatis vinculis solutus es, τῶν δεσμῶν τῆς γεννήσεως.* Versionem aliam antiquam adhibuit Augustinus.

Basilii sententia, quam e *verbo ad verbum* maluit ipse transferre Augustinus, legitur in Homilia I. de jejunio v. 3. *Jejunium in paradiso lege constitutum est. Primum enim mandatum accepit Adam:* A ligno

sciendi bonum, et malum non manducabitis. *Non manducabitis autem, jejunium est; et legis constitutionis initium. Si jejunasset a ligno Eva, non isto indigeremus jejunio.* Non enim opus habent valentes medico, sed male habentes. *Aegrotavimus per peccatum, sanemur per poenitentiam: poenitentia vero sine jejunio vacua est. Maledicta terra spinas, et tribulos pariet. Contristari ordinatus est, numquid deliciari? . . . Quia non jejunavimus, decidimus de paradiso, jejunemus ergo, ut ad eum redeamus.* „Audis quod isto non indigeremus jejunio, si homo jejunii legem non fuisset in Paradisi felicitate transgressus: et negas, peccato illorum hominum obnoxios cacteros nasci? Audis adjunctum, *Non enim sani indigent medico:* et negas, nos sanitatem in qua creati sumus, peccato illorum hominum perdidisse? Audis sententiam, quae prolata est in primum hominem peccatorem, *Spinas et tribulos terra pariet tibi*, ad nos etiam pertinere: et negas obnoxios esse peccato, quos eidem cernis obnoxios esse sententiae? Audis ad Paradisum nos, unde decidimus, redire debere: et negas ad nos eorum peccatum, qui soli tunc homines in paradiso fuerant, in quibus et nos fuimus, pertinere?“

In eodem adserendo Fidei dogmate totus est *Joannes Chrysostomus.* In Epistola III. ad Olympiam scribit: *quando enim Adam peccatum illud grande peccavit, et omne genus hominum in commune damnavit, de moerore poenas luebat.* Item Homilia de Lazaro resuscitato: *Flebat Christus, cur usque ad hoc mortalitas* (mortalis) *deliquisset, ut excussa* (excussus) *de perennitatibus inferos adamaret. Flebat Christus, quod eos qui immortales esse poterant, Diabolus fecit esse mortales.* Expende, peccato primi hominis omne genus humanum damnatum fuisse: delictum in Lazaro flevisse Christum, per quod omnes homines, primo peccante, de vitae perennitate ceciderunt: omnes homines, qui immortales esse poterant, a Diabolo per peccatum primi hominis factos esse mortales. Haud ergo miseram dumtaxat nascendo accipimus naturae conditionem, ut postea *Zuingliani* somniarunt, sed *in poenam* incurrimus, et in *commune peccatum.*

In Homilia ad Neophytos, *verbum e verbo*, interpretata sententia sic habet: *Venit semel Christus: invenit nostrum chirographum paternum,* ἡμῶν χειρόγραφον πατρῶον, *quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti;* τὴν ἀρχὴν εἰσαγάγην τοῦ χρέους, *nos foenus auximus posterioribus peccatis,* τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγγενεστέραις ἁμαρτίαις. „Numquid contentus fuit dicere, *paternum chirographum;* nisi adderet *nostrum?* Ut sciremus, antequam *foenus peccatis nostris posterioribus augeremus*, jam illius chirographi paterni ad nos *debitum* pertinere.“

Vim exserunt eamdem sententiae plures, quae habentur Homilia X. in Epistolam ad Romanos. *Manifestum*, inquit, *quoniam non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione: sed illud peccatum quod ex Adae inobedientia, hoc erat, quod omnia contaminavit.* „Nonne *illo uno peccato* contaminata dicit esse omnia: et sic *illud* distinguit a *caeteris* postea commissis, introductisque *peccatis*, quae vos dicitis *ad imitationem*, non *ad propaginem* pertinere; ut non illa tantum, sed et hoc et illa per gratiam Christi dicat interfici?“ *Ut cum tibi dixerit Judaeus, quomodo unius virtute Christi mundus salvatus est? Possis ei dicere*

quemadmodum uno inobediente Adam, mundus damnatus est ..... Alium pro alio damnari, non valde videtur habere rationem: alium autem pro alio salvari, et decentius magis et rationabilius apparet. Si igitur illud factum est, multo magis hoc ..... Quod ergo crux Christo et sepulcrum, hoc nobis Baptisma factum est. Tametsi non in eisdem ipsis. Ipse namque carne et mortuus est, et sepultus: nos autem peccato in utroque, (per Baptismum mortui sumus, et sepulti ...) *Mors quidem carnis Christi, nostra autem peccati. Quemadmodum ergo illa vera, et haec.* „Cui ergo *peccato* parvulus moritur, si *originale* non traxit? An forté non in morte Christi parvuli baptizantur? Cum Apostolus non dixerit, *Quidam; sed quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus.*“

Testes orientales addit Augustinus ibidem num. 19. *Episcopos quatuordecim,* illos ipsos, qui Pelagio judices praesederunt in *Concilio Diospolitano.* Pelagium ipsi, nemine ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum, tamquam catholicum quidem pronuntiarunt: „At nisi in eorum conspectu, audituque damnasset eos qui dicunt, *quod peccatum Adae ipsum solum laeserit, et non genus humanum: et quod infantes nuper nati in eo statu sint, in quo Adam fuit ante peccatum: et infantes etiamsi non baptizentur, habere vitam aeternam;* nullo modo inde, nisi damnatus exisset.“

In censum denique vocat num. 34. *Sanctum Hieronymum*, qui graeco, et latino, insuper et hebraeo eruditus eloquio, ex Occidentali ad Orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, atque in litteris sacris usque ad decrepitam vixit aetatem. „Qui cum exponeret Jonam Prophetam, apertissime dixit: (Capite III. v. 5.) quod *etiam parvuli peccato offendentis Adam tenerentur obnoxii.*“ Integer locus est: *Saccus et jejunium arma sunt poenitentiae, auxilia peccatorum. ... Major aetas incipit, et usque ad minorem pervenit. Nullus enim absque peccato, etsi unius quidem diei fuerit vita ejus, et numerabiles anni vitae illius. Si enim stellae non sunt mundae in conspectu Dei, quanto magis vermis, et putredo, et hi, qui peccato offendentis Adae tenentur obnoxii?*

III. *Basilii*, et *Joannis Chrysostomi* quaedam loca opponebant Pelagiani. Haec vocat ad examen Augustinus. Insequentem *Basilii* textum *Julianus* proferebat ex ejusdem Libro contra Manichaeos, qui non exstat: *Si evenisset malum, itaut non valeret ulterius a voluntate removeri ... merito dici posset, substantiale quidem malum non esse: sed ipsam substantiam sine malitia, quae accidit, jam esse non posse. Si autem accessit, et principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem; facile potest malum a substantia separari, ut et subjecta voluntati substantia munda possit per omnia possideri, itaut nullius mali vel signa remaneant.* Hoc abutebantur *Pelagiani* testimonio, ut peccatum imputandum nemini ostenderent, quod propria voluntate non esset commissum. Reponit I. Augustinus Capite V. num. 16. testimonium opponi, *quod ad causam peccati originalis per unum intrantis in mundum, et per omnes homines transeuntis, omnino non pertinet. Ibi quippe agit* (Basilius,) *ne malum substantiale credatur, habens suam quandam materiam, sicut sapiunt manichaei.* „At ista ita recte dixit *Sanctus Basilius*, (altera est Augustini responsio ibidem,)

ut etiam de ipso malo, quod per Adam intravit in mundum, et per omnes homines pertransiit, bene possit intelligi; quia et ipsum accessit naturae humanae. Non enim sic erat primitus condita; et *principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem*, sive mulieris quae a serpente seducta est, sive viri ejus qui seductae ad peccandum consensit uxori. Sed quod ait: *facile posse malum a voluntate, vel a substantia separari;* non humanae facile est voluntati, sed misericordiae Dei. Quod adversus *Manichaeos* utique sufficit, qui putant esse impossibile, mutari in bonum naturam mali.“ Ad alium Sancti Patris locum-similem par est responsio Augustini num. 17.

Mirum, quam inflatis *Pelagiani* exaggerarent buccis verba illa *Joannis Chrysostomi*, quae habentur in Homilia ad Neophytos: *Non enim* (baptizati) *tantum sunt liberi, sed et sancti: non tantum sancti, sed et justi: non solum justi, sed et filii: non solum filii, sed et heredes: non solum heredes, sed et fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed et coheredes: non solum coheredes, sed et membra: non tantum membra, sed et Templum: non tantum Templum, sed et organa spiritus. Vides, quot sunt Baptismatis largitates? Et nonnulli deputant, caelestem gratiam in peccatorum remissione consistere: nos autem honores computavimus decem. Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato; ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* Malam fidem Pelagianorum arguit Augustinus, qui *infantes non coinquinatos peccato* interpretabantur: cum tamen verba graeca Chrysostomi haec habeantur: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοὶ ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα; quod est latine, *ideo et infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes.* „Peccata dixit parvulos non habere, sed *propria*, (ait Augustinus Capite VI. num. 21.) Unde illos innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus: (Rom. IX. 11.) *nondum natos nihil egisse boni, sive mali.* Non secundum quod ait: (Rom. V. 19.) *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi* .... Comparans ergo eos *Joannes* majoribus, quorum propria peccata dimittuntur in Baptismo, dixit illos *non habere peccata* .... Intellige *propria*, et nulla contentio est. At inquies, cur non ipse addidit *propria?* Cur putamus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur: tali quaestione nullius pulsabatur: vobis nondum litigantibus, securius loquebatur.“ Et num. 18. „Dixit, *eos non habere peccata.* Quae non eum intelligi nisi *propria* voluisse, ejus tam multa testimonia (superius allata,) tamque manifesta declarant.“

IV. Illustrissimi Jacobi Benigni Bossueti, Episcopi Meldensis, animadversiones affero aequissimas, verissimasque, ut haec Patrum traditio quam versamus, illucescat splendidius. Habentur illae in Opere, *Defense de la Tradition, et des Saints Peres*, Libro VIII. Statuit Vir doctissimus Capite II. *Ad investigandam traditionem dogmatis, quod publicis, et authenticis, ac universim receptis actis innititur, cujusmodi est in ea, quam versamus quaestione, baptisma parvulis collatum in remissionem peccatorum, haud esse absolute necessariam sententiarum, quae in Patribus leguntur, peculiarem discussionem.* Unde Augustinus Libro I. contra Julianum Capite IV. num. 14. ajebat:

„Non est, cur provoces ad *Orientis Antistites*.... Audivimus, te *infantem baptizatum*... Profecto *exorcizatus*, et *exsufflatus es*, ut a potestate erutus tenebrarum transferreris in regnum Christi.... Sacramenta, quibus te peperit (Ecclesia), tuae matri conaris auferre.“ Argumentum inferius adducendum est, quod ex parvulorum baptismate sumitur.

Adserit Capite III. *Ecclesiae Occidentalis testimonium satis esse ad universae Ecclesiae traditionem intelligendam.* Augustini verba sunt loco citato: „Non est ergo, cur provoces ad *Orientis Antistites:* quia et ipsi utique Christiani sunt, et *utriusque partis terrarum* fides ista una est; quia et fides ista christiana est. Et te certe *Occidentalis* terra generavit, *Occidentalis* regeneravit *Ecclesia*. Et num. 13. praecedente: An ideo contemnendos putas (Patres allegatos,) quia *Occidentalis Ecclesiae* sunt omnes: nec nullus est in eis commemoratus a nobis *Orientis Episcopus?*... Puto, tibi eam partem *sufficere debere*, (nempe Occidentalem.)“ Tum vero latinae Ecclesiae ornamenta peculiaria, ac praerogativas commemorat: *in qua*, (inquiens,) *primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare:* et in qua *praecipue fides lucet Romana*, ut ait Capite VII. num. 30.

Animadvertit Capite IV. *Unum, aut duos celebriores Orientalis Ecclesiae Patres satis esse.* Ita scilicet idem Augustinus Libro citato Capite V. num. 15. „Non est ergo, cur provoces ad *Orientis Antistites*... Sed non tibi deerit *magni nominis*, et fama celeberrima illustris *Episcopus* etiam de partibus Orientis . . . *Sanctus Gregorius (Nazianzenus.)*... An tibi parva in *uno Gregorio* Episcoporum Orientalium videtur auctoritas?“ Et num. 16. „Est quidem *tanta persona*, ut neque ille hoc, nisi ex fide christiana omnibus notissima dixerit.“ Testem addit *Basilium*. Tum vero num. 19. *Quid hinc plura? Vide jam, utrum sufficiant tibi ex Orientis partibus duo isti, tam insignes Viri.*

Denique adnotat Bossuetus Capite V. *Sensum Ecclesiae praesentis unanimem satis esse ad omne de sensu antiquioris Ecclesiae dubium eliminandum.* Hinc vero Augustinus cum Gregorii Nazianzeni, et Basilii testimonia allegasset, ad Ecclesiae praesentis testimonium recurrit, quo mota quaestio dirimatur. Verba ejus sunt loco citato: „Dic *non sufficere* (Basilium, et Nazianzenum.) Habemus alios Orientales Episcopos quatuordecim, *Eulogium*, *Joannem*, *Ammonianum*, *Porphyrium Eutonium*, *Porphyrium alium*, *Fidum*, *Zoninum*, *Zoboennum*, *Olymphidium*, *Chromatium*, *Jovinum*, *Eleutherium*, *Clematium* . . . . . Illos ipsos, qui Pelagio Judices praesederunt (in Synodo Diospolitana:) cumque ut hominem, nullo ex altera parte urgente adversario, putantes catholicum, tamquam catholicum pronuntiarunt. Nisi enim in eorum conspectu, audituque damnasset eos, qui dicunt, *quod peccatum Adae ipsum solum laeserit &c.*... nullo modo inde nisi damnatus exisset.“ Cur vero? Quia quod in Ecclesia praesenti inveniunt Episcopi, id veluti a Patribus acceptum, et filiis traditum, tenent, credunt, docent. Hanc ab Augustino quatuor praedictis regulis methodum in *Traditione* scrutanda servatam, ampliore sermone illustrat *Vincentius Lirinensis* in Commonitorio contra prophanas omnium hae-

resum novitates. Qua methodo aequissima, verissimaque conficitur, si qui sint Ecclesiae Patres, aut Scriptores, qui sileant, aut ambiguas videantur habere sententias, eos ab aliorum societate, quorum diserta sunt testimonia, sejungendos non esse: cum sane si quid minus accurate scripserint, illaesa fide scripserint ante ortum haereseon. Consule Augustinum eodem in Libro I. contra Julianum Capite VI. num. 22. strenue vindicias Joannis Chrysostomi in hac de originali peccato causa agentis.

CAPUT XXI.

Eamdem fidem confirmant alia eorumdem Patrum dicta, aliique veteres Patres: Justinus, et Irenaeus. Athanasius Alexandrinus, et Gregorius Nazianzenus. Hilarius Pictaviensis, et Mediolanensis Ambrosius. Aliique, qui erumpentem haeresim detruncarunt.

I. Constantissimam de *fide peccati originalis* traditionem alia confirmant Patrum, quos *Augustinus* laudavit, splendidissima testimonia, aliique *veteres Patres*. Primum appello *Justinum,* qui secundo Ecclesiae christianae saeculo floruit, in eo quem Ephesi cum Tryphone Judaeo Dialogum habuit. Haec profero. *Ad amnem Jordanis non ideo venisse Christum, pro comperto habemus, quod vel Baptismi lavatione, vel Spiritus in specie columbae adventu opus ei fuerit: sicut nec nasci, nec circumcidi, et crucifigi propter functionis hujusmodi indigentiam sustinuit; sed humani generis causa, quod per Adam in mortem, et fraudem, seductionemque serpentis conciderat, ut interim propriam pro se maligne agentis cujusque culpam taceam.* Culpam propriam cujusque distinguit, et *communem:* illam, quae proprio cujusque actu committitur: istam, quam genus humanum per Adam contraxit.

Eodem aevo Ecclesiam meritis, et doctrinis ornavit *Irenaeus,* Lugdunensis Episcopus. Praeter ejus testimonia ab Augustino relata, haec habentur luculentissima Libro V. adversus Haereses Capite XIV. *Dominus caro, et sanguis secundum principalem plasmationem factus fuit, salvans in semetipso in fine illud. quod perierat in principio in Adam.* Infra: *Justa caro reconciliavit eam carnem, quae in peccato detinebatur.* Et Capite XVI. *Dissolvens eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus est usque ad mortem.* Item: *Deum in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum: in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes usque ad mortem facti. Neque enim alteri cuidam eramus debitores: sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab initio.* Genus humanum vides, tum *peccato* primi hominis implicitum, tum *poenis* inde consequentibus obnoxium.

II. Par est sententia *Athanasii*, Alexandrini Episcopi, in Oratione de Incarnatione Verbi Dei num. 4. *Quia sermonem habemus,* inquientis, *de Salvatoris nostri ad nos adventu; necesse est etiam, de hominum primordiis loqui, quo plane perspicias, ὅτι ἡμῶν αἰτία, nostram causam ejus adventus fuisse occasionem: καὶ ἡμῶν παράβασις, et nostra transgressione Verbi benignitatem excitatam fuisse, ut ad nos accederet, et inter homines Dominus appareret.* Adami causam vocat *nostram,*

et nostram *transgressionem* ejus. *Nos enim causa sumus, cur corpus assumpserit, nostramque ob salutem in humano corpore nasci, et apparere benignissime voluit. Hoc igitur modo Deus hominem fecit, atque immortalem manere voluit.* Hominem dicit genus ipsum humanum *in uno primo* contentum homine. *At homines,* (Adae posteri omnes in eodem Adamo,) *neglecta, et rejecta Dei contemplatione, sibi ipsis malitiam excogitaverunt ... atque ita in denunciatam mortis damnationem misere inciderunt.* Quid clarius, mortales factos homines, et hanc eos incurrisse damnationem mortis, propterea quod *sibi primum ipsis malitiam excogitaverunt,* latam in Paradiso a Deo legem violantes?

In Expositione Psalmi I. v. 7. ait idem Athanasius: *Omnes, qui ex Adamo oriuntur, in iniquitatibus concipiuntur.* Quaenam istae fuerint iniquitates, perquiris? *Proavi sui,* (inquit,) *damnatione collapsi.* Addo verba, quae habentur in sermone, *omnia mihi tradita sunt a Patre meo:* nimirum num. 2. *Postquam peccavit, et cecidit homo: eo cadente, omnia sunt perturbata. Mors ab Adam usque ad Moysem invaluit,* (quo tempore positivam divinam legem, quae violaretur, memorat nullam sacra Scriptura:) *maledicta est terra, inferi aperti sunt, clausus est paradisus, coeli infensi nobis sunt facti: ac denique corruptus est homo, et jumentis similis effectus est.* Vetat justitia Dei, tot *poenas spirituales* in hac vita, ac etiam in futura subire homines, nisi *propter peccatum:* quod omnibus commune esse debet juxta poenae universalitatem.

Testis iterum accedit *Gregorius Nazianzenus.* In Oratione II. quae est ad Basilium Magnum post reditum ejus ex fuga: *Omnes,* ait, *ex eadem terra, et massa coagmentati sumus: et ejusdem ligni iniquitatem,* τῆς κακίας, *gustavimus.* Apollinarium insequitur Oratione XIV. quae est tertia de Pace: ac si Christus, humana mente non adsumpta, *me totum,* inquit, *non servaverit:* ὅλον πταίσαντα, καὶ κατακριθέντα ἐκ τῆς τοῦ προτοπλάστου παρακοῆς, *qui totus corrui, damnatusque sum in Protoplasti inobedientia.* Se terrenorum omnium reliquisse desiderium ait Oratione XVIII. in laudem Cypriani Martyris, ex quo ad Christi ordines contulit se: *eaque omnia* abjecisse, *quae ex prima gustatione nostra,* γεύσεως ἡμῶν, *per quam perditi sumus, originem trahunt.* Momentum idem habent, quae disserit Oratione XLII. quae est altera in Pascha: *Diaboli invidia, et mulieris insultu, quam magis idoneam ad persuadendum adhibuit, (heu meam infirmitatem! mea quippe, quae primi parentis,* ἐμὴ γὰρ ἡ τοῦ προτοπάτορος,) *accepti mandati oblitus est.* Et infra: πεσόντας ἡμᾶς ἐκ τῆς ἁμαρτίας τὸ ἀπ' ἀρχῆς, *nos ab initio per peccatum lapsos.* An luculentiora petas?

III. Fidem eamdem promit *Hilarius Pictaviensis.* Verba Psalmi CXVIII. v. 112. *Inclinavi cor meum,* exponens ait: *Cor suum ipse declinat, et ex naturae humanae peccatis in obedientiam Dei inflectit. Natura quidem, et origo carnis suae detinebat: sed voluntas, et religio cor ejus ex eo, in quo manebat originis vitio, ad justificationum opera declinat.* Ad v. 115. *Declinate a me maligni,* notam appingit: *Ipsis Apostolis,* inquiens, *verbo licet jam fidei emundatis, atque sanctis, non abesse tamen malitiam per conditionem communis nobis originis, docuit*

Dominus. Vitio originis gratia Dei deterso, adhuc manent *vitii reliquiae*, ignorantia recti, pronitas ad peccatum, carnis concupiscentia.

Rem hanc latiore sermone versat in Commentario Matthaei Capite X. num. 23. *Tria tantum in homine reperimus: idest corpus, et animum, et voluntatem ... Sed hoc in illis deprehenditur, qui primi a Deo figurati sunt: in quibus coeptae originis ortus effectus est, non traductus aliunde. Sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus, coepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animae infidelitas: ab his enim ortum per transgressionem primi parentis accepimus.* Et num. 24. *Cum ergo innovamur baptismi lavacro per Verbi virtutem, ab originis nostrae peccatis, atque auctoribus separamur ... Et veterem cum peccatis, atque infidelitate sua hominem exuentes, et per Spiritum anima et corpore innovati, necesse est ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus.* Demum Capite XVIII. num. 6. *Ovis una, homo intelligendus est: et sub homine uno, universitas sentienda est. Sed unius Adae errore omne humanum genus aberravit.*

Insignia sunt loca apud *Ambrosium.* In Libro de Poenitentia Capite III. num. 13. *Omnes homines sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est .... Christi autem caro damnavit peccatum, quod nascendo non sensit, quod moriendo crucifixit; ut in carne nostra esset justificatio per gratiam, ubi erat ante colluvio per culpam.* Miserrimam suipsius, aliorumque hominum conditionem deplorat Libro II. de Fide Resurrectionis num. 6. *Lapsus sum in Adam, de Paradiso ejectus in Adam, mortuus in Adam: quomodo revocet, nisi me in Adam invenerit, ut in illo culpae obnoxium, morti debitum, ita in Christo justificatum?* In altera Apologia Davidis Capite XII. num. 71. *Omnes in primo homine peccavimus: et per naturae successionem, culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est.* Post haeresim Pelagianorum exortam luculentius fidem Ecclesiae haud illustrarunt Patres, qui arma adversus eam strinxere.

IV. In eadem consentiebant fide, quotquot in Orbe florebant Ecclesiae, cum primum *Pelagianum dogma* vulgari coepit. Caelestium, ejusque errores damnat *Synodus Carthaginensis* anno 412. celebrata. *Diospolitanum* in Oriente Concilium anno 415. non absolvit Pelagium nisi quia, ficto licet animo, anathema dixit in eos, qui adserebant: *Peccatum Adae ipsum solum laesisse, et non genus humanum &c.*

Anno 416 iterum Pelagianorum causa in Africanis Conciliis, *Carthaginensi* et *Milevitano*, diligentissime discussa: damnatique procusi errores. *Innocentius I.* Romanus Pontifex, datis anno 417 ad utramque litteris, confirmat sententiam. Eodem anno ad finem vergente, Synodus *Carthagine* coacta dolosas Pelagianorum artes Zosimo Papae patefacit. *Africana plenaria Synodus* anno insequente rem pertractat uberius, et Canones condit. Causa cognita, *Tractoriam* scribit *Zosimus* epistolam, ad *Orientales Ecclesias* transmissam, ad *Aegypti Dioecesim, Constantinopolim, Thessalonicam,* ad orbem universum.

In *Oriente* erumpentem haeresim praefocarunt Concilia plura, *Constantinopolitanum* sub Attico, sub Theodoto *Antiochenum, Mopsuestenum* sub Theodoro: ac generalis demum *Synodus Ephesina* ana-

themate lato finivit causam. Reliquias erroris, quae manserant in Semipelagianis, contrivit *Arausicana Synodus II.* anno 529, praeeunte et subsequente Apostolica Sede Romana.

CAPUT XXII.

Clementis Alexandrini fides vindicata. Itemque Tertulliani.

I. Universae traditionem Ecclesiae ipsi etiam confirmant, quos Heterodoxi homines vocant oppositae sententiae testes. Clementis Alexandrini difficilia primo videntur aspectu, quae verba habentur Libro III. Stromatum num. XVI. in Oxoniensi editione Jo. Potteri: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adae cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Nempe Alexandrino scriptori verba affinguntur, quae ad haereticos *Encratitas* pertinent, aut *Basilidianos.*

Heterodoxum hominem eo insequitur loco Clemens, qui *execrationem* (eodem Clemente teste) *accipiebat liberorum procreationem:* explodebatque matrimonium velut corruptelam, et fornicationem: Scripturarum testimoniis abutebantur ipse, suique in patrocinium erroris: ac illud ibidem apud Clementem affertur, quod sumitur ex Jobo juxta versionem τῶν LXX. *Nullus est a sorde mundus, ne si sit quidem una dies vitae ejus.* Opposita statim verba sequuntur: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus est infans natus? Vel quomodo sub Adae cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Argumentum esse *Encratitarum,* aut *Basilidis,* quo malam ostenderent ipsam generationem, dubium nullum. Haec eorum scilicet argumentatio erat, Jobi verbis innixa: *Ipsi infantes recens nati, non sunt mundi a sorde: at sordes nullae sunt, quas illi proprio contraxerint actu. Nec enim alicubi fornicati sunt: neque sordes contraxisse dicas, veluti sub Adae cadentes execrationem, cum nihil sint operati. Id unum ergo restat, ut mala sit ipsorum generatio.*

Hanc et *ipse Clemens* consecutionem haereticam exprimit: simulque respondet per deductionem ad absurdum: ita ut non solum generatio corporis, sed etiam animae productio dicenda foret mala: *Restat ergo eis,* inquiens, *ut videtur, consequenter ut dicant malam esse generationem, non solum eam quae est corporis, sed etiam quae est animae, propter quam etiam corpus.* Colligendum est I. non inficiari Clementem, parvulos qui nascuntur, sub Adae cadere execrationem: immo hanc reliquisse partem intactam, utpotequae vere primas illas declarat sordes, sine quibus nec infans unius diei. Colligit *Bellarminus* 2. neque *Encratitas* negasse peccatum originis, verum potius ex eo errorem confirmasse malae generationis. Colligerem, ego, notam illis quidem fuisse catholicam de peccato originis fidem: sed illam inficiatos esse, putantes *in execrationem Adae cadere* infantes non posse, *utpote qui* (inquiebant) *nihil operati essent;* unde sordibus infantes ea demum ratione inquinatos nasci, *Encratitarum* sententia erat, quia mala esset ipsorum generatio. Hanc generationi calumniam inferebant cum Marcione: *malam* existimantes *materiam,* quae ad genera-

tionem pertinet: non a Deo bono, sed *a Deo judice factam*, ut idem refert Clemens loco citato. Propterea *impleri* generatione *mundum nolebant, qui factus est a Creatore:* a principio scilicet malo, a Deo judice. Paucis errorem convellit *Clemens:* cogitque Adversarios fateri, non solum malam fore *corporis generationem,* ut adserebant: sed etiam *animae productionem*. Cur vero? Quia *propter animam*, aut animae productionem est *corpus,* aut corporis generatio.

Davidis etiam verba in erroris patrocinium afferebant Encratitae: *In peccatis conceptus sum, et in iniquitatibus concepit me mater mea;* ac si hisce verbis mala enunciaretur hominum conceptio, et procreatio. Reponit Clemens: *Dicit prophetice quidem matrem Evam. Sed Eva fuit mater viventium. Et si in peccatis fuit conceptus* (David): *sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum.* Plura hoc habes in loco, quae sicuti *Encratitarum* impium dogma convellunt, ita fidem *peccati originalis* confirmant. Prophetae Davidis verba ad *Evae*, ac *Adami* praevaricationem refert Clemens: conceptumque Davidem, aliosque *conceptos* homines *in peccatis*, diserte docet. Negat vero, *in peccato* concipi hominem: in peccato scilicet generationis, ac si mala et execratione digna ipsa per sese generatio esset. Quod evincit ideo, quod *nec ipse homo,* generationis terminus, *peccatum* dici potest.

Fidem catholicam, quam tenebat, disertissimis exprimit ipse *Clemens* verbis in Cohortatione, seu Admonitione ad Gentes, pag. 86., apud Joannem Potterum. *Homo, qui ob simplicitatem fuerat solutus* (aut liber, illum quippe fecit rectum, et sanctum Deus) *inventus est peccatis ligatus. Eum cum vinculis liberare vellet Dominus, carnem induit &c.* Ait etiam Libro I. Paedagogi Cap. VI. *Multis autem modis vocatur* (baptisma) *lavacrum quidem, per quod peccata abstergimus: gratia autem, qua remittuntur poenae, quae peccatis debentur.*

II. An Pelagianis praeluserit *Tertullianus?* Duo solent ejus testimonia opponi. Differendum baptisma parvulorum contendit in Libro de Baptismo Cap. XVIII. *Itaque pro cujusque personae conditione, ac dispositione, etiam aetate, cunctatio Baptismi utilior est, praecipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, sponsiores etiam periculo ingeri? Qui et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malae indolis falli... Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniunt docentur: fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* Parvulorum aetatem vocat *innocentem:* quam festinare non oporteat *ad remissionem peccatorum.*

In Libro de Resurrectione carnis Cap. XLVII. non aliam docere videtur Christum attulisse vitam, nisi quae corporis morti adversatur: *Ubi mors, ibi et vita post mortem: quia et vita ibi ante, ubi postea mors. Nam si regnum mortis nihil operatur, quam carnis dissolutionem; proinde vitam contrariam morti contrarium oportet operari, idest carnis redintegrationem.* Nae vanissima desperatae causae praesidia!

Regnum mortis a Paulo Apostolo adsertum, juxta mentem ejus intelligit *Tertullianus* in corporis dissolutione constitutum. Vitam etiam, quam attulit Christus, de vita corporis intelligendam declarat. Quae cum haberi in hoc saeculo nequeat, inde contra *Marcionem,*

qui *resurrectionem carnis* negabat, in altero saeculo habendam infert ille. Quis haec Tertulliani verba adversari *fidei peccati originalis* dixerit, nisi stipes? *Differendum* parvulorum baptisma non ideo putabat, quia primigeniam ex Adamo contractam in illis culpam non crederet, nec teneram eorum aetatem ullius peccati remissione indigam existimaret: verum quod majores profecturas utilitates in eis, jam utentibus ratione, sperabat. *Quando* nempe *venire possunt dum discunt, dum quo veniunt docentur, et fiunt christiani cum Christum nosse possunt.* Majoris etiam spiritalis emolumenti proventum ipsis obventurum adultis arbitrabatur, si baptisma differrent, ad illud suscipiendum se magis per dilationem disponentes: *unde innuptos* quoque *procrastinandos* (inquit ibidem), *in quibus tentatio praeparata est tam virginibus per immaturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentia corroborentur.* Haec erant opinionis, quae Tertulliano insederat, momenta ab Ecclesia catholica probata numquam: neque tamen fidem originalis peccati ullo modo labefactant. Parvulorum aetatem *innocentem* vocat: innocenti utique sensu, peccati scilicet proprii, et actualis immunem.

Plurima sunt ejus in Operibus, quae fidem hanc disertissime confirmant, testimonia. Accipe, quae sequuntur pauca. De Testimonio Animae Cap. III. ait Satanam esse, *per quem homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet; et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum, suae etiam damnationis traducem fecit.* Expende totum genus humanum *de semine* primi hominis praevaricatoris *infectum:* itemque *suae damnationis traducem.* In Libro de Carne Christi Cap. XVI. affert illa Apostoli verba ad Rom. Cap. VIII. v. 3. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*, et ait: *Non quod similitudinem carnis acceperit, quasi imaginem corporis, et non veritatem: sed similitudinem peccatricis carnis vult intelligi. Quod ipsa peccatrix caro Christi, ejus fuit par cujus erat peccatum, genere, non vitio, Adae: quando hinc etiam confirmamus, eam fuisse carnem in Christo, cujus natura est in homine peccatrix. Et sic in illa peccatum evacuatum, quod in Christo sine peccato habeatur, quae in homine sine peccato non habebatur.* Rem denique conficit omnem de Resurrectione Carnis Cap. XXIV. *Cum dicit* (Christus) *ad hoc venisse, uti quod periit salvum faciat: quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne, an in parte? Utique totum. Siquidem transgressio, quae perditionis humanae causa est, tam animae instinctu ex concupiscentia, quam et carnis actu ex degustatione commissa, totum hominem elogio transgressionis inscripsit: atque exinde merito perditionis implevit. Totus itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo.*

CAPUT XXIII.

De Origene Henrici Noris judicium: fidem ille catholicam saepius indicat, et exponit. Ejusdem de sordibus, quas nascentes contrahimus, opinatio. Jansenii, et Petri Huetii animadversiones. Diserta Gregorii Nysseni testimonia.

I. Quaenam fuerit *Origenis* fides, dissident Viri doctissimi. Ex ejus principiis, quibus innititur *praeexistentia animarum*, dogma con-

velli originalis peccati, pro comperto probatoque habet *Henricus Norisius* Libro I. Historiae Pelag. Cap. I. eo quia *ad hujus vitae miserias citra divinae justitiae reprehensionem defendendas, non ad originis demerita cum catholica Ecclesia recurrit: sed in alia superiori vita homines peccasse fingit, quorum postea criminum natae recens animae merito poenas darent.* Quo posito errore, *etiamsi centies in Baptismo et tolli peccata, et nasci pueros infectos asseruisset, haud inde, illo auctore, peccatum originis habebitur.* Hinc Hieronymus in calce Dialogorum Pelagianis insultans, his Origenis mentem verbis aperit: *Transite ad Amasium vestrum, qui praeterita in caelis, et antiqua delicta* (habitu manentia) *solvi dicit in Baptismo.*

Haec fuerit commenti προϋπάρξεως male compacti consecutio. In hac *Origenes* non stetit. Universali Ecclesiae consensione pertractus, nedum tolli Baptismo peccata, et nasci pueros infectos adseruit: verum etiam communem generis humani infectionem ab Adamo saepe repetit. Peremptoria sententia est Libro IV. contra Celsum num. 40. „*Ita de Adamo*, ejusque *peccato* philosophabuntur, quibus notum erit, Hebraica voce, *Adam*, significari *Hominem*: et in iis, quae Moyses de Adamo dicere videtur, describi naturam humanam. Etenim *omnes*, ut Scriptura testatur, *in Adam moriuntur*, et condemnati sunt *in similitudinem praevaricationis Adae:* ita ut divina Scriptura non tam de uno quodam homine, quam *de universo genere* loquatur. Nam videre est in serie eorum, quae tamquam de uno dicuntur (Genes. Cap. 3.) *maledictionem Adamo inflictam*, omnium esse communem: sicut quae mulieri, ad omnem mulierem pertinere.“ Et Libro VII. num. 28. „Hanc (maledictionem terrae) in molestiis, idest in laboribus comedit omnis homo, qui *mortuus est in Adam.*“ Paria sunt, quae disserit Libro III. in Canticum Canticorum, ubi exponit verba illa Psalmi XLII. v. 1. *Sicut Cervus desiderat ad fontes aquarum:* „Cervus quoque amicitiarum quis alius videbitur, nisi ille qui peremit serpentem illum, qui seduxerat *Evam;* et eloquii sui flatibus peccati in eam venena diffundens, *omnem posteritatis sobolem* contagio praevaricationis infecerat.“ Opus istud Origeni, veluti genuinum foetum, adjudicant Pearsonius, Huetius, Natalis Alexander, Carolus Delarue Monachus Sancti Mauri: interpretemque faciunt *Rufinum.*

Quidni ergo hisce veris imbutus Ecclesiae dogmatibus, praetermisso *commento praeexistentiae*, docuerit alibi nasci pueros infectos, ac ipsis pueris conferri baptisma in remissionem peccatorum? Ait vero Homilia VIII. in Leviticum num. 3. „Audi David dicentem: *In iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum et in peccatis peperit me mater mea.* Ostendens, quod quaecumque anima in carne nascitur, iniquitatis, et peccati sorde polluitur.“ Animadverte, animam in ipso ortu pollui, non secum ferre praeteritas iniquitates. „Et propterea dictum est illud, quod jam superius memoravimus: quia *nemo mundus a sorde, nec si unius diei vita ejus.* Addi his etiam illud potest, ut requiratur quid causae sit, cum baptisma Ecclesiae pro remissione peccatorum detur, *secundum Ecclesiae observantiam etiam parvulis baptismum dari:* cum utique si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet,

et indulgentiam pertinere; gratia baptismi superflua videretur." Consonant apprime, quae Tomo XV. in Matthaeo habentur num. 23. „Et fortasse quidem in generatione *nemo a sordibus mundus est, ne si vita quidem ejus unius diei fuerit*, propter generationis nostrae mysterium, super qua *unusquisque nascens* usurpare potest, quod in Psalmo quinquagesimo ait David his verbis: *quoniam in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* At in *regeneratione* per lavacrum quicumque generatus fuerit superne ex aqua et spiritu, *mundus erit a sordibus.*"

II. *Sordes istas*, quas nascentes contrahimus, *Origenem* alibi distinguere *a peccato:* neque aliud intellexisse pro ea, qua in scripturis interpretandis nimia licentia utebatur, quam *conceptionis, et ortus foeditatem, ac spurcitiem,* diffiteri non possumus. Homilia XII. in Leviticum num. 4. sic ait: „Omnis qui ingreditur hunc mundum, in quadam contaminatione effici dicitur. Propter quod et Scriptura dicit: *Nemo mundus a sorde, nec si unius diei fuerit vita ejus.* Hoc ipso ergo quod *in vulva matris* est positus, et quod materiam corporis ab *origine paterni seminis sumit*, in patre et in matre contaminatus dici potest."

Hanc sequitur expositionem Homilia XIV. in Lucam: „Vide, quid in Job scriptum est: *nemo mundus a sorde, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus.* Non dixit: *nemo mundus a peccato.* Sed, *nemo mundus a sorde.* Neque enim idipsum significant *sordes*, atque peccata... Oportet ergo, ut pro Domino et Salvatore nostro, qui sordidis vestimentis fuerat indutus, et terrenum corpus assumpserat, ea offerrentur quae purgare sordes *ex lege* consueverant." Quo loco animadverte, in hanc ivisse Origenem sententiam, ut *Jobi textum* etiam *Domino nostro Jesu Christo* aliquo modo aptaret. Quin etiam parvulis, qui baptizantur in remissionem peccatorum, aptari posse permittit: „*Parvuli baptizantur in remissionem peccatorum.* Quorum peccatorum? Vel quo tempore peccaverunt?" Obvia erat responsio, quam ex fide Ecclesiae ipse Origenes illustrat locis jam citatis. At genio, ingenioque indulgens: „Aut quomodo, inquit, potest ulla *lavacri in parvulis* ratio subsistere, nisi juxta illum sensum de quo paulo ante diximus: *nullus mundus a sorde &c.?* Et quia per baptismi sacramentum *nativitatis sordes* deponuntur, propterea *baptizantur et parvuli.*"

III. *Jansenius Iprensis* Tomo I. de Haeresi Pelagiana Libro VI. Capite XVII. fateri cogitur, *Origenem de peccato originali non videri a catholica doctrina dissidere:* at ipsum tamen ait, *omnibus Scripturarum depravationibus, quibus Pelagiani caliginem offudere veritati, latissimam portam primum aperuisse.* Hanc suam animadversionem confirmare nititur Commentario Origenis in Caput V. Epistolae ad Romanos: „ubi *Mundum,* inquit, in quem peccatum intravit, *terrenos et carnales homines* intelligit Origenes. (2.) Et *mortem,* quae in homines pertransiit, *mortem esse animae,* non corporis. (3.) Mortem illam non pertransiisse *in omnes*, sed *in multos*, qui scilicet actu peccaverunt. (4.) Nec in omnes *regnasse mortem*, sed in eos dumtaxat qui *peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae.* (5.) Hinc *non omnes*

homines, sed *multos*, unius delicto peccatores constitutos. (6.) Christum plures ad vitam reduxisse, quam Adamus ad mortem. (7.) Adamum esse *formam futuri*, quia peccati ipsius *exemplar* imitantes, peccatores effecti sunt." Haec vero ipsissima Pelagianorum commenta nemo non videt.

Origenis vindicias agit *Petrus Huetius* Libro II. Origenianorum Capite II. Quaestione VII. num. XXIV. Probat autem, non ita praedictis ipsum Capitulis adhaesisse, quin legitimum Apostoli sensum pro culpa primigenia ibidem, et alibi expresserit. Veluti digna animadversione illa Origenis ante omnia proponit verba: *Videamus nunc*, inquientis, *quid etiam interior habeat intellectus.* Haec enim satis admonitum lectorem reddunt, *allegoricos potius sensus* voluisse eo loco persequi Origenem, quam *dogmaticos*, ac *litterales.* Hinc vero inter varias, quas profert interpretationes, illam non praetermittit quae catholicae Ecclesiae fidem *de originali peccato* illustrat. Postquam enim *mundi* nomine, in quem peccatum intravit, intelligendos dixit *terrenos homines, et rebus terrenis debitos;* mundum deinde aliter exponit pro *loco, in quo habitant homines, vel terrena, et corporalis vita: in quo mors habet locum.* Litteralem sensum vides.

Mortem illam, quae in omnes homines pertransiit, ait quidem esse *de qua Propheta dicit, quia anima quae peccat, ipsa morietur:* at continuo subdit, hujus *animae mortis corporalem-mortem umbram esse:* et *quocumque illa incesserit, hanc necessario subsequi, velut umbram corpus;* ut jam pateat, allegoricam esse priorem expositionem. Varias infra expositiones affert in illum Apostoli textum: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem:* notatque, *sufficere forsitan posse secundum simplicem expositionem, ut dicamus, condemnationem delicti esse communem hanc mortem, quae omnibus venit, et veniet etiamsi justi videantur. Quod si forte aliquis objiciat*, (inquit,) *de Henoch, et Elia, qui translati sunt, ne viderent mortem; id quod modo excusabitur, quod non continuo falsa videantur ea, quae de omnibus dicuntur, si aliqua dispensatio Dei in uno, vel duobus hominibus facta est.*

Mortem pertransiisse, ac mortem regnasse ait non *in omnes*, sed *in multos*, qui scilicet actu peccaverunt, et peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae. At verba Apostoli cum particula negante, *qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, expendens, peccatum originis non obscure declarat: *Aut magis simpliciter accipiendum videtur, et similitudo praevaricationis Adae absque aliqua discussione recipienda: ut hoc sermone omnes, qui ex Adam praevaricatore nati sunt, indicati videantur; et habere in semetipsis similitudinem praevaricationis ejus, non solum ex semine, sed ex institutione suscepta.* Duo sensus proponuntur: simplicior unus, quo mors et peccatum in iis regnent, qui ex Adam praevaricatore, *ejusque ex semine nati sunt*, tametsi non peccaverint actu: et alter, quo homines *ex institutione suscepta*, Adae praevaricationem imitantes, peccaverunt. Et infra: *Si vero*, inquit, *ut in nonnullis exemplaribus habetur, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae mors ista ... regnasse dicatur: intelligimus, et Sanctos quosque sub ista morte,*

etiamsi non peccandi, at certe moriendi lege, decidisse. Catholica sententia patet. At mens Origenis liberior alias addit ibidem interpretationes: ac *mortis, seu peccati transitum* distinguit a *regno utriusque:* et aliud esse *peccare*, et *peccatorem esse*, docet: *peccare* omnes etiam justos, *peccatores esse* qui saepe peccando usum peccandi et consuetudinem contraxerunt: *peccatores igitur esse multos, peccare omnes.*

Non longe ab hujus Libri quinti initio animadvertit: „Non multum interesse, quod ibi in *omnes homines* dixerit pertransiisse peccatum: hic vero donum, et gratiam Jesu Christi in *plures* abundasse. Cum et *omnes* homines *plures* esse intelligantur, et plures *omnes* intelligi non videatur absurdum. Maxime cum in sequentibus dicat apertius: *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnes homines ad justificationem vitae.* Et ut evidentius ostenderet, *omnes* homines, et *multos* homines idem esse, addidit his: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Et quod superius *omnes* dixerat homines, hic eodem sensu *multos* nominavit."

Haec satis criminationem illam diluunt: ac si decreverit Origenes, *Christum plures reduxisse ad gratiam,* quam *Adamum ad mortem.* Universalitatem condemnationis ex Adamo profectae in omnes praeclare his verbis confirmat: *Ostendere vult quod multo sit fortior vita, quam mors, et justitia quam peccatum: et per hoc edocere, quia si ita per peccatum mors regnare in omnibus potuit, accipiens ex unius hominis inobedientia initium; quanto potentius, et dignius per justitiam vita regnabit, initium accipiens per unius ōbedientiam Christi.* Ea vero inter utrumque, *Adamum*, et *Christum*, delictum illius et istius justitiam, discrimina affert, quae in expositione Paulinae sententiae nos etiam attulimus. Illud addit, quod maxime fidei de peccato originis favet: *Simpliciore intellectu potest videri, ideo plures dictos, quia quamvis qui ex Adam peccatores facti sunt, multi sint: tamen qui per gratiam Christi vivificantur, ideo plures dicti sint, quia etiam ille ipse, ex quo in ceteros mors peccati diffusa est, additur numero eorum: eo quod cum omnibus, quos ipse fecerat sub delicto, etiam ipse salvatur.*

Inficias haud iverimus, *Adamum* ab Origene dictum ideo *formam futuri,* quia peccati ipsius exemplar imitantes, peccatores effecti sunt. At quisque fateatur oportet, *traducem etiam peccati* agnitum ab ipso fuisse juxta litteralem Apostoli sensum. Verba jam dedimus: *Aut magis simpliciter accipiendum videtur, et similitudo praevaricationis Adae absque aliqua discussione recipienda; ut hoc sermone omnes, qui ex Adam praevaricatore nati sunt, indicari videantur: et habere in semetipsis similitudinem praevaricationis ejus, non solum ex semine, sed ex institutione suscepta.* Ad imitationem praevaricationis pertinet *institutio: propagatio ex semine* Adae evincit traducem peccati. Duplicem hunc sensum pergit illustrare: „Vis autem scire, quia non solum *nativitatis*, sed et *doctrinae* est, in quo mors regnavit ab Adam; disce hoc ex contrariis. Etenim Dominus noster Jesus Christus, cum venisset quae perperam gesta sunt emendare; pro eo quod *in mortem generaret illa quae ex Adam veniebat prima nativitas,*

introduxit secundam nativitatem (per baptismum,) quam regenerationem appellavit, per quam sine dubio *vitium primae nativitatis* aboleret. Et sicut *generationi*, ita et *doctrinae* (susceptae per imitationem Adami praevaricatoris) substituit *aliam doctrinam*, mittens etiam ad hoc opus discipulos suos. Non dixit tantum: *Ite, baptizate omnes gentes.* Sed ait: *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Sciens ergo, *utrumque esse in culpa*, utrumque remedium dedit; ut *generatio* mortalis *regeneratione* baptismi mutaretur, et *impietatem doctrina pietatis* excluderet.“ Allegoricos Origenis sensus fecere suos *Pelagiani*, praetermissis litteralibus et *simplicioribus*, quos ipse vocat, ac illustrat. Hoc illorum iniquum facinus fuit.

IV. Sequitur *Gregorius Nyssenus*, cujus verba quaedam opponi solent, ex Oratione de Infantibus, *qui praemature eripiuntur*, desumpta. En illa: *Puellus, infans, simplex, omnisque malitiae expers, nullo etiamnum oculorum animi morbo participationi lucis officiente, in eo quod naturale est versatur: sanitate, quae per purgationem contingit, non indigens.* Recens natos audis *malitiae expertes*, neque *sanitate indigentes*, quae est *per purgationem*.

Levis est, ac futilis objectio. Ad *Hierium* orationem illam nuncupat *Nyssenus*. Quaestionem proposuerat Hierius: *Si pro eo quod justum est, bonorum remuneratio, atque retributio fit; in quibus versabitur is, qui infans in tenera aetate vitam finivit, neque boni in hac vita, neque mali quidquam conatus, et exorsus est, ut per haec ei pro merito retributio fiat?* Haec *prior* Hierii difficultas. Erat altera: quia si parvulis praemature sublatis contingeret retributio, et vita beata; *rationis carentia ipsa ratione praestantior, et optabilior ostendi posset.* Perplexam primo adspectu videtur *Nyssenus* habere quaestionem. Tum eam dirimit. Docet 1. nihil esse in puello infante, simplici, omnique experte malitiae, quod lucis participationem, seu vitam beatam impediat. 2. Hanc in istis non esse aequalem, atque in adultis, qui virtutum studio purgati sunt. Unde ait: *Immatura mors infantium, neque in doloribus ac moestitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit: neque in pari ipsum, et eadem conditione, et sorte versari cum iis, qui per omnem virtutem in hac vita purgati sunt.* Haec disserit ille, quae mirum est contra catholicam peccati originalis fidem torqueri potuisse!

Cur ergo de parvulis quaestio agitur? Hanc intellige quaestionem versari circa *parvulos jam baptizatos*, sed *in infantia* ante rationis usum sublatos morte. Hinc Nyssenus disertissime *infantes* excipit, qui *sine Baptismo* materno moriuntur, in utero: *De his quidem dicas,* (inquiens) *qui illegitimum partum arguunt, et idcirco a parentibus de medio tolluntur,* (abortu procurato, aut alio etiam modo) *immerito malitiae operum a Deo rationem reposcas, qui ea quae in hac parte non recte facta sunt, in judicium adducit.* Vita beata miseros istos infantes donandos esse, non ait: at neque *malitiae operum*, quae ipsi actu proprio patraverint, reposcendam esse a Deo rationem docet. Cur praeterea *sanitate non indigentes* vocat eos, *quae per purgationem contingit?* Nempe *purgationem* intelligit, non eam quam *Baptismus*

facit: sed quae *in virtutum cultu*, et operum merito posita est, pertinetque ad homines adultos.

Peccatum originale, ejusque remedium a Christo allatum, perspicue docet Nyssenus in Libro de Vita Moysis: *Cum divinae Litterae peccati patrem Serpentem nominent, profecto quod a Serpente natum est, Serpens est. Quamobrem peccatum parentis sui nomen merito suscepit, serpensque jure appellatur. At vero Dominum propter nos peccatum esse factum, apostolicus sermo testatur. Suscepit enim mortalitatem nostram, qui peccando mortales facti sumus.* Animadverte, *mortales homines* factos dici. Quomodo vero? nimirum *peccando.*

Infra idem Nyssenus haec habet luculentissima: *Occulta quaedam traditio, et verus sermo ad nos usque descendit; quo creditur, postquam in peccatum natura nostra lapsa est, non omnino a clementia divina neglectam.* Et infra: *Naturaliter nobis voluntas legis inerat, quae ad malorum abominationem, et bonorum expeditionem nos instrueret. Verum posteaquam peccati sonitum in auribus nostris suscepimus, (quem quidem sonitum prima illa Scriptura,* [Genesos liber,] *vocem serpentis appellat,) tum naturae integritas decidit, et contrita est.*

CAPUT XXIV.

Sententiae expenduntur Ambrosiastri. Optati Milevitani. Auctoris Quaestionum, et Responsionum ad Orthodoxos. Itemque Auctoris Commentarii in Psalmos Davidis, quem nonnulli existimant Arnobium Afrum.

I. Inter Opera Sancti Ambrosii exstant *Commentaria in Epistolas Apostoli Pauli.* Non una de Auctore sententia est: nec ullam hactenus evidentem fecere Criticorum elucubrationes. Contra originis peccatum verba illa opponuntur, quae ad Caput V. ad Romanos v. 12. habentur: *Mors autem dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est et alia mors, quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed ejus occasione propriis peccatis adquiritur.*

Nec allata verba, neque alia quae loco citato disserit Auctor, ullum inferunt catholicae fidei detrimentum. Comma 12. exponit, quo *per unum hominem* dicitur *peccatum intrasse in hunc mundum, et per peccatum mors:* docetque, *sicut Adam unus, idest Eva,* (et ipsa enim Adam est,) *peccavit in omnibus, ita unum Christum Filium Dei peccatum vicisse in omnibus .... Ut ipsa peccati primordia ostenderet, ab Adam coepisse, qui primum peccavit:* et *providentiam unius Dei per unum,* ostendi, qui *reformavit quod per unum fuerat lapsum, et tractum in mortem.* Leve parum est, *Adami* nomine intelligi *Evam* ab Auctore: cetera fidem catholicam exprimunt. Alia continuo expendit verba, *in quo omnes peccaverunt.* Ait vero: *Manifestum itaque est in Adam omnes peccasse, quasi in massa: ipsa enim per peccatum corrupta, quos genuit, omnes nati sunt sub peccato.* Legunt alii: *ipsa enim* (massa) *per peccatum corruptus.* Sensus idem apprime catholicus. *Ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex ipso sumus omnes.* Verba sequuntur objecta, quibus haec adduntur: *Sententia tenebantur* (homines) *data in*

Adam: quod chirographum in decretis morte Christi deletum est. Sententia autem decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram: anima vero vinculis inferni detenta, exitia pateretur.

Postrema haec verba, ac illa quae *opposita sunt,* dilucide ut intelligantur, integrum affero intermedium locum: *Mors autem dissolutio corporis est, cum anima a corpore separatur. Est et alia mors, quae secunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adae patimur, sed ejus occasione propriis peccatis adquiritur: a qua boni immunes sunt, tantum quod in inferno erant, sed superiori, quasi in libera* (custodia,) *qui ad caelos adscendere non poterant. Sententia enim tenebantur data in Adam &c.* Mortem distinguit duplicem: primam *corporis,* alteram *in inferno.* Hanc rursus distinguit in eam, quae est in *inferno inferiori,* seu gehenna: et in eam, quae est in *inferno superiori.* Mors corporis animam sejungit a corpore super terram. Mors gehennae animam sejungit a Deo, ac suppliciis idest poenae sensus alligat. Mors inferni superioris animam separat a Deo, propterea quod ad caelos adscendere non potest. Mors *corporis* poena peccati originalis est, et effectus. Mors *gehennae,* ubi suppliciis torquetur anima, ad *propria peccata* pertinet. Ex ipso *paterno chirographo* exoritur, bonorum animas detineri debuisse *in Limbo,* neque ad caelos potuisse adscendere, antequam chirographum illud morte Christi deleretur. Heic sistit *Ambrosiaster:* subintelligendumque relinquit, aliam esse mortem *inferni* superioris potius quam inferioris, aeternam, qua sine suppliciis eorum detinentur animae, qui nullo modo boni sunt, primamque corporis mortem incurrunt, non antea baptismate boni effecti. Hanc mortem decedentium sine baptismo agnoscunt Theologi plurimi. Hanc vero satis indicat Ambrosiaster verbis illis: *Sententia decreti fuit, ut unius hominis corpus solveretur super terram: anima vero vinculis inferni detenta,* (ad tempus anima boni hominis, in aeternum anima sine baptismate decedentis etiam parvuli,) *exitia pateretur.*

II. Ex Libro VII. de schismate Donatistarum adversus Parmenianum, qui *Optato Afro* Milevitano Episcopo tribuitur, haec afferri solent verba, veluti catholicae fidei adversa Capite I. „*Quamvis ab ipsis* (parentibus, seu primis traditoribus) *ad vos videatur hereditaria macula esse transmissa; tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris secundum Judicium Dei, qui loquutus est per Ezechielem Prophetam, dicens: Anima patris mea est, et anima filii mea est: anima quae peccat, sola punietur. Quae res jam et antiquis saeculis, in ipsis natalibus mundi probata est, dum non pertinuit ad Seth filium Adae, patris admissum.*" Num Optato hic adjudicari liber debeat, sub judice lis est. Utut sese res habeat; de *primigenia culpa,* ejusque *propagatione* mentio nulla in eo loco: ubi actualia dumtaxat crimina, quae actu proprio admiserint parentes, negat Auctor in filios refundi.

Cur *Sethi* exemplum, ad quem *Adae patris admissum non pertinuisse* dicitur, adhibuerit Optatus? Incauto Scriptori id excidisse, putant aliqui. Existimant alii, indicari *haeresim Sethianorum,* qua *ipse Auctor* imbutus fuerit. Comminiscebantur illi, *Sethum* ex supernae matris poenitentia, quod *Cainum* edidisset, procreatum: eamque, Caino repudiato, et Abele occiso, cum superno patre congressam purum

semen *Sethum* produxisse. Consule *Augustinum*, et *Damascenum* de Haeresibus. Fortasse vero pietas, et sapientia, quam in Setho commendant omnes, in causa fuerit, ut ejus peculiaris hoc loco mentio facta sit. Unde Scriptoris argumentum censeri tale potest: *Peccatum Adae* non constituit *Sethum filium ejus* reum actualis peccati: quem potius pium, et justum laudant, ac celebrant omnes. Igitur nec vos eo titulo rei estis, quod *traditionis peccatum* admiserint patres vestri. Haud inepta obscurae sententiae expositio est.

Luculentissima accipe modo veri Optati testimonia. Libro II. Capite X. In Baptismate *miscentur caelestia, et spiritualia semina, ut sancto germine nova possit renascentium indoles procreari: ut dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat saeculo, renascatur spiritaliter Deo.* Libro IV. Capite VI. *Neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamvis de parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit: quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi, et separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur.*

III. Inter Opera Justini, opus habetur *Quaestionum*, et *Responsionum ad Orthodoxos.* Apparens quaedam antilogia discutitur Qu. LXXXVIII. inter Scripturas, quae docent, *Christum genitum peccatum non fecisse:* et illas, queis *non esse quispiam genitus* dicitur, *qui non peccaverit, neque natus qui iniquitatem non fecerit:* et illas demum, quae *neminem* enunciant, *quamvis illi vel unius diei vita fuerit, immunem peccato esse.* Hanc init concordiam Auctor: „Ut dictum hoc, *non est genitus quisquam qui non peccaverit, neque natus qui iniquitatem non fecerit;* non ostendat falsum id esse, quod de Christo est memoratum, *peccatum non fecit.* Nam illud prolatum est de eo, qui ex mare et femina prognatus est: Christus vero ex Spiritu Sancto, et Virgine sancta editus est. Accipitur autem verbum istud ad hunc modum: *Nemo, qui natura est ad peccandum, aut inique agendum natus, non peccavit, aut inique fecit.* Porro *natura ad peccandum natus* est, qui per liberi arbitrii delectum sibi ipsi dux est ad ea, quae vult facienda sive bona, sive mala. *Infans* vero, ut qui nondum ea vi sit praeditus, satis patet quod *natura ad peccandum natus* non sit: et baptismi lavacrum a nativis illum sordibus repurgat. Caeterum illud quod dicitur, *Neminem quamvis illi vel unius diei vita fuerit, immunem peccato esse;* nullo modo ad *infantes, peccati nomine damnandos,* accommodari potest: nam vita in locutione hujusmodi pro *vitae consuetudine,* sive conversatione judicio obnoxia, est posita. Atqui infanti ut vitae consuetudo, seu conversatio non est, ita neque vita.“

Catholicae fidei non adversari hunc locum, arbitrantur nonnulli. Ajunt vero: 1. Laudatum Scriptorem non esse *Justinum Martyrem,* ut jam novit omnis Eruditorum natio. 2. Mentem ejus esse, ut *allata Jobi verba* minime *ad infantes*, rationis expertes ac liberi arbitrii, referri debeant. 3. Ibidem agi de *peccatis proprio commissis actu,* cum jam infans vitam rationalem vivit: deque damnatione, quae culpis actualibus debetur. 4. Ipsum denique peccatum originale satis illis indicare verbis, quibus *Baptismi lavacro* dicitur *nativis* infans *repurgari sordibus.*

Sammauraeus Operum S. Justini *editor* in Admonitione ad praedictas Quaestiones, et Responsiones ad Orthodoxos, Auctorem habet hominem medullitus *Pelagianum* ex illo Syrorum numero, qui cum Theodoro Mopsuesteno *quaestionem moverant,* agebantque *contra catholicam fidem,* ut ait *Marius Mercator* in Commonitorio. In loco citato digna est animadversione tam longe petita, tamque absurda verborum Jobi interpretatio: quae magnos conatus declarat, ut eluderetur quidquid cum hoc errore consistere non poterat. Nihil magis premebat Pelagianos, quam Baptismus *in remissionem peccatorum*, ipsis etiam infantibus necessarius. Astutiam suam prodit Auctor in Respons. LVI. *Hoc discrimen est* (inquiens) *inter baptizatos, et non baptizatos: quod baptizati obvenientia per baptismum bona consequantur, non baptizati non consequantur.* Satis indicatur Pelagianorum responsio, qui baptizatis infantibus *Regnum caelorum* largiebantur: negabant non baptizatis, *media tamen vita quaedam aeterna* concessa. Scatet Opus commentis etiam Pelagianis, quae ad gratiam Jesu Christi spectant. Fidei tamen *de originali peccato* favere verba videntur, quae in Resp. ad Quaest. CII. occurrunt: *Circumcidimur autem et nos circumcisione Christi per baptismum, exuentes Adamum, per quem peccatores facti, mortui eramus: et induentes Christum, per quem justificati, resurgimus ex mortuis.* Num haec tanti fuerint, ut Auctor purgatus, probatusque haberi debeat? An eadem sensu Pelagiano dixerit, ac si *peccatores per Adamum facti* simus *propter imitationem,* non *propter carnalem nativitatem?*

Rem ego in medio relinquo. Postremum istud Auctoris testimonium satis fidei catholicae procul dubio favet. Primum, quod oppositum fuit, aequam patitur interpretationem. In altero verissime fatetur Auctor, baptizatis infantibus plura bona, et Regnum caelorum obvenire per baptismum: haec obvenire sine baptismo decedentibus verissime negat, praetermisso severiore examine de hujusmodi infantium non baptizatorum statu.

IV. Perplexam sententiam legimus in Commentario *Arnobii* ad Psalmum L. „Non dixit David: *cum iniquitatibus, aut cum peccatis genuit me mater mea:* sed, *in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis genuit me mater mea.* Dicendo enim, matrem *in suis iniquitatibus* eum concepisse, et *in peccatis saeculi* peperisse, significat quia omne peccatum corde concipitur, et ore consummatur. Hic autem qui nascitur, sententiam Adae habet: peccatum vero suum non habet.“ Haec Bellarminus catholico sensu dici potuisse, exponit: infantem scilicet qui nascitur, juxta mentem Auctoris, *non habere peccatum suum,* nimirum actuale Adae peccatum, quod *corde concipitur,* et *ore consummatur:* at habere tamen *sententiam Adae,* quae sine culpa praecedente a justo Deo non infligitur. Pravus attamen sensus cubat in eisdem verbis, quem *Julianus,* Pelagianum errorem temperans, procudit: *peccatum Adae,* neque actuale, neque alio sumptum modo, transire in posteros: *mortem* autem, aut *sententiam Adae* transire. Num hocce crimine purgare Arnobium opus fuerit?

Non is intelligendus est *Arnobius senior,* qui Lactantium instituit litteris, ac septem contra Gentes libros vulgavit. Ita censet *Sixtus*

Senensis in Bibliotheca Sancta Libro IV. Sixti momenta elevare nisus est Laurentius de la Barre, Commentariorum editor, in Prologo. Hujusce censuram refellunt verba, quae habentur in Commentario ad Psalmum CVIII. *Nota, ex arbitrio evenisse ut nollet, propter haeresim quae dicit, Deum alios praedestinasse ad benedictionem, alios ad maledictionem &c.* Tempus innotescit, quo iste Arnobius vitam agebat: quo scilicet *Semipelagiani* invidioso *Praedestinatianorum* nomine vindices Augustini onerabant. Immo Semipelagianum hominem fuisse pluribus ostendit *Henricus Noris* Libro II. Hist. Pelag. Cap. XV. Testimonium ergo, ex hujusce furfuris homine prolatum, haud ullum ingerit fidei catholicae detrimentum.

CAPUT XXV.

Vindiciae Cyrilli Hierosolymitani. Itemque Joannis Chrysostomi.

I. Ad Triarios pugna redacta est, *Cyrillum Hierosolymitanum, Joannem Chrysostomum, Theodoretum Episcopum Cyri.* Auctoritate Patrum, qui in Ecclesia Orientali celeberrimi fuere, pugnant *Novi Pelagiani* contra fidem catholicam: hanc ipsorum auctoritate vindico ego, et confirmo. *Cyrillus Hierosolymitanus* primus adest, qui Catechesi II. num. IV. sic ait: *Per hunc* (Diabolum) *primus noster parens Adam expulsus est: ac paradisum sponte sua admirabiles fructus ferentem, terra spinas ferente, permutavit.* Miseram hominum conditionem a Cyrillo exponi inquis, non aliquam *peccati propagationem.* Immo hanc myrifice declarant quae verba sequuntur num. V. *Quid igitur? Dixerit aliquis* (animadverte, quam sibi difficultatem opponit), *decepti perivimus, nulla ne deinceps salus? Cecidimus, num non licet resurgere? Excoecati sumus, fas non est visum recuperare? Claudi sumus effecti, spes non est aliquando recte incedendi? In summa dicam, mortui sumus; non licet, ut resurgamus?* Peccati tot effectus propagatos vides: annon etiam peccati propagatio intelligenda fuerit? *Peccatum* utique, quod incurrimus omnes, verba illa satis exprimunt: *decepti perivimus, cecidimus.* Dubium amolitur omne Responsio Cyrilli, qui praedictos omnes primi peccati effectus agnoscit: negat immedicabile malum esse: remedium ait a Christo allatum, eoque peccatum deleri, quo tot mala causantur. *Qui pretiosum sanguinem,* inquit, *pro nobis effudit, ipse nos e peccato expediet, ne nos in desperatum abjiciamus statum.*

Incarnationis Filii Dei causas expendit Catechesi XII. Hanc num. XV. adsignat: *Per virginem Evam subiit mors: oportebat per per Virginem, seu potius de Virgine prodire vitam.* Aliam affert ibidem: „Carnis contra nos instrumento Diabolus utebatur, quod sciens Paulus ait (Rom. Cap. VIII.): *Video autem aliam legem in membris meis militantem adversus legem mentis meae, et captivum me ducentem.* Quibus igitur armis nos Diabolus debellabat, iisdem et salvi effecti sumus. Adsumsit ex nobis Dominus quod nostri simile est, et humanae naturae salutem impertiret. Similitudinem nostram adsumpsit, ut ei quod defectum patiebatur, majorem conferret gratiam, ut peccatrix humana natura Dei particeps fieret. Ubi enim *abundavit pec-*

catum, superabundavit gratia.[a] Peccatricem naturam hominum, peccatique merito obnoxiam rebellioni carnis fateri, perinde est ac peccatum originale agnoscere.

Totus est Cyrillus in eo dogmate adserendo Catechesi XIII. Ait num. I. Homines *in universo orbe peccatis mortuos fuisse* ... *Omnes sub peccato detentos* a Crucifixo *solutos, et universum hominum mundum redemptum.* Num. II. *Neque tibi mirum videatur,* inquit, *totum orbem redemptum esse. Non enim nudus homo, sed Unigenitus Dei filius erat, qui ea causa moriebatur. Et quidem unius Viri Adam peccatum mortem inferre mundo valuit. Si autem unius ruina mors regnavit in mundum, cur non multo magis per unius justitiam regnatura sit vita?* Quaenam vita? Non solum vita corporis per resurrectionem futuram, sed maxime vita animae, per gratiam, et gloriam, et placationem irae divinae. *Si tunc per lignum, de quo ederunt, ejecti sunt de paradiso, num per Jesu lignum nunc multo facilius non ingressuri sunt credentes? Si Phinees zelo accensus, interempto foedae actionis auctore, iram Dei pacavit: Jesus, non alium interficiens, sed semetipsum in pretium tradens, numquid iram adversus hominem non dissolvet?* Mortem ergo, quam *Adae peccatum* intulit, utramque intelligit Cyrillus, *corporis, et animae.* Num. XXXIII. *Sustinuit autem haec Salvator, pacificans per sanguinem Crucis, quae in coelis, et quae in terra sunt. Inimici autem Dei per peccatum eramus, et definivit Deus peccantem mori oportere ... Adsumpsit Christus peccata in corpore (suo) super lignum, ut nos per mortem ejus peccatis mortui, justitiae viveremus.*

Denique in Procatechesi num. XVI. effectus baptismi recensens, *remissionem peccatorum* imprimis numerat: *Magna res est sane, quod vobis proponitur baptisma: captivis pretium, peccatorum remissio, mors peccati, animae regeneratio, luminosum indumentum, signaculum sanctum indissolubile, vehiculum ad coelum, paradisi deliciae, regni obtinendi causa, adoptionis donum.* Priores quatuor appellationes *ad peccatorum remissionem* directe spectant. Sed etiam baptismus *indumentum est luminosum,* quo nuditas nostra, quae consistit in privatione gratiae, vestitur. Est etiam *vehiculum ad caelum,* ad paradisum, ad regnum: quae nobis loca solo occluduntur peccato. Vocatur denique *adoptionis donum,* quo ex filiis Diaboli efficimur filii Dei. Atqui baptisma aeque pueris recens natis, atque adultis in Ecclesia collatum semper fuisse constat: ut jam pateat, non adultis dumtaxat, verum etiam pueris peccata remitti sacro baptismate.

Difficultatem ingerunt loca duo Cyrilli. De mali origine disserit Catechesi II. et quid sit peccatum inquirens, hanc unam proponit notionem ejus, quae culpae originali minime congruit: *Malum* (inquiens num. I.), *ex libero delectu, voluntariae animi inductionis germen: quod propria sponte, arbitrioque peccemus, palam dicit Propheta.* Et num. II. *Quid tandem est peccatum? Animal ne, an Angelus, vel Daemon? Quae res est hujus effectrix? Non est hostis, o homo, qui te exterius invadat: sed est mala soboles a te ipso procrescens.* Difficiliora videntur, quae docet Catechesi IV. num. XIX. *Addisce, quod priusquam anima in hunc mundum veniret, nihil peccavit: sed cum absque peccato venerimus, nunc ex libera voluntate peccamus.* Disserentia

Cyrilli scopus utramque depellit difficulatem. Posteriore loco agit de Anima: pluraque proponit credenda totidem erroribus adversa. Errorem *Gnosticorum*, *Manichaeorum*, aliorumque refellit num. XVIII. *Non siderum*, inquiens, *natalitiorum vi peccas*, *neque fortuna cogente scortaris: neque uti nonnulli delirant*, *astrorum conjunctiones te lasciviis invitum incumbere compellunt. Quid tua ipsiusmet mala confiteri detrectans, astris insontibus culpam adscribis?* Delirium *Valentinianorum*, qui tres hominum, spiritalium, animalium, materialium ordines distinguebant; ordinesque duos discernebant animarum, quarum aliae natura bonae, et aliae natura malae forent, insequitur num. XX. *Non est ordo animarum natura peccantium*, *et ordo animarum juste agentium: sed utrumque ex voluntate*, *ex suo cujusque arbitrio fit.* Quae vero addiscenda tradit num XIX. *Pythagoricis* opponit, *Platonicis*, *Basilidianis*, *Origenistis*, qui animas putabant, cum dudum antequam illigarentur corporibus exstitissent, in peccata voluntaria cecidisse, quorum in poenam in haec terrestria corpora fuissent relegatae. Potuit ergo Cyrillus, debuitque docere, animam in hunc mundum venientem omnis peccati, *propria scilicet electione admissi*, immunem esse. Istud vero peccatum, quod in actione prava constitit, exponit ille priore in loco adversum Manichaeos, qui malum dicentes necessarium, non originis peccatum spectabant, sed voluntaria quaeque mala, quibus humana deturpatur natura. Haec enim haud illi inficiabantur a voluntate proficisci: sed ipsam voluntatem hominum ad peccatum adigi ajebant, vel ipsius *naturae a Principibus tenebrarum efformatae vitio*, *vel siderum natalitiorum*, aut *fati dura et ineluctabili necessitate*. Quamquam demum admonendum est, allatam a Cyrillo *definitionem peecati* optime convenire pravae Adami electioni, qua gratia divina privatus ipse remansit: et haec utique privatio, quae peccati actualis effectus est, diciturque macula peccato illata, propagatur in posteros.

II. *Joannem Chrisostomum* clamitant totum suum *Novi Pelagiani* Mentem ejus diligentiore opera expendamus. Homilia X. in Epistolam ad Romanos: *Quid sibi vult illud*, inquit, *in quo omnes peccaverunt? Illo lapso, ii etiam qui de ligno non comederant, effecti sunt ex illo omnes mortales.* Post Adae peccatum singulos homines docet, moriendi necessitati obnoxios factos. Hanc a Deo in *Geneseos libro* interminatam sententiam incurrit praevaricator primus homo, incurrunt posteri ejus. Hujusce causa poenae in Adamo fuit ipsum actuale Adami peccatum: quod permanentem reliquit in ipso maculam peccati, ac reatum mortis: ac utrumque pervasit in posteros. Haec duo posteriora Chrysostomus non exponit hoc loco, sed neque inficiatur, immo satis indicat.

Luculentiora proferre pergit, difficultatem opponendo: *Si ergo*, inquiens, *hoc peccatum ex legis transgressione mortem peperit; quomodo qui ante legem fuerunt*, *omnes mortui sunt? Si enim ex peccato mors radicem*, *τὴν ῥίζαν*, *habuit*, *et si non exstante lege peccatum non imputatur*, *quomodo mors dominabatur?* Solutionem accipe: *Unde palam est* (inquit Chrysostomus), *non peccatum illud, quod est legis* (per Moysem datae) *transgressio; sed illud Adami peccatum inobedientiae, ipsummet fuisse quod omnia perdidit.* Hinc vero, *cum tibi dixerit*

Judaeus, quomodo uno Christo recte operante, orbis salutem est adeptus? Poteris ipsi dicere: quomodo uno inobediente Adamo, orbis condemnatus est? Non solum Adae posteri in *miseram illam* incurrunt *conditionem*, quae poena fuit inflicta Adamo peccanti: sed poenam ipsam subeunt, et *poenae reatum*, seu condemnationem.

Ampliora jam accipe: hunc scilicet propagatum in Adae posteros poenae reatum: intelligendum esse ipsius Adae peccatum transmissum in omnes, quo vere peccatores denominantur omnes: „*Sicut enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituentur multi.* Ac videtur quidem, dictum illud non parvam inferre quaestionem (quaestionis momentum exponit). Quaenam igitur illa quaestio est? Nempe dicere, *per inobedientiam unius multos effici peccatores.* Quod enim illo peccante, et mortali facto, qui ex illo orti sunt tales efficiantur, id a verisimili non abhorret: quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit?“ Ita opponebat olim *Julianus:* ita *Novi Pelagiani* opponunt. Responsa duo habet Chrysostomus, alterum ab absurdo petitum, directum alterum. Primum est: *Invenietur quippe ille non poenas debere, nisi ex se peccator fuerit.* Ac sane vetat justitia divina, ut qui ex se peccator non sit, luat poenas proprie dictas. Alterum est: *Quid igitur hic significat illud, Peccatores? Mihi quidem videtur, τὸ ὑπεύθυνοι κολάσει, supplicio obnoxios, et ad mortem damnatos.* Reatus Adae in posteros propagatus verbis disertissimis edocetur. Atqui *reatum* dixerit nemo *miseram dumtaxat humanae naturae conditionem*, in quam solus Adamus peccati merito inciderit: neque positum illum contendimus in ipsa flagitiosa Adami actione: at ille tamen consistit in effectu per ipsum actuale peccatum illato, seu potius in defectu, in *privatione gratiae originalis*, quam *peccati maculam* vocant, omnibus et singulis ex Adamo prognatis hominibus inhaerente. Haec utique Joannis Chrysostomi doctrina.

Adhuc instant *Novi Pelagiani*, verba opponentes, quae paulla infra habentur: *Quod si quis vestrum quaerat, hoc dicemus: nos a morte hujusmodi, ac condemnatione non modo nihil laesos fuisse, si advigilemus; sed etiam lucratos esse, cum mortales effecti sumus. Primo quod non in corpore immortali peccemus: secundo quod innumeras Philosophiae ansas hic mutuemur.* Si nocumenti nobis contigerit nihil, inquiunt Heterodoxi, cadit culpae ratio, quae in posteros propagata dicitur. Non cadit reatus poenae, auctore Chrysostomo, inquio ego: nocumentum ergo inest nobis. Sancti Patris germanam mentem declarat locus integer. Dixerat ille, per inobedientiam Adami *peccatores* effectos posteros ejus, idest reos, et *obnoxios supplicio, et ad mortem damnatos.* Quaestionem aliam movet: *cur ita factum sit?* cur ad mortem nos damnaverit? Reponit causam praetermissam ab Apostolo, cur poenam mortis taxaverit Deus: *Nondum illud adjicit: neque enim id ad rem praesentem attinet. Nam contra Judaeum decertatur, qui dubitat, ac deridet illam per unum hominem justitiam. Ideo postquam ostendit supplicium ab uno in omnes derivatum, cur id factum sit non addit: neque enim superflue loquitur, sed circa necessaria tantum instat.* Causam vero si quis inquirere persistat, cur supplicium mortis

intulerit Deus: *Hoc dicemus,* inquit: supplicio potius mortis, quam alio poenae genere punire posteros Adae voluisse Deum, ut ex ipsa poena non detrimentum, sed lucrum pro ipsius summa Dei bonitate nobis obveniret; quoniam vitam vivere desinentes, peccare cessamus in hoc mortali corpore; ac virtutum opera ut exerceamus, *et praesens, et expectata mors suadet, immò potius ante haec alia plurima afferuntur bona, Martyrum coronae, Apostolorum bravia &c.*

Neque tamen existimandum est, *in uno mortis defectu* haesisse Chrysostomum, cum naturae humanae corruptionem peccato Protoparentis illatam declarat. Vitiatae naturae defectus omnes universim memorat Homilia XI. in Epistolam ad Romanos num. 3. in fine: *Cum peccavit Adam, corpusque ejus factum est mortale, atque passibile, multaque naturalia damna accepit, equus molestior et effrenis factus est. At Christus veniens, per baptisma leviorem illum nobis reddidit, ala spiritus illum excitans.* Rebellem hanc *concupiscentiam* cum *morte* nominat Homilia XIII. num. 1. *Cum morte affectuum turba ingressa est. Cum enim corpus mortale effectum est, necessario accepit concupiscentiam, iram, dolorem, caeteraque omnia.* At mortis, aliorumque defectuum causam, et *radicem* vocat *peccatum* Homilia XL. in Epistolam I. ad Corinth. num. 2. qua evulsa, et exsiccata per baptismum, ipsi fructus ejus tolluntur: *In lavacro regenerationis . . ipsam animam Deus tangit gratia: et illinc peccatum, ἁμαρτίαν, evellit radicitus, πρόῤῥιζον . . . . Ejus qui est baptizatus,* anima videtur, efficiturque *qualis fuit generata ab initio . . . itemque corporis resurrectionem hinc quoque rursus tibi facit esse credibilem. Nam quoniam peccatum mortem intulit, exsiccata radice, τῆς ῥίζης ξηρανθείσης, non est amplius dubitandum de fructus interitu* per resurrectionem mortuorum.

Tria manent leviora quaedam Chrysostomi loca ad examen vocanda. Homilia XVII. in Epistolam I. ad Corinthios num. 3. ait: *Ab initio te Deus immortalem facere voluit: sed tu noluisti . . . . Tunc enim non moeror, non dolor, non gemitus. Sed in dignitate illa non mansit. Quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illum ne peream? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti. Sed si non idipsum peccatum, aliud utique admisisti.* Homilia XXXIX. in eamdem Epistolam num. 3. „*Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quid? Omnes-ne? Dic quaeso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo *Noe* justus in generatione sua? Quomodo *Abraham?* Quomodo *Job!* Quomodo alii omnes? Quid vero, dic rogo, omnes-ne vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt, qui abducuntur in gehennam? Nam si hoc quidem dictum est de corpore, stat quod dicitur. Si autem de justitia, et peccato, nequaquam.“ Homilia XXIV. in Epistolam ad Ephesios num. 5, *Corruptibile est corpus nostrum, sed anima incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest etiam animam corrumpere, et efficere ut facile capi possit a verme immortali.*

Priore loco homines adloquitur sanctissimus Ecclesiae Graecae Doctor, jam tinctos baptismatis lavacro, qui suis in peccatis actualibus excusationem pertexebant ex casu Adami. Non Adamum, inquit

ille, sed nos causam esse damnationis, quam nostra ob scelera incurrimus. Genuinum sensum patefaciunt, quae verba sequuntur num. 4. „*Nisi mortale corpus accepissem, inquies, non peccassem.* Quid ergo an ille (Adamus) quaeso, mortale corpus habens, peccavit? Nequaquam. Nam si mortale fuisset, non postea supplicii loco mortem passus esset. Quod autem mortale corpus non sit impedimentum ad virtutem, sed et temperantem reddat, et multum conferat, hinc palam fit. Si enim immortalitatis expectatio solum, *Adamum* tantum extulit; si revera immortalis mansisset, in quantam arrogantiam non processisset? Et nunc quidem post peccatum potes peccata solvere, cum corpus sit humile, abjectum, et dissolutum: hae quippe cogitationes possunt temperantem reddere. Si autem peccasses in immortali, stabiliora fuissent peccata. Non ergo mortalis natura causa peccati est: ne accuses: sed malum voluntatis propositum est radix malorum."

Insequitur *loco altero* Manichaeos, qui corporum resurrectionem inficiabantur, exponebantque Apostoli Pauli dicta de *resurrectione peccatorum actualium,* eorum scilicet peremptione, seu vitatione. Clarissima sunt Chrysostomi verba in Homilia XXXIX. laudata num. 2. „Ubi nunc sunt scelesta ora *Manichaeorum,* qui dicunt eum (Apostolum) dicere eam quae *hic est resurrectionem,* nempe *liberationem a peccato, (τῆς ἁμαρτίας ἀπαλλαγὴν)?* Densi enim isti, et continui, ac reciproci syllogismi, (a Paulo Apostolo allati,) nihil indicant eorum, quae illi dicunt, sed id quod nos dicimus: dicitur enim resurrectio, *ejus quod cecidit restitutio:* et ideo frequenter resumit, non solum dicens *resurrexisse,* sed etiam addens *ex mortuis.* Et Corinthii sane non dubitabant *de remissione peccatorum,* sed de *resurrectione corporum.*" Fidem hanc Ecclesiae catholicae demonstrare pergit num. 3. Dignam animadversione hanc ejus argumentationem accipe: „*Si peccatorum diceret resurrectionem:* nemo autem est absque peccato (sine dubio, actuali;) nam Paulus dicit: (I. Cor. 4. v. 4.) *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Quomodo erunt aliqui, *qui resurgant secundum vestram sententiam,* (cum nemo sit in hac vita sine peccato)? Viden', eum esse loqutum de corporibus." Hanc aliam argumentationem expende. „*Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum ....* Videamus autem, quamnam dicit mortem. *Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quid? Omnes-ne? Dic quaeso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe justus in generatione sua &c." Argumentationis haec summa est. Resurrectionem aut intelligunt Manichaei *liberationem a peccatis lethalibus,* aut a *peccatis levibus.* Nemo in hac vita sine peccato levi: ergo nulla foret resurrectio. *Noe* vero, et *Abraham,* et *Job,* aliique sanctissimi viri vitam creduntur duxisse absque peccato lethali: aliqui ergo non resurgerent, si liberatio a peccatis lethalibus dicenda foret resurrectio. In hac adversum Manichaeos quaestione catholicae de peccato originali fidei locus non erat.

Tertio demum *loco* peccatum originale agnoscit Chrysostomus: diversamque docet per ipsum animae inferri corruptionem ab ea, quam inferunt peccata actualia. Locum integrum afferre liceat. „*Et gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in*

incorruptione ... Quid est, *in incorruptione?* ... in honestate, et moderatione, (ac virtute) ... Illud *in* idem est quod *per: per incorruptionem*, inquit, idest per virtutem. Omne enim vitium est corruptio ... quid est enim, dic mihi, *corruptio corporis?* Annon dissolutio totius, et ejus compositionis? (Haec corporis corruptio pervadit substantiam ejus, naturalesque qualitates.) Hoc etiam fit in anima (quoad ejus qualitates, secus quoad substantiam,) in eam ingresso peccato. Pulchritudo enim animae est temperantia, justitia: sanitas animae est fortitudo, prudentia. Nam qui est turpis, et inhonestus, est deformis &c. Quod vero peccata operentur corruptionem, hinc palam est: faciunt enim turpes, et imbecilles &c." Difficultatem opponit: *Corruptibile est corpus nostrum:* (haud mirum, si corrumpi, aut dissolvi queat.) *Sed anima incorruptibilis: ne itaque ipsam corrumpamus.* Immo juxta textum graecum: *non itaque ipsam corrumpimus; μή δὴ καὶ αὐτὴν φθείρωμεν.* En vero solutionem: *Hoc fecit prius peccatum:* seu *hoc operatum est prius illud peccatum, τοῦτο ἡ ἁμαρτία εἰργάσατο ἡ προτέρα. Prius istud peccatum* non aliud fuerit, nisi *originale:* quo animam docet Chrysostomus corruptam fuisse, utpote quod positum sit in privatione gratiae, et justitiae originalis. At peccatum actuale animam corrumpit, tum eam donis gratiae spoliando, tum etiam intus positive affligendo. Accipe Chrysostomi verba: *Quod est* (peccatum) *post lavacrum*, (actu nempe proprio admissum,) *potest etiam animam corrumpere, et efficere ut facile capi possit a verme* (conscientiae) *immortali*, qui mordet illam et affligit. *Non enim attigisset, nisi corruptibilem invenisset animam*, (quatenus et gratiae donis privari potest, et conscientiae morsu affligi.)

Perperam denique vanoque conatu laudes opponuntur, quae *Pelagio*, eo quo suos jam spargebat errores tempore, tribuit ipse Chrysostomus in Epistola IV. ad Olympiadem anno circiter 407. scripta: *De Pelagio Monacho*, inquiente, *magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt; cum viros qui tam pie et sancte, tantaque cum tolerantia vixerunt, abripi atque in fraudem impelli videamus, οὕτω φανῶσιν ὑποσυρόμενοι.* Immo haec satis evincunt, Chrysostomum eo vel tempore, quo nondum aperte Pelagiana haeresis innotescebat, Pelagio adversum.

CAPUT XXVI.

Vindiciae Theodoreti, Episcopi Cirensis: ac primo uti Joannis Chrysostomi, ita ipsius Theodoreti consilium. Loca ejusdem ad examen vocata. Fides Ecclesiae Graecae, exposita a Dositheo, Jerosolymorum Patriarcha.

I. *Theodoreti, Episcopi Cyri*, qui postremus est, mirum quantum *Novi Pelagiani* de auctoritate glorientur, veluti apertissime favente. Satis etiam perplexam mentem ejus fatentur Orthodoxorum Theologorum nonnulli. Sententiam ejusdem ad haec redigit capita *Joannes Garnerius* Dissertat. III. de ipsius Fide Theodoreti Capite IV. 1. *Adamum immortalem factum esse:* peccavisse, priusquam liberos susciperet: inde *factum mortalem, in poenam peccati.* 2. Mortalis ipse

cum esset, *mortales genuisse:* ex mortalitate corporis *ortas animi perturbationes:* ex hisce *peccata*, et ex singulorum peccatis stipendium mortis. 3 Hinc *duas* apud ipsum *causas* distingui oportere mortalitatis: *universalem* unam, nasci ex mortalibus: *particularem* alteram, peccasse suopte arbitrio. 4. *Mori infantes, et justos propter universalem causam:* alios omnes, *propter utramque.* 5. Baptismate praestari duo: *tolli peccata, et dona conferri:* ex natura sua utrumque effici in adultis: alterum dumtaxat in infantibus.

Ex his Garnerius colligit. 1. Theodoretum procul a Theodoro Mopsuesteno abesse, et a Caelestio, atque Pelagio. Effutiebant isti, Adami peccatum ipsi nocumentum soli attulisse, non posteris: posteris etiam omnibus nocuisse Adami culpam, Theodoreti sententia est. Docet quippe, contractam esse primi peccato hominis necessitatem moriendi: indeque exortam concupiscentiae effraenitatem, corpore quod corrumpitur animam adgravante. 2. Ad mortem animae quod attinet, quam *propagatione primaevae culpae* singulis inferri hominibus docet Ecclesia, dilucide suam non aperuisse mentem Theodoretum.

Addiderim ego, non adeo clare Theodoretum exposuisse *peccatum generatione contractum*, ex eoque *illatam mortem animae*, ut fideles quos erudiebat, procul arceret ab erroribus, quos tradiderant *Manichaei*, quos *Massaliani* spargebant. Peccatorum actualium principium, natura sua malum, adserebant *Manichaei.* Catholica de peccato originali doctrina abutebantur *Massaliani.* Docebat, docetque Ecclesia, *animam Adae peccato mortuam esse*, et *Diabolum in cor ejus ingredi, qui peccat.* Haec eadem blasphemo sensu *Massaliani* tradebant. Duas quolibet in homine ponebant animas, *communem* unam, *caelestem* alteram: qua per peccatum exclusa, mortuus homo censeretur. Diabolum ajebant cum homine peccatore *οὐσιωδῶς*, *consubstantialiter* conjungi: nec ulla Baptismi, alteriusve Sacramenti virtute abigi, nisi per orationem. Consule, quae Capite XII. num. IV. adnotata sunt. Ab his erroribus ut sibi caveret *Chrysostomus*, eosdemque procul ut arceret a fidelium mentibus, ita verba ipsum temperasse in quaestione *de peccato originis*, ut minus accurate de peccati traduce egisse videatur, observat *Michael Lequienus* Libro II. Joannis Damasceni de Fide orthodoxa Capite XXX. *Nota postrema:* eamdemque ob causam *Theodoretum*, aliosque veteres Graecae Ecclesiae Patres excusatos haberi posse. Hinc vero consilium illis insedit, ut *primi peccati appendices*, et effectus longe lateque describerent, de ipsa *causa*, *ac radice* parcius agerent: tot quidem nocumenta, quae patimur, *in ipsum Adae peccatum* referrent, *traducem* tamen ejus *aperte* non declararent: at satis utique ipsum indicarent, *genus humanum condemnatum* adserentes, supplicio mortis affectum, ac rebelli obnoxium concupiscentiae.

II. Hac praefulgente luce, innotescere jam potest *Theodoreti* mens. Verba ad examen primum voco, quae habentur in Psalmum L. ad v. 7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum &c.* „Olim, et a principio *peccatum* in naturam imperium obtinuit, quia mandati transgressio Evae conceptionem praecessit. Post transgressionem enim, divinamque sententiam, et Paradisi privationem, cognovit Adam uxorem suam: et cum concepisset, peperit Cain. Hoc igitur vult dicere,

quod cum peccatum majores nostros invasisset, viam quamdam, et tramitem *per progeniem* effecit. Hoc et Beatus ait Paulus: *quoniam enim per hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, in quo omnes peccaverunt.*" Satis fuit Theodoreto, *actuale peccatum Adami* memorasse, ut errores *Manichaeorum*, aliorumque convelleret: *alterum* de necessitate adigente ad peccandum, et *alterum* nuptias veluti per sese malas rejicientem. „Caeterum per haec omnia discimus, *non peccati naturalem vim esse;* nam si ita foret, a supplicio liberi essemus: sed *naturam ad peccatum proclivem*, ab affectionibus turbatam: vincit tamen ratio, superno auxilio subnixa. Non igitur, ut *quidam suspicati sunt*, nuptias accusat (David,) et matrimonium iniquitatem vocat... Sed *transgressionem principio a primis parentibus patratam* profert, et illam harum undarum *fontem fuisse* dicit." Cur scilicet *nuptiae accusandae* fuerint, cur *vis naturalis peccati* obtrudenda? Cum maxime pateat libera primorum parentum transgressio, ex qua per generationem contraxerunt posteri mortalitatem, proclivitatem ad peccatum, rebellem concupiscentiam: quibus attamen ratio valet superno auxilio resistere? „Si enim illi non peccassent, *poenam peccati mortem* non accepissent. Si autem mortales non essent, corruptione superiores fuissent, et cum incorruptione conjuncta omnino perturbationum vacuitas foret. Si autem non essent perturbationes, peccatum locum non haberet." *Proximam peccatorum causam*, aliasque magis remotas, ac *primam* denique memorat Theodoretus: perturbationes animi, sive motus rebellis concupiscentiae: corruptionem, seu proclivitatem ad peccandum: mortalitatem, ac demum primam Adami culpam, caeterorum defectuum fontem et primam causam.

His adhaeret principiis in Caput V. Epistolae ad Romanos: „*Adam deceptus*, (inquit,) mandatum transgressus est. *Supplicii* autem *comminationem* Legislator mandato conjunxit ab initio. Is itaque cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita (*οὕτω*, decreto mortis obnoxios) *Cain*, et *Seth*, et alios genuit." *Decreto mortis obnoxios*, *Adamum* esse ac posteros ejus, perinde est ac illos omnes fateri *condemnatos*, reosque mortis; sententiamque a Deo latam in Adamum subiisse omnes. „Omnes ergo, *ut ex tali progeniti*, mortalem habebant naturam. Hujusmodi autem natura multis indiget, et cibo, et potu, et indumentis, et habitatione, et diversis artibus. Horum autem usus saepe ad mediocritatis excessum affectus incitat: mediocritatis autem excessus peccatum generat." *Adami peccato*, naturaeque humanae corruptione inde proficiscente, docet Theodoretus viam reseratam *ad concupiscentiam effraenem*, ad effectus immoderatos, qui peccata actualia generant. Hinc vero per unius hominis peccatum, tum mors, tum alia peccata pervaserunt genus humanum: ac praeter *universalem causam mortis*, idest Adae peccatum, accessit *particularis causa mortis*, uniuscujusque peccatum actuale. „Dicit itaque divinus Apostolus, quod *cum Adam peccasset*, mortalisque propter Adae peccatum factus esset, *utrumque ad genus permanavit*, (mors nempe, et peccatum.) Ad omnes enim homines mors pervasit, *quatenus omnes peccaverunt*. Non enim *propter primi parentis peccatum*, sed *propter suum unusquisque* mortis decretum suscipit." *Causam particularem* mortis hoc loco exponit: eamque rursum declarat paullo infra: „*Regnavit*

autem *mors* etiam in eos qui non peccaverunt in similitudine transgressionis Adae. Etsi enim illud mandatum non transgressi sunt, alia autem delicta commiserunt.“ At jam antea *universalem causam mortis*, particulari cujusque peccato, et particulari mortis decreto praeviam, his exposuerat verbis: *Adam itaque cum mortis decreto factus fuisset obnoxius, ita Cain, et Seth, et alios genuit. Omnes ergo, ut ex tali progeniti, mortalem habebant naturam.* Hanc eamdem *universalem causam* confirmare pergit: *Cum Adam peccasset*, inquiens, *mortique esset traditus, universum genus est consecutum . . . Cum unus peccasset, totum genus poenas luit . . . Illo transgresso, universum genus mortis decretum suscepit.* Innotescit quam maxime, *de peccatis actualibus* agere Theodoretum, quae dici quidem possunt *causa particularis mortis.* Sunt ipsa vero effectus concupiscentiae, corruptionis, mortalitatis, *primi peccati ab Adamo admissi.*

Par est doctrina, quam sub nomine *Orthodoxi* tradit in Dialogo cum *Eraniste*, qui *impatibilis* inscribitur. Ait Orthodoxus: *Tibi autem quomodo videtur justum esse, cum Adamus mandatum violaverit, subsequi posteros progenitorem?* Pro certo habet, damnationem Adami transisse in posteros: idque quomodo justum sit, inquirit. Reponit Eranistes: *Etiamsi peccati illius progenies particeps non fuit, tamen alia peccata perpetravit: et hanc ob causam mortem subiit.* Peccatum actuale Adami obversabatur animo Eranistis: hujusque participem negat progeniem Adae. Hanc vero ait, in alia peccata lapsam proprio arbitrio esse: et haec posterorum peccata adducit veluti causam mortis eorum. Opponit Orthodoxus: *At non soli peccatores, sed etiam justi, et Patriarchae, et Prophetae, et Apostoli, qui variis virtutum generibus illustres fuerunt, in mortis laqueos inciderunt.* Universalem aliam causam mortis profert Eranistes: nasci nempe ex mortalibus. *Quomodo fieri potuit*, (inquit) *ut immortales permanerent, qui ex mortalibus parentibus orti fuerant. Nam Adam post transgressionem, et divinam sententiam, mortis imperio subditus, uxorem cognovit, et pater appellatus est. Mortalis autem cum esset, mortalium pater factus est.* Causam adprobat Orthodoxus, eamque magis declarat; animadvertens, nasci mortales ex mortalibus ita intelligendum esse, ut posteri Adami subierint cum Adamo sententiam, condemnationem, reatum mortis: *Optime*, inquiens, *nobis ostendisti causam, cur mortis sumus participes. Quare hoc ipsum quoque dandum est de resurrectione: oportet enim, convenientiam esse morbi, et remedii. Quemadmodum enim principe generis condemnato, universum genus simul damnatum est*, συγκατεκρίθη: *ita cum Salvator maledictionem solvit, natura quoque libertatem recuperavit.* Haec generis humani *in Adamo condemnatio*, et *maledictio* non est sola *mortalitas:* sed *reatus mortalitatis*, idest gratiae privatio in posteros propagata.

Semel conceptam sententiam passim illustrat Theodoretus. Libro V. Haereticarum fabularum, qui et *Epitome divinorum Decretorum* inscribitur, sic ait Capite XI. „*Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors &c.* Cum autem his verbis ostendisset, quod fuerit *initium peccati*, et quis *ex eo fructus* germinavit (universalem causam mortis patefacit, quae non alia est,

nisi Adae peccatum.) *Regnavit mors &c.* Transgredientibus autem, et iis qui sub hac (lege Mosaica) vivebant, et iis qui sub lege agebant naturae jure mors regnavit, *confirmante* ejus potentiam peccato. (Universali causae adjunctam profert causam particulam, uniuscujusque peccatum actuale.) *Sed non sicut delictum, ita et donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt &c. ... Justitiae decretum*, cum unus peccasset, *universum genus morti* tradidit: Divina autem misericordia, cum omnes homines essent sub maledicto, et peccati laqueis essent irretiti: per unius justitiam dedit omnibus salutem." *Causam universalem* significant *decretum justitiae* tradens universum genus morti, et *omnium hominum maledictio:* ad *causam particularem* pertinent peccati laquei, quod actu proprio homines admiserunt. „*Judicium quidem ex uno in condemnationem &c.* Quando unus peccavit, *omnes condemnati sunt* . . . Si enim cum unus peccasset, *condemnatum est genus:* (en causam universalem) multo utique justius erat, eos qui peccato (actuali) subditi erant, *supplicium subire:*" (en aliam causam particularem). Hanc ita pergit ille illustrare. „Valde apposite in utroque posuit (Apostolus), *multi* etenim, cum *Adam* peccasset, et *plurimi* divinas transgressi leges essent; *permanserunt in naturae finibus* (sine peccato) nonnulli, et virtutis curam gestarunt, sicut *Abel, Enoch*, et *Noe*, et Patriarchae, et Prophetae, et alii plurimi &c." Ubi *multos* intelligit *plures inter omnes*, qui peccata actualia admiserunt, novumque subiere mortis reatum.

Postremus locus est eodem in quinto Haereticarum Fabularum Libro Capite XVIII. *Non enim, ut amentes Massaliani, novaculam tantum imitatur baptismus, praecedentia auferens peccata. Hoc enim ex superabundanti largitur. Si enim hoc solum opus erat baptismatis, quorsus infantes baptizamus, qui peccatum nondum gustarunt? Non enim hoc solum pollicetur, sed his majora et perfectiora. Est enim arrha futurorum bonorum, et typus futurae resurrectionis, et dominicae passionis communicatio, et dominicae resurrectionis participatio, et pallium salutaris, et tunica laetitiae, et stola luminosa, vel potius lux ipsa.* Ad *actualia* hominum peccata *Massalianorum* error pertinet. Haud mirum ergo, errorem eumdem baptismate refelli parvulorum, qui peccata non habent actu proprio commissa. Similem *Joannis Chrysostomi* textum opponebant *Pelagiani*, ipsumque exponit Augustinus. Consule Caput XX. num. III. Haec ad *Massalianos* redarguendos satis erant. Pretium est operae, commentum eorum declarare. Appositissima sunt ipsius Theodoreti verba Libro IV. Haereticarum Fabularum Cap. XI. *Baptisma dicunt*, inquientis, *sucipientibus nihil prodesse: novaculae namque instar praecedentia peccata aufert, peccatorum vero radicem*, τὴν ῥίζαν, *non exscindit. Perpetua autem oratio, et peccati radicem funditus evellit; et malum daemonem, qui ab initio datus est, ab anima expellit. Unicuique enim homini, cum nascitur, adesse mox Daemonem dicunt, eumque ad absurdas actiones incitare. Hunc autem nec baptisma, nec alium quidquam posse ab anima exigere, praeter solam orationem.* Ecclesiae doctrinam *de peccato originali* pravo et blasphemo sensu a *Massalianis* deturpatam praefata verba proponunt. Adultis ad baptismum accedentibus tum *actualia* quae habent, peccata remittuntur: tum etiam *peccatorum radix* exscinditur,

idest peccatum originale, quo nascimur filii irae, et daemonum potestati obnoxii. Atqui *radix ista* infantibus inest, vel ipsis fatentibus Massalianis: unde quod ipsis baptisma confertur, sin actualia peccata remittat quae non habent, peccatorum radicem exscindit. Hunc Baptismatis effectum tot inter alios, quos numerat, subintelligendum relinquit Theodoretus.

III. Hanc ipsius, aliorumque Graecorum Patrum fidem, mirifice declarat ipsius Ecclesiae Graecae fides, quam *Dositheus Hierosolymorum Patriarcha* anno 1672. proposuit in *Synodo Jerosolymitana* adversum Commenta Calvinistarum. In Professione Fidei Capite VI. haec habentur: *Credimus, primum hominem a Deo creatum in Paradiso deliquisse, cum posthabito Dei praecepto, dolosae suasioni serpentis assensit: indeque originale peccatum, ceu hereditarium profluxisse,* (προπατορικὴν ἁμαρτίαν τῇ διαδοχῇ, primi parentis peccatum successione profluxisse;) *quatenus carnali propagatione hunc in mundum nemo prodeat, quin hujus et onus,* τὸ φορτίον, *secum afferat, et fructus persentiat,* τοῖς καρποὺς. *Hos porro fructus, hoc onus nequaquam intelligimus, videlicet impietatem, blasphemiam, homicidium, sodomiam, adulterium, fornicationem, simultates, et si quid aliud divinae contrarium voluntati a voluntate prava, non autem a natura, committitur: cum et Patriarchae, et Prophetae non pauci, aliique mille non modo sub legis umbra, sed etiam sub veritate gratiae, uti divinus Praecursor, atque imprimis Verbi divini Mater ac semper Virgo Maria, nec ullam experti sint ad ista, aut hujusmodi peccata tentationem. At ea dumtaxat intelligimus* ἅπερ ὡς ποινὴν τῷ ἀνθρώπῳ δια τὴν παράβασιν δέδωκεν ἡ θεία δικαιωσύνη, *quae divina justitia, ceu poenam homini propter transgressionem inflixit: exempli causa, sudores laborum, aerumnas, corporis infirmitates, dolores in partu, denique vitam in terra laboriosam, et quod cumulus est omnium, mortem corporalem.*

Haec *Synodi Jerosolymitanae* verba paullo attentius ponderanti cuique colligere licet 1. *Peccatum originale* intelligi non debere, *veluti peccatum quoddam actuale,* quod voluntas prava admiserit instar blasphemiae, sodomiae, fornicationis adulterii, aut cujuslibet alterius impietatis in actione flagitiosa consistentis. 2. Neque peccatum, quo natura humana, Adamo peccante, vitiata mansit, accipiendum illud ipsum, quod *actuale fuit in Adamo,* in pravo positum voluntatis ejus amore, ac iniqua exteriore vetiti fructus comestione. 3. Peccatum idem, quod *originale dicitur,* ac *veluti haereditarium in posteros profluxit,* nihil esse aliud, quam *onus* quoddam, seu *vitium naturae,* cum plurium defectuum appendice. 4. Hujusmodi vitium, ac defectus consequentes tum *in hominum corpore apparere,* quod aerumnis, laboribus, infirmitatibus, ac morti obnoxium est: tum *in animo,* deturpato ignorantia recti, pronitate ad malum, ac necessitate sentiendi legem membrorum: tum denique in exclusione ab aeterna salute. 5. Neque solum haec omnia hominibus inesse, qui nascuntur ex Adam: sed etiam *privationem justitiae,* et gratiae, seu castae dilectionis Dei, quam illis inspirasset Deus, si innocentes ex Adamo innocente propagarentur. 6. Atque demum haec omnia, si comparentur invicem, ita habere se, ut privatio gratiae, et castae dilectionis *causa* dici de-

beat aliorum defectuum: ac in illa proprie consistat *originale peccatum*, caeteri defectus sint *poena peccati.*

Cum itaque *peccatum originale*, quod in posteros propagatum credimus, in *aliqua prava* non consistat *voluntatis actione;* sed in *defectu naturae*, qui ex Adami iniqua actione illatus est: potuit illud, ac potest per varios, qui in humana relicti sunt natura, declarari et exprimi defectus. Positum illud si dicas in *privatione justitiae,* gratiae, et castae Dei dilectionis, *primariam* promis, et essentialem notionem ejus. Defectus alios corporis, et animi si afferas, peccatum explicas originale *ex ejus effectibus*, utpote notioribus. Hoc sensu Dositheus ait: *non intelligi peccatum originale aliquam impietatem,* aliamque quamcumque actionem pravam: at in iis positum esse, *quae divina justitia homini, ceu poenam inflixit:* ac etiam addit, *prodire carnali generatione neminem in mundum, quin peccati originalis onus secum adferat, et fructus persentiat.* Quibus verbis non obscure traditur, nasci homines reos poenae, ac ipsis inesse causam poenae: pluribus obnoxiam defectibus trahi naturam, eosque inter defectus censeri alios consequentes, et alium veluti radicem caeterorum.

Mentem hanc suam splendidius declarat Dositheus Cap. XVI. de Baptismatis sacramento. Docet nempe: *illud et parvulis necessarium esse, utpotequi rei quoque peccati originalis existant .... Qui nondum regenerati decedunt, sempiternae peccati necessitatis poenae subjacere .... Haec demum, esse effecta Baptismi: 1. peccatum delere originale, et quotquot voluntate propria is qui baptizatur, admisit; 2. ab aeternis, quae sive propter originale, sive propter peccatum mortale* (actuale) *manebant hominem, poenis eximi; 3.* demum *immortalitatem baptizatis impertiri.*

Lux modo affulget clarissima, quae causam patefacit, cur non pauci Ecclesiae Patres, et scriptores maxime Graeci, cum *de peccato originis* disputarent, inflictionem corporalis mortis, ac defectus consequentes ut plurimum memorent. Caventes a *Manichaeis*, et a *Massalianis*, primigeniam culpam in posteros propagatam ab omni actuali peccato, quod prava in actione consistit, distinguere diligentius curarunt; ac satius illis fuit, idem peccatum in *defectu naturae* constituere. At multiplex hujusmodi cum habeatur defectus, non adeo accurate discernunt, qui primus dici debeat, et caeterorum causa: qui vere culpa, qui poena; ne subtiliores miscerent quaestiones, sed ut potius *Manichaeorum* et *Massalianorum* deliria procul a fidelium mentibus arcerent. Modo ergo *peccatum originis* exponunt *necessitate moriendi*, et aerumnis humanae naturae: modo *animi defectibus,* ignorantia recti, proclivitate ad peccatum, et effraenis concupiscentiae aestu. Ita nempe *securius loquebantur*, ut ait Augustinus, *aut nondum litigantibus* Pelagianis, aut nondum severiore instituto hac de re examine: atque ita *disputantes in Ecclesia catholica, non se aliter intelligi arbitrabantur*, quam ipsa tradebat Ecclesia, tum *dogmatis enuntiatione*, tum *baptismi etiam infantibus collati* publica et constanti observantia. Inter istos varios demum defectus haud umquam inficiantur *principalem illum*, qui est *privatio justitiae, gratiae, et castae dilectionis:* qui vere est culpa, non instar actionis, sed veluti habitualis. Hanc satis

indicant, cum baptismate ajunt exscindi *radicem peccatorum:* cum nasci homines profitentur cum *reatu mortis*, cum *obligatione ad mortem*, morti ac aerumnis et concupiscentiae obnoxios.

CAPUT XXVII.

Traducem peccati invicte probat baptisma etiam infantibus collatum. Veterum Patrum traditio. Quomodo ad baptismi formam pertinere remissio peccatorum dicatur.

I. Publica, et constanti *baptismatis etiam infantibus collati observantia* invicte *traducem peccati* adversum Pelagianos probabat Augustinus: quod ille argumentum multiplici sub aspectu frequentius urgebat. Baptismo *salutem*, et *pretium redemptionis* conferri parvulis, quis iverit inficias Christianus? Originale peccatum ergo inest illis. *Nam quis audeat dicere* (verba sunt Augustini Libro I. de remissione peccatorum Cap. XXIII. num. 33.) *non esse Christum infantum Salvatorem, nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis aegritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venumdati sub peccato? Nulla igitur ex nostro arbitrio, praeter baptismum Christi, salus aeterna promittatur infantibus, quam non promittit Scriptura divina, humanis omnibus ingeniis praeferenda.* Et Cap. XXVI. num. 39. *Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt: concedant oportet, eos egere illis beneficiis mediatoris; ut abluti per Sacramentum caritatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconcilientur Deo: ut in illo vivi, ut salvi, ut liberati, ut redempti, ut illuminati fiant. Unde? Nisi a morte, vitiis, reatu, subjectione, tenebris peccatorum? Quae quoniam nulla in ea aetate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum.*

Magistri divini inquientis apud Joannem Cap. III. v. 3. *Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei:* et v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*, documenta expendit Africanus Pater Cap. XXX. ejusdem Libri, et ait num. 58: *Cur enim nascatur denuo, nisi renovandus? Unde renovandus, nisi a vetustate? Qua vetustate, nisi in qua vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, ut evacuetur corpus peccati?* (ad Rom. Cap. VI. v. 6.) *Aut unde imago Dei non intrat in Regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati?*

Provocat saepius ad Symboli articulum *de uno baptismate in remissionem peccatorum:* ad incitasque adigit Adversarios, ut vel culpam fateantur originalem, vel fallacem aut falsam baptismatis formam dicere cogantur. *Quid de ipsa forma Sacramenti loquar?* (Ait Libro citato Cap. XXXIV. num. 62.) *Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia Diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat, eum renuntiare Diabolo, cujus in eo nihil esset? Quomodo converti ad Deum, a quo non esset aversus? Credere inter caeterā remissionem peccatorum, quae illi nulla tribuerentur? . . . Falsam igitur, vel fallacem tradi parvulis*

baptismatis formam, omnino sequeretur: *in qua sonaret, et agi videretur, et tamen nulla fieret, remissio peccatorum.* Idem urget argumentum in Libro de Peccato originali contra Pelagium, et Caelestium Cap. XL num. 45. *Ipsa sanctae Ecclesiae Sacramenta satis indicant, parvulos a partu etiam recentissimos per gratiam Christi de Diaboli servitio liberari.* Quod primo evincit, quia *in peccatorum remissionem, non fallaci, sed fideli mysterio baptizantur:* deinde *quia prius exorcizatur in eis, et exsufflatur potestas contraria: cui etiam verbis eorum, a quibus portantur, se renunciare respondent. Quibus omnibus rerum occultarum sacratis, et evidentibus signis, a captivatore pessimo ad optimum Redemptorem transire monstrantur.*

In argumentum Apostoli verba *de baptismo in morte Christi* adsumit ille Libro VI. contra Julianum Cap. III. num. 7. „Frustra omnino contenditis, nec ab originali peccato parvulos regeneratione mundari. Non hoc ostendit, qui dixit (Rom. VI. 3.): *Quicumque baptizati sumus in Christo, in morte ejus baptizati sumus?* Dicendo enim, *Quicumque*, non utique parvulos fecit exceptos. Quid est autem *in morte Christi baptizari*, nisi peccato mori? Unde etiam de ipso idem alio loco dicit (ibidem v. 10.): *quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Quod utique dictum est propter similitudinem carnis peccati: propter quod et magnum mysterium est Crucis ejus, ubi *et vetus homo* (v. 6.) *noster simul crucifixus est, ut evacuetur corpus peccati.* Si ergo in Christo parvuli baptizantur, in morte ejus baptizantur. Si in morte ejus baptizantur, *mortis ejus similitudini* (v. 4.) *complantati*, peccato utique moriuntur. *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.* Et quid est complantari similitudini mortis ejus, nisi quod sequitur (v. 11.): *Sic et vos existimate, vos mortuos esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu.* Numquid dicturi sumus, peccato mortuum fuisse Jesum, quod nullum umquam habuit? Absit. Et tamen *quod mortuus est peccato, mortuus est semel.* Mors enim ejus peccatum nostrum significavit, quo utique ipsa mors accidit. Cui mortui sumus: idest, ut mortalis non esset ulterius, peccato dicitur mortuus. Quod ergo ipse significavit in similitudine carnis peccati, hoc per ejus gratiam nos agimus in carne peccati: ut quomodo ille moriendo similitudini peccati, peccato mortuus praedicatur; ita quicumque in illo fuerit baptizatus, eidem rei cujus illa fuerat similitudo, moriatur. Et quomodo in illius vera carne vera mors fuit, sic fiat in veris peccatis vera remissio.“ In editis aliquibus exemplis postrema verba ita efferuntur: *Quicumque in in illo fuerit baptizatus, idem* (seu *idest*) *peccato, cujus in Christo similitudo, non veritas.* Haec delenda jubent *Monachi Sammauraei* Editores, utpote e margine dubio procul omni in contextum translata.

II. Haec sunt selectiora, quae *ex uno baptismatis fonte* hauriebat Augustinus, contra Pelagianos argumenta. Quos ille vero baptismatis effectus, non adultis modo, sed etiam parvulis necessarios exponebat, *liberationem* scilicet *a potestate Diaboli, redemptionem a captivitate, innovationem a vetustate primi hominis, remissionem peccatorum, vitam, salutem, regnum caelorum;* hos eosdem effectus, et adultis, et parvulis recens natis collatos, agnoverunt veteres Patres omnes. Pauca refero

eorum testimonia. Docet Irenaeus Libro II. adversus Haereses Cap. XXII. alias XXXVIII. num. 4. *Omnes per semetipsum salvare* Dominum Jesum Christum, *qui per eum renascuntur in Deum* (per baptismum scilicet) *infantes, et parvulos, et pueros, et juvenes et seniores.* Cur vero? Quia ut ait Libro V. Cap. XV. num. 3. *in illa plasmatione, quae secundum Adam fuit, in transgressione factus homo, indigebat lavacro regenerationis.*

Opinatio *Tertulliani* erat, utilitatem majorem fore sperandam ex dilatione baptismi parvulorum, donec adolescerent, aptique forent ad institutionem: at veluti *reum perditi hominis* existimat Libro de baptismo Cap. XVII. *si cum urget circumstantia periclitantis, supersederit praestare* (sive laicus, sive Clericus), *quod libere potuit* (sacramentum scilicet baptismi). In Libro de Anima Cap. XXXIX. docet: ab Apostolo vocari *Sanctos* fidelium parentum natos ad Corinthios I. Cap. VII v. 14. hoc est, *designatos sanctitatis:* neque propterea baptismi necessitatem eludi posse, quia *meminerat* certe Paulus *dominicae definitionis: Nisi quis nascatur ex aqua et spiritu, non introibit in regnum Dei: idest non erit sanctus.* Pergit vero docere, hanc non conferri per baptismatis mysterium sanctitatem, nisi purgata praeexistente immunditia, deletoque peccato. Verba ejus sunt Cap. XL. sub initium: *Ita omnis anima eo usque in Adam censetur, donec in Christó recenseatur* (per baptismum) *tamdiu immunda, donec recenseatur: peccatrix autem, quia immunda: recipiens ignominiam suam ex carnis societate.*

Luculentissima sunt, quae tradit *Cyprianus* in Epistola LXIV. ad Fidum, LIX. apud Pamelium. Pluribus evincit, non arcendos a baptismo infantes, ac inter alia sic ait: *Porro autem si etiam gravissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata.*

Optabat *Naziancenus*, propria ductus opinione, in Oratione XL. in sanctum Baptisma: ut *triennio expectato, aut aliquanto breviori, vel longiori temporis spatio, cum mystici quiddam audire, et respondere possint*, baptizarentur infantes: at jubet etiam eos ante baptizari, *si quod periculum urgeat.* Cur vero? Eo quod *praestat absque sensu sanctificari, quam sine sigillo et initiatione abscedere.* Communem omnibus effectum Baptismi his Chrysostomus declarat verbis Homilia XL. in Epistolam I. ad Corinthios: *Solus Deus hoc facit, quod quidem operatur in lavacro regenerationis. Ipsam enim animam tangit gratia, et illinc peccatum evellit radicitus . . . Ejus qui est baptizatus, anima efficitur qualis fuit regenerata ab initio . . . Itemque corporum resurrectionem hinc quoque rursus tibi facit esse credibilem. Nam quoniam peccatum mortem intulit, exsiccata radice non est amplius dubitandum de fructus interitu. Propterea cum prius dixisses* (in Symbolo) *remissionem peccatorum; tunc confiteris etiam mortuorum resurrectionem.*

Ambrosii, Mediolanensis Episcopi, verba affero Libro II. de Abraham Capite XI. num. 79. *Nemo ascendit in regnum Caelorum, nisi per Sacramentum baptismatis.* Repugnant, quae habet ille num. 88. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate. Habeant tamen illam opertam poenarum immunitatem: nescio, an habeant Regni honorem.* Quae postrema verba *Nourrius* adnotat, a quopiam Haeretico intrusa fuisse. Notatque etiam in praevia Admonitione, primum hujusce Operis librum incorruptiorem ad nos pervenisse, quam alterum hiatibus certe, aliisque vitiis deturpatum. Genuinam tamen Ambrosii mentem exprimunt haec alia ejus verba num. 81. *Egregie autem infantiae in primis vagitibus circumcidi mares lex jubet, etiam vernaculos: quia sicut ab infantia peccatum, ita ab infantia circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelae, quia nullum est culpae vacuum .... Omnis aetas peccato obnoxia, et ideo omnis aetas Sacramento idonea.* Paria sunt, quae disserit Enarratione in Psalmum XXXVI. num. 63. *Hoc per Baptismatis sacramentum Christus operatur, ut exuat unusquisque quod natus est, induat quod renatus: fiat non familiae,* (successionis ab Adamo ductae,) *heres, sed gratiae.*

Constantem Ecclesiae catholicae traditionem complectitur *Synodus Africana*, seu *Carthaginensis*, anno 418. celebrata, ubi Canone II. decernitur: *ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum, baptizandos negat: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur: unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, in remissionem peccatorum, non vere, sed false intelligatur, anathema sit.*

III. Digna sunt animadversione verba illa, *in remissionem peccatorum baptizari:* et hanc esse *formam baptismatis.* Ajebat etiam Augustinus Libro de peccato originali Capite V. *Infantes debere baptizari in remissionem peccatorum secundum regulam universalis Ecclesiae.* Et Libro I. de remissione peccatorum Capite XXXIV. num. 62. *Falsam, vel fallacem tradi parvulis Baptismatis formam*, si nullum, quod illis inesset, peccatum remitteretur. Eodem in Libro Capite I. testimonium affert *Albinae*, *Piniani*, et *Melaniae*, qui a Pelagio audierunt fatente: *iisdem Sacramenti verbis*, (adeoque *in remissionem peccatorum*,) *debere baptizari infantes, quibus et majores.* Zosimus Papa in Fragmento I. Tractoriae, sic ait: „Fidelis Dominus in verbis suis; ejusque baptismus *re, ac verbis*, idest opere et confessione, et remissione vera peccatorum, in omni sexu, aetate, conditione generis humani, eamdem plenitudinem tenet.“

Colligendum putat Petrus Coustant in Notis ad idem Fragmentum: cum in *Romana*, tum in *Africana Ecclesia* eam tunc temporis usitatam fuisse baptismi formam, qualis in antiquo *Missali Gothico-Gallicano*, quod Thomasius vulgavit, praescribitur his verbis: *Baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, in remissionem peccatorum, ut habeas vitam aeternam.* Arridet mihi prudentissima animadversio *Petri de Marca* in Opusculo de veteribus Collectionibus Canonum Capite XII. num. V. quam descripsimus Capite IX. num. 1.

„Quae verba (superius allata) videntur prima fronte innuere, ampliorem fuisse baptismi formulam, quam sit illa qua hodie utitur Ecclesia Romana: *Baptizo te in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* addita scilicet isthac clausula, *in remissionem peccatorum.* Alioqui mancum, et elumbe videtur Synodi Carthaginensis, Augustini, et Zosimi argumentum. Sed observandum est, *formam* baptismatis non accipi ea significatione, quae *in scholis* huic nomini tribuitur, quando de *materia*, et *forma* hujus Sacramenti disputant. Sumitur hic pro *ritu, ordine, et forma* baptismi, in Ecclesia universali exerceri solita; ubi suus est locus interrogationi, qua a Cathechumenis mox tingendis fidei professio exigitur, et inter caetera capita, *remissionis peccatorum per baptismum* consequendae. Hoc fidei compendium vocatur *regula fidei* ab Irenaeo, Tertulliano, Augustino, et aliis veteribus... *Symbolum quoque fidei* dicitur, (quod Catechumenis tradebatur, et ab eis reddebatur,) ab Hieronymo, hac de re loquente Libro III. adversus Pelagianos: *Hoc unum dicam, ut tandem finiatur oratio. Aut novum vos debere symbolum tradere, ut post Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum baptizetis infantes in Regnum caelorum: aut si unum et in parvulis, et in magnis habetis baptisma, etiam infantes in remissionem peccatorum baptizandos in similitudinem praevaricationis Adam.*" Quod maxime de *ritu collati baptismatis* intelligendum est, cum loco *symboli Apostolorum* tradi coepit, ac reddi *symbolum Constantinopolitanum:* ubi diserta professio est *unius baptismatis in remissionem peccatorum*, cum solius *remissionis peccatorum* mentio fiat in symbolo Apostolorum.

Apertissimam puto Augustini mentem, non alia ratione baptisma etiam parvulis *in remissionem peccatorum* collatum dici, nisi quia in eo, quo ab universali Ecclesia conferebatur, ordine ac ritu, renuntiare Diabolo, et credere remissionem peccatorum profitebantur Catechumeni, propria voce adulti, ore sponsorum parvuli. Splendidissima verba sunt Libro I. de remissione peccatorum Capite XXXIV. num. 62. „Quid de ipsa *forma* sacramenti loquar? Vellem aliquis istorum, qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum afferret. Quid in illo agit *exorcismus meus*, si in familia Diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat *responsurus* pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo *dicturus* erat, eum *renuntiare Diabolo*, cujus in eo nihil esset? Quomodo *converti ad Deum*, a quo non esset aversus? Credere inter caetera *remissionem peccatorum*, quae illi nulla tribuerentur?" Diremptam, finitamque nemo non videt litem hanc.

CAPUT XXVIII.

Traditionem Ecclesiae, baptismate parvulis collato innixam, non infirmat alia Ecclesiae praxis, parvulis Eucharistiam administrantis. Ricardus Simonius notatus. Hac in re distinguitur Ecclesiae disciplina a dogmate fidei: quod explicatur. Verissimum, validissimumque argumentum, ab Augustino aliisque Patribus ex Eucharistiae Sacramento sumptum: quod in aliud recidit depromptum ex baptismate. Illud expenditur, quod sumitur ex circumcisione in veteri lege.

I. *Regnum caelorum* sejunxisse Pelagianos a *vita aeterna*, dicemus infra: agemusque contra ipsos, qui parvulis non baptizatis *regnum*

caelorum auferebant, *vitam* vero largiebantur *aeternam*. Commentitiam ut Augustinus profligaret distinctionem, ex *Eucharistiae Sacramento* argumentum sumit: parvulosque evincit, *regno caelorum* privari, propterea quod baptizatis promissum legitur illud: ac etiam privari *vita aeterna*, propterea quod non baptizati, participes non sunt corporis et sanguinis Domini, quibus vita aeterna repromittitur, juxta illud Joannis Capite VI. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Plura sunt apud Augustinum hujuscemodi loca. Satis fuerint ejus verba Libro I. de peccatorum meritis, et remiss. Capite XXIV. num. 34. „Optime Punici Christiani *baptismum* ipsum, nihil aliud quam *salutem*; et *sacramentum corporis Christi*, nihil aliud quam *vitam* vocant. Unde nisi *ex antiqua*, ut existimo, *et apostolica traditione*, qua Ecclesiae Christi insitum tenent: praeter *baptisma*, et *participationem mensae dominicae*, non solum ad regnum Dei, sed nec ad salutem et vitam aeternam, *posse quemquam hominum pervenire.* Porro si *a salute*, ac *vita aeterna*, nisi *peccata* non separant; per *haec sacramenta* nonnisi *reatus peccati in parvulis* solvitur."

Nonnulli sunt apud Henricum Noris in Vindiciis Augustinianis Capite IV. §. IV. qui errorem Augustino affingunt, acsi docuisset, *infantes etiam suscepto baptismo non posse salvos fieri sine reali sumptione Sacramenti Eucharistiae:* sive parvulis ad salutem aeque necessariam esse realem sumptionem Eucharistiae, atque baptismi receptionem.

Longius excessit Ricardus Simonius. Refero verba ejus ex Historia Critica Tomo IV. Capite XX. pag. 287. „Argumentum, inquientis, quod promit Augustinus ex *Baptismate*, et *Eucharistia*, veluti parvulis utroque ad salutem *aeque necessario*, non videtur concludere. Id attamen eo tempore fide communi credebatur, acsi Domini nostri verbis expressum, apud Joannem Capite VI. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* Orientalis Ecclesia parvulis hodieque cum baptismate largitur sacram communionem. Ipse Augustinus adnotat: *ex antiqua et apostolica traditione apud Africanos teneri, hominum quemquam pervenire non posse ad Regnum Dei, nec ad salutem, neque vitam aeternam, praeter Baptismum, et participationem divinae Mensae.* Colligit inde sanctissimus Doctor, *infantes in peccato nasci:* propterea quod nonnisi *per haec sacramenta* consequi possunt salutem et vitam, a qua peccata dumtaxat separant homines. Validum in ore Augustini fuerit hocce argumentum. Viribus hodie destituitur, non amplius more vigente Sanctissimum Sacramentum administrandi parvulis." Hac de re iterum agit Capite XLI. pag. 609. et seq. Sic ait vero: „Alibi adnotavimus, vetere in Ecclesia *Eucharisticam* aeque omnibus, ipsis etiam infantibus, concessam fuisse *communionem*. Id ex illis deducebatur Domini verbis: *Nisi manducaveritis &c.* Mos iste viget hodieque in Ecclesia Orientali. Ad evangelicum textum sic habet *Toletus* Annotatione XXVIII. in Caput VI. Joannis: *Ut in ipsis verificetur infantibus, satis est si modo aliquo hoc mysterium, et Sacramentum participent. Id docet Augustinus, cujus doctrina haec est: parvulos per baptismum susceptum etiam hujus*

sacramenti Eucharistiae fieri participes. Quod hac ratione fit. Nam per Baptismum fiunt de corpore mystico Ecclesiae, ad unitatemque fidelium pertinent. Hoc autem Sacramentum, hujus unitatis corporis signum est: et ideo hoc sacramentum modo aliquo participant, nempe quantum ad rem significatam; et ideo possunt dici carnem Christi manducare, et bibere sanguinem ejus. Vera enim caro, et verus sanguis Christi in hoc Sacramento unionis realiter continetur: qui ergo ad rem significatam pertinet; per illud idem sacramentum, nempe baptismum, quo unus efficitur, efficaciam Sacramenti Eucharistiae etiam participat; et sic eos Domini sententia complectitur. Haec est vera Augustini sententia. Nimium subtilitatis in hac videtur interpretatione: colligebantque Veteres ex Domini verbis, aequa ratione necessariam esse parvulis realem Eucharistiae sumptionem, sicuti baptismum."

Plura, quae dignissima sunt reprehensione in Simonio, exponit Bossuetus, Episcopus Meldensis, in Opere jam laudato, *Defense de la Tradition, et des Saints Peres*, Libro I. a Capite X. Commenta praecipua sunt 1. Augustinum, aliosque ejus aevi Patres necessariam parvulis existimasse actualem, realemque sicuti baptismi, ita Eucharistiae sumptionem: eosque ita sentientes errasse. 2. In hunc errorem, qui Augustino Patribusque perperam affingitur, Ecclesiae traditionem, et fidem eo tempore consensisse. 3. Toleti expositionem, quae veram Ecclesiae, et Patrum doctrinam patefacit, inter subtilitates Scholae, Simonio si credimus, amandandam esse. 4. Vim nullam Augustini argumento inesse, quod ex Eucharistiae Sacramento sumebat. 5. Vim proinde argumenti attenuari, quod ex Baptismate sumebatur.

Verissima *Bossueti* animadversio est, malo dolo Simonium eodem metiri voluisse palmo utrumque argumentum, ex *baptismate* sumptum alterum, alterumque ex *Eucharistia*. Facilius illud est: penitiorem indaginem exposcit istud. Nativis viribus probat illud originale peccatum in parvulis: ac evincit eosdem regno caelorum exclusos sine sacro lavacro. Vires habet efficacissimas et istud: quas attamen diligentiore opera explicari opus est, ut iidem parvuli, si non baptizentur, aeternae vitae expertes intelligantur. Quam porro invictis armis, ex *Baptismatis* fonte desumptis, egerit Augustinus contra Pelagianos, jam vidimus Capite superiore.

II. Malam Simonii fidem in eo, quod instituit examen argumenti *ex Eucharistia* deprompti, modo patefacimus. Sacra Tridentina Synodus Sessione XXI. Capite IV. haec habet: „Sancta Synodus docet, *parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem:* siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aetate amittere non possunt. *Neque* ideo tamen *damnanda est antiquitas*, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Ut enim sanctissimi illi patres *sui facti probabilem causam* pro illius temporis ratione habuerunt: ita certe eos *nulla salutis necessitate id fecisse*, sine controversia credendum est." Mirum sane, Tridentinae Synodi doctrinam aut ignorasse, aut dissimulare voluisse Simonium! Jam collige plura, veteres Patres tradidisse numquam veluti parvulis necessariam, realem Eucharistiae sumptionem: hanc fuisse numquam

fidem Ecclesiae: ad disciplinam spectasse, quod aliquibus in locis parvulis Eucharistia administraretur: ac demum in illis Domini verbis, *Nisi manducaveritis &c.* quidpiam semper intellexisse Ecclesiam, ac intelligere, quod etiam parvulis convenit, pertinetque ad fidei dogma, ut infra dicemus.

Lucupletissimus de germana antiquae Ecclesiae fide, deque genuino Patrum sensu, testis adest Sanctus *Fulgentius*, qui rem data opera pertractat in Epistola *de Baptismo Aethiopis juvenis baptizati, ac statim antequam Eucharistiam sumeret, morte sublati.* Quaestionem proposuerat *Ferrandus Diaconus* Capite II. *Qualis debeat haberi sententia de his, qui etiamsi legitime sana mente baptizantur, praeveniente velocius morte, carnem Domini manducare, et sanguinem ejus bibere non sinuntur: propter illa scilicet, quae nota sunt fidelibus Salvatoris verba dicentis: Nisi manducaveritis &c. Deinde petis, ut velociori responsione vos instruam, utrum noceat, quantum noceat, an omnino nihil noceat, si quis baptizatus in nomine Sanctae Trinitatis, sacro cibo potuque fraudetur.* Res illa est ipsissima, quam hoc loco contra Simonium expendimus.

Ruspensis Antistitis accipe responsum Capite XI. „Nullus autem debet moveri fidelium in illis, qui *etsi legitime sana mente baptizantur, praeveniente velocius morte, carnem Domini manducare, et sanguinem bibere non sinuntur,* propter illam videlicet Domini Salvatoris sententiam, qui dixit: *Nisi manducaveritis &c.* Quod quisquis non solum *secundum veritatis mysterium,* sed *secundum mysterii veritatem* considerare poterit; *in ipso lavacro sacrae regenerationis hoc fieri,* providebit. Quid enim agitur *sacramento sancti baptismatis,* nisi ut credentes *membra Domini nostri Jesu Christi fiant,* et ad compagem corporis ejus ecclesiastica unitate pertineant? Ipsis enim dicit Beatus Apostolus (I. ad Corinth. Capite XII. v. 27.) *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro,* (idest invicem connexa.) . . . Et (in superiore ad eosdem Corinthios Capite X. v. 17.) *quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus* . . . . Quoccirca *quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus;* tunc incipit unusquisque *particeps esse illius unius panis,* quando coeperit *membrum esse illius unius corporis,* quod in singulis membris; quando *in Baptismo capiti Christi subjungitur,* tunc jam Deo viva hostia veraciter immolatur . . . Qui ergo membrum corporis Christi fit, quomodo non accipit quod ipse fit, quando utique illius *fit verum corporis membrum, cujus corporis est in sacrificio sacramentum?* Hoc ergo fit ille regeneratione sancti baptismatis, quod est de sacrificio sumpturus altaris. Quod etiam *sanctos Patres* indubitanter credidisse, et docuisse cognoscimus. Beatus quoque *Augustinus* de hac re *sermonem* fecit admodum luculentum.“ integrum affert Sermonem, qui inscribitur *Ante altare ad infantes:* ubi *participationem unius panis, et calicis* exponit Doctor Africanus *unitatem fidelium in uno corpore Christi;* qui enim unum panem manducant, et calicem bibunt, unum intelliguntur corpus mysticum efficere. Hinc vero concludit Fulgentius: „Arbitror, sancte frater, disputationem nostram praeclari *Doctoris Augustini* Sermone firmatam: nec quicquam esse aliquatenus ambigendum, tunc unumquemque fidelium *corporis sanguinisque Domini*

participem fieri, quando *in baptismate membrum corporis Christi efficitur*; nec alienari ab illo panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat. *Sacramenti* quippe *illius participatione*, ac beneficio non privatur; quando ipse hoc, quod illud sacramentum significat, invenitur.“

Veteris Ecclesiae fidem, de qua tam luculentum Fulgentius testimonium perhibet, quis non videat unam eamdemque cum fide praesentis Ecclesiae, quam Synodus Tridentina proponit: *parvulos* nempe *usu rationis carentes*, baptismum si receperint, *nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiae communionem?* Illud etiam perspicue patet, longe aliter *Augustini* mentem intellectam fuisse a *Fulgentio*, suppari scriptore, ejusdem Augustini discipulo: nuspiam scilicet docuisse ipsum, *infantes etiam suscepto baptismo, non posse salvos fieri sine reali sumptione sacramenti Eucharistiae*, uti Simonius aliique superius memorati contendunt. In aliquibus utique Ecclesiis aevo illo, hodieque in Ecclesia Orientali, baptizatis parvulis administrabant Latini Patres, ac pergunt ministrare Graeci Eucharisticum Sacramentum: cujus *facti probabilem* pro temporum ac locorum ratione, adfuisse et esse *causam*, Tridentina Synodus admonet. *Claudius Sanctesius*, Ebroicensis Episcopus, in Libro quem incripsit, *Repetitiones rerum excogitatarum de Eucharistia*, existimat Repetitione VI. memoratam consuetudinem aliquorum ex antiquis Patribus, *praebendae infantibus Eucharistiae*, ortam fuisse *ex dubitatione*, ac *religionis sensu*, quod illa etiam parvulis esset necessaria: adeoque ipsos voluisse, *illorum salutem in tuto collocare*. Haec eadem Ricardo Simonio non favet inducta Patrum dubitatio a Sanctesio, qui Concilio, paucis mensibus post ea, quae descripsimus, promulgata decreta, cum Theologis Regiis interfuit.

III. At rem ipsam penitius introspiciamus. In ea eucharistica parvulorum communione *disciplinam Ecclesiae* opus est secernere a *dogmate fidei*: adeoque quod in ipsa *liberum est*, ab eo quod *omnino necessarium* fide credimus, distingui debet. In ea eucharistica communione primo sumitur *corpus verum ac reale Jesu Christi*, aut etiam *sanguis ejus*: deinde significatur *spiritualis* participantium de uno pane, deque uno calice *societas in uno mystico Christi corpore*, idest Ecclesia. Haec spiritualis incorporatio cum Christo omnibus ad salutem, etiam infantibus rationis usu carentibus, *necessaria est.* Sed ea tamen, tametsi Eucharistiae Sacramento perficiatur, expliceturque modo quodam peculiari, efficitur etiam Sacramento baptismatis: eoque abluti id habent omne infantes, quo salutem consequantur aeternam. Hinc vero parvulis baptizatis, *libero disciplinae usu*, non *ulla dogmatis necessitate*, Sacramentum Eucharistiae conferebatur, ut spiritualis cum Christo incorporatio, quam baptismate adepti fuerant, expressiore modo significaretur.

Haec eadem est *Fulgentii* sententia: *Sacramenti illius participatione ac beneficio*, inquientis, *non privatur* infans; *quando ipse hoc, quod illud Sacramentum significat, invenitur* per baptismum accepisse. Mentem eamdem *Augustini* fuisse, colligit Sanctus Thomas 3. P. Qu. LXXIII. Art. III. ad I. ex ejus Tractatu XXVI. in Joannem,

ubi haec habentur verba num. 15. *Hunc cibum, et potum* (scilicet carnis suae, et sanguinis) *societatem vult Dominus intelligi corporis, et membrorum suorum, quod est Sancta Ecclesia in praedestinatis, et vocatis, et justificatis, et glorificatis Sanctis, et fidelibus ejus.* Paria sunt, quae verba legimus Libro III. de peccatorum meritis, et remiss. Cap. IV. num. 8. *Numquid etiam illud, quia nisi manducaverint homines carnem ejus, hoc est participes facti fuerint corporis ejus, non habebunt vitam?* Peremptoria denique sunt, quae praecedente numero 7. legimus: „Dilucidissime apparet, nec *praeter Christi societatem* ad vitam, salutemque aeternam quemquam hominum posse pervenire, nec divino judicio injuste posse aliquem damnari .... Unde fit consequens, ut quoniam *nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporentur Ecclesiae,* idest *Christi corpori membrisque ejus socientur;* manifestum sit, eos ad damnationem, nisi hoc eis collatum fuerit, pertinere." Et iterum num. 8. ad illa verba, *Nisi manducaverint homines carnem ejus, non habebunt vitam:* „Nonne Veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum *in regnum Dei non* baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec *vitam aeternam* posse habere *praeter Christi corpus,* cui ut incorporentur, *sacramento baptismatis* imbuuntur?"

Animadverte attentiore mente, *praeter Christi corpus* ad vitam salutemque aeternam pervenire non posse quemquam hominum: participem vero corporis Christi fieri hominem, *cum incorporatur Ecclesiae,* quae est corpus Christi mysticum: sed haec denique ut incorporatio efficiatur, satis esse *baptismi collationem.* Hinc ergo ad solam disciplinam spectabat realis Sacramenti Eucharistici administratio, qua nobiliore quodam modo significabatur, baptizatum hominem corpori Christi mystico incorporatum esse. Haec *Innocentii Papae I.* in Epistola ad Patres Concilii Milevitani mens est num. 5. „Parvulos (inquientis) *aeternae vitae* praemiis etiam *sine baptismatis gratia* posse donari, perfatuum est. *Nisi enim manducaverint carnem filii hominis, et biberint sanguinem ejus, non habebunt vitam in semetipsis.* Qui autem hanc eis *sine regeneratione* defendunt, videntur mihi *ipsum baptismum velle cassare;* cum praedicant *eos habere,* quod in eos creditur *nonnisi baptismate* conferendum. Perspicue patet, vitam aeternam manducantibus et bibentibus carnem et sanguinem filii hominis repromissam, parvulis conferri baptismate. Cur vero? Quoniam baptismate participes parvuli fiunt *incorporationis cum Christo et Ecclesia,* quae res est spiritualis Eucharistico Sacramento significata.

Quod si baptismate haec efficitur hominum incorporatio cum mystico Christi corpore, cur, inquies, praeter argumentum quod ex baptismate sumitur, aliud patres adhibent, quod sumitur ex Sacramento Eucharistiae? Nimirum primo quia *praedicta incorporatio cum mystico Christi corpore,* quod est Ecclesia, peculiari ac nobiliore quodam modo significatur Eucharistiae Sacramento. Tum etiam, quod baptisma licet per sese hunc effectum causet, qui consistit *in expulsione peccati,* spiritualem tamen illam insitionem in *corpus Christi mysticum* non efficit, nisi cum quadam ab Eucharistiae Sacramento dependentia: quatenus baptizatum hominem reddit aptum *ad recipiendum corpus Christi verum.* Tum denique ut commentitia profligaretur

Pelagianorum distinctio, quam invehebant *caelorum regnum* inter, ac *vitam aeternam.* Qua de re dicendum numero sequente.

Hanc Ecclesiae catholicae fidem, verbis diversis, at eodem sensu, luculentissime declarat Sanctus Thomas 3 p. Qu. LXXIII. Art. III. Inquirit, *utrum Eucharistia sit de necessitate salutis?* Quaestionem dirimit his verbis: „Dicendum, quod in hoc Sacramento *duo* est considerare: scilicet *ipsum Sacramentum,* et *rem Sacramenti.* Dictum est autem (Art. 1.) quod *res* hujus Sacramenti est *unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus:* nulli enim patet aditus salutis *extra Ecclesiam;* sicut nec in diluvio absque arca Noe, quae significat Ecclesiam, ut habetur I. Petri Cap. III. v. 20. Dictum est autem supra (Qu. LXVIII. Art. I.), quod *res alicujus Sacramenti* haberi potest *ante perceptionem Sacramenti,* ex ipso voto *Sacramenti percipiendi;* unde ante perceptionem hujus Sacramenti (Eucharistiae) potest homo habere salutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum: sicut et ante baptismum, ex voto baptismi. Est tamen differentia, *quantum ad duo.* Prima quidem: quia *baptismus est principium spiritualis vitae,* et janua Sacramentorum: *Eucharistia vero est quasi consummatio spiritualis vitae,* et omnium Sacramentorum finis, ut supra dictum est (Qu. LXV. Art. III.). Per sanctificationem enim omnium Sacramentorum fit praeparatio ad suscipiendam, vel consecrandam Eucharistiam. Et ideo *perceptio baptismi* est necessaria ad inchoandam vitam spiritualem: *perceptio* autem *Eucharistiae* est necessaria ad consummandam ipsam; non ad hoc quod *simpliciter habeatur* (ipsa vitae spiritualis consummatio): sed *sufficit eam habere in voto,* sicut et finis habetur in desiderio, et intentione. Alia differentia est: quia *per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam:* et ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sic sicut ex fide Ecclesiae credunt, sic ex intentione Ecclesiae desiderant Eucharistiam, et per consequens *recipiunt rem* ipsius. Sed *ad baptismum* non ordinantur per aliud praecedens Sacramentum: et ideo ante susceptionem baptismi non habent pueri aliquo modo baptismum *in voto,* sed soli adulti; unde *rem Sacramenti* non possunt percipere sine perceptione Sacramenti: et ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut baptismus."

Quod dicit Santus Thomas (Francisi Sylvii verba sunt appositissima in Commentario) *in baptismo includi votum Eucharistiae, de voto improprie, et per accommodationem dicto est accipiendum: quatenus, cum Eucharistia sit finis omnium Sacramentorum; omnis autem res inclinatione quadam, seu desiderio propendeat in suum finem: is qui baptizatur, quasi ipso pondere et inclinatione gratiae baptismalis, propendet in perfectam unionem cum Christo, quae habetur per Eucharistiam. Immo gratia baptismalis disponit quodam modo baptizatum, ut suo tempore velit eam suscipere: et haec dispositio est votum quoddam, seu desiderium illius suscipiendae; sicut acceptatio medii est quoddam desiderium finis, et inchoatio rei alicujus est tacitus quidam appetitus consummationis* (ut ut votum Ecclesiae baptizantis dici praeterea possit proprium, expressumque votum). *Ex his patet, quo sensu sit accipiendum quod hic indicatur: Sacramentum Eucharistiae esse necessarium*

in re, vel in voto. Quia nimirum salus nemini potest obtingere, nisi fiat membrum corporis Christi, aduneturque societati fidelium: quod est votum quoddam recipiendi Eucharistiam, ubi est perfectior adunatio. Sive hoc Sacramentum est necessarium in re, vel in voto: quia necessaria est saltem habitualis quaedam inclinatio, vel dispositio ad illud. Haec enim habitualis dispositio, quam habent baptizati per gratiam baptismalem, est quoddam, licet improprium, votum Eucharistiae, quia ad Eucharistiam ordinatur. Solidissima haec doctrina, quam veteres tradiderunt, ac sequiores declarant Ecclesiae Doctores, criticas omnes profligant Ricardi Simonii animadversiones.

IV. Lucem etiam eadem doctrina affert splendidissimam, qua methodum Augustini, aliorumque Patrum adsequamur in oppugnandis Pelagianis, ac probe argumenta intelligamus, quae ipsi adhibuere. Parvulis non baptizatis cum Heterodoxi verbis dominicis, *Nisi quis renatus fuerit &c.* cogerentur *caelorum regnum* denegare, *vitam aeternam* commenti sunt, quam ipsis largirentur, a regno caelorum diversam. Hac de re inferius agendum est. Commentitiam sese prodit ipsa distinctio. Sed *aeterna* etiam *vita* privari parvulos, qui sine baptismate decedunt, convincebantur fateri Pelagianos verbis illis ad Eucharistiae Sacramentum pertinentibus, *Nisi manducaveritis &c.* propterea quod qui baptizati non sunt, nullo modo carnem filii hominis manducant, aut illius sanguinem bibunt, nec ipsum recipiendo Sacramentum, nec rem Sacramento significatam, *unitatem* scilicet *corporis mystici*, ut ait Aquinas, et ajebant veteres Patres, *sine qua non potest esse salus*, aut *vita aeterna.*

Hocce vero argumentum minime reali, oralique nitebatur sumptione Sacramenti Eucharistiae; tametsi illud parvulis baptizatis administraretur, ad eorum incorporationem cum mystico Christi corpore significandam. Sed neque argumentum idem a Patribus urgebatur, acsi alterum minus validum foret, quod sumebatur ex baptismo. Immo baptismi tum necessitas, tum efficacia mirum in modum confirmabatur. Propterea quod ipsum per sese, remittendo peccata, *regnum caelorum* confert: baptizatoque aptitudinem et jus conferendo ad corpus Christi verum, ipsum efficit membrum mystici Christi corporis, promovetque *ad vitam aeternam*, quae perperam a Pelagianis distinguebatur a *regno caelorum*, cum idem ac unum essent istud, et illa. Plura sunt hac de re inferius discutienda. Theologos consule in eodem egregie versantes argumento.

V. Non absimilem argumentationem, ut parvulos evincat baptismatis indigos ad expulsionem *peccati originalis*, elicit Augustinus ex *praecepto circumcisionis*, quod Abrahamo latum a Deo legimus Geneseos Capite XVII. v. 14. Sic ait vero in Libro de peccato originali Capite XXX. num. 35. » Ante *Abraham* quidem utrum *aliquo corporali, et visibili sacramento* justi, vel eorum parvuli signarentur, *Scriptura* non exprimit. Ipse tamen *Abraham* signum accepit circumcisionis: *signaculum*, (ad Rom. Capite IV. v. 11.) *justitiae fidei.* Et sic accepit, ut deinceps etiam omnes parvulos domus suae circumcidere juberetur, recentissimos a visceribus matrum, *octavo die nativitatis eorum:* ut etiam hi, qui corde ad justitiam credere nondum

possent, *justitiae* tamen *fidei signaculum* haberent. Quod sub terrore tanto est imperatum, ut diceret Deus (loco citato:) *Animam illam de suo populo perituram, cujus octavo die praeputii circumcisio facta non fuerit* .... Quid mali, quaeso, parvulus propria voluntate commisit, ut alio negligente, et eum non circumcidente, ipse damnetur, damnatione tam severa, ut *pereat anima illa de populo suo?*"

Et Capite XXXI. num. 36. „Unde ergo recte *infans* illa *perditione* punitur, nisi quia pertinet ad *massam perditionis?* Et juste intelligitur ex Adam natus, *antiqui debiti obligatione damnatus*, nisi inde fuerit non secundum debitum, sed secundum gratiam liberatus."

Verba illa, quae in *praecepto* exprimuntur, *quia pactum meum irritum fecit*, expendit Africanus Pater doctissimus Libro II. de nuptiis, et concupiscentia Capite XI. num. 24. „Sed ipse (Julianus) jam dicat, quare *interiret anima ejus de genere suo*, si circumcisus non esset *die octavo?* Quid ipse peccasset, quid offendisset Deum, ut de aliena in se negligentia tam severa sententia puniretur, si nullum esset *peccatum originale?* De circumcidendis enim sic mandavit infantibus: *Masculus qui non circumcidetur carnem praeputii sui octavo die, disperiret anima ejus de genere suo, quia Testamentum meum dissipavit,* (seu *pactum meum irritum fecit.*) Dicat iste, si potest, quomodo *puer ille* Testamentum Dei dissipavit, *octo dierum*, quantum ad ipsum proprie attinet, innocens infans? Et tamen nullo modo Deus, vel sancta Scriptura id mendaciter diceret. Tunc ergo dissipavit *Testamentum Dei*, non hoc de imperata circumcisione; sed illud *de ligni prohibitione*, quando *per unum hominem peccatum intravit in mundum &c.*" Insultanti demum Juliano: *Ante legem imputatum non fuisse naturale peccatum*, (ita Originale, quod Catholici credebant, appellabat:) *sub lege imputatum non esse, quia in nullo umquam loco Legis vel monstratum hoc, vel imputatum docetur;* reponit Augustinus his verbis Libro II. Operis imperfecti num. CCL. „Si *in lege* non ostenditur *originale peccatum*, cur ergo in lege *anima parvuli octavo die non circumcisi de genere suo* dicta est *interire?* Cur infante nato, offerebatur sacrificium pro peccato?"

Hocce ex loco ut *originis peccatum* eliciat Augustinus, plura ab eo veluti comperta adsumuntur. 1. Severam illam sententiam, *Peribit anima ejus de populo suo*, intelligit de morte aeterna. 2. In hanc pro certo habet incurrere infantem vel *octo dierum*, cum nihil mali propria committere voluntate posset. 3. Violatum *pactum*, aut *testamentum Dei* non illud esse putat, quo imperabatur circumcisio, sed quo *vetita fuerat ab initio ligni comestio.* Haec attamen minime certa videntur, atque comperta.

Verba illa, *octavo die*, τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ, habentur quidem in Graeca τῶν LXX. versione: at desiderantur in Hebraeo textu, et in Editione vulgata, ubi haec verba tantum: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit.* Hinc verba, quae sequuntur, *Delebitur anima illa de populo suo*, adultos jam factos parvulos fortasse indicant: qui nempe si idonea in aetate imperatam neglexerint circumcisionem, obnoxii poenae declarantur. Poenam item temporalem indici, non aeternam ex eo colligi potest, quod anima incircumcisi

non absolute *delenda* dicitur, sed *de populo suo:* eaque intelligi potest vel mors temporalis, vel excommunicatio quaedam. Hebraicum verbum, ונכרתה; latine vertitur, *abscindetur*, vel *separabitur*. Illa demum verba, *quia pactum*, (vel *testamentum*,) *meum irritum fecit*, (vel *dissipavit*,) ad praeceptum circumcisionis pertinere, suadere videntur verba commatis praecedentis. 10. *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: circumcidetur &c.* Utrobique in Hebraeo textu legitur vox, בריתי, *foedus, pactum, testamentum.* Hebraico textui, ac vulgatae editioni consonant *Paraphrasis Onkelosi*, et *Versiones Syriaca*, et *Arabica:* Graecae versioni convenit textus Samaritanus.

Attamen sive ea verba, *octavo die*, in textum Hebraicum reponenda sint, sive etiam subintelligenda; adhuc sibi constat senus indicatus: nempe quemcumque, etiam infantem, non circumcisum tempore a lege definito, cum adultam ad aetatem venerit, ac parentum negligentiam nón suppleverit, per judices morte puniendum fore. Sensum duplicem patiuntur, quae sequuntur verba, *quia pactum meum irritum fecit:* proprium, et *activum*, cum infans, factus adultus et rationis compos, parentum negligentiam non supplendo, praeceptum circumcisionis revera violaret: improprium, et *passivum*, quatenus idem praeceptum in eodem infante irritum fuit, et violatum, seu non observatum, non sua culpa, sed parentum, vel etiam casu. Verba illa, *octavo die*, subintelligi posse in commate 14. ubi desiderantur, dictum est: tum quia v. 12. praecedente, diserte tempus istud definitum legimus, *infans octo dierum circumcidetur in vobis:* tum etiam Levitici Capite XII. eadem repetuntur legis verba v. 3. *Et die octavo circumcidetur infantulus.*

Augustini interpretationem amplexi sunt *Prosper*, *Fulgentius*, *Gregorius Magnus*, *Bernardus*, *Beda*, aliique Scriptores Ecclesiastici, ac plerique Theologorum. Superiores alias expositiones passim etiam tradunt Sacri interpretes. Locum Apostoli ad Rom. Capite IV. v. 11. *Et signum accepit circumcisionis*, *signaculum justitiae fidei*, *quae est in praeputio*, ita expositum legimus, ut circumcisio in Abrahamo signum fuerit justitiae, *quam ipse per fidem accepit*, cum adhuc esset praeputiatus: in posteris ejus signum foret justitiae *accipiendae*, atque foederis cum Abrahamo initi *de benedicendis gentibus in semine ejus*, ac demum *distinctionis Abrahamidarum ab aliis gentibus.* Haec vero demum eo tendunt omnia, ut innotescat, haud aeque validas argumentationi *ex circumcisione* ductae inesse vires, ac illi quae ducitur *ex Sacramento Baptismatis.* Theologos Viros consule *de Sacramentis*, deque *remedio peccati originalis* sub Lege vetere, et ante Legem.

CAPUT XXIX.

Prima refellitur Pelagianorum responsio de remissione peccatorum, quae infantium propria sint, ab originali peccato diversa. Item altera de Regno caelorum distincto a vita aeterna: ista quidem infantibus etiam non baptizatis concessa, ad illud vero solum baptizatis admissis. Peremptoria sunt adversa Augustini argumenta.

I. Tam grave argumenti, quod *ex baptismate infantium* ducebatur, conatus omnes adhibuerunt Pelagiani, ut momentum elevarent

Fuerunt qui apud Augustinum Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XVII. num. 22. dixere: *Parvulos ideo baptizari, ut hoc eis remittatur, quod in hac vita proprium contraxerunt, non quod ex Adam traduxerunt.* Refractarii homines haec reponentes *non magno molimine refellendi sunt*, inquit Augustinus. *Quando enim secum ipsi paullulum sine certandi studio cogitaverint, quam sit absurdum, nec dignum disputatione quod dicunt, continuo sententiam commutabunt.*

Istud eorum mentibus insedisse commentum *ex praejudicio alterius cujusdam sententiae,* admonet ille. An istud fortasse, quo occuparentur, Origenianum praejudicium erat peccati ab anima praeexistenti in vita superiore, antequam detruderetur in corpus, admissi? Ita sane insequi eos pergit Augustinus: *Ipsi quoque ut hoc dicerent, alicujus alterius sententiae praejudicio, ni fallor, impulsi sunt: ac propterea cum remitti baptizato peccata, necessario faterentur; nec fateri vellent ex Adam ductum esse peccatum, quod remitti fatebantur infantibus; ipsam infantiam coacti sunt accusare, quasi accusator infantiae hoc securior fieret, quo accusatus ei respondere non posset* (de peccato, sive in infantia, sive in superiore vita patrato.) *Sed ista, ut dixi, omittamus: neque enim sermone, vel documentis opus est, quibus innocentia probatur infantum, quantum ad eorum pertinet vitam, quam recenti ortu in seipsis agunt, si eam non agnoscit sensus humanus, nullis adminiculis cujusquam disputationis adjutus.*

Praeexistentiam animarum, si hanc adluserint Pelagiani, convellunt Geneseos verba Capite II. v. 7. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est in animam viventem.* Luculentissimam hac de re Natalis Alexandri Dissertationem consule Seculo III. Dissertatione XXVII. Articulo I.

II. Communior erat Pelagiana résponsio ibidem apud Augustinum Capite XVIII. num. 23. *Parvulos recenti vita editos visceribus matrum, non propter remittendum peccatum percipere baptismum: sed ut spiritualem procreationem non habentes creentur in Christo, et ipsius regni caelorum participes fiant, eodem modo filii et heredes Dei, coheredes autem Christi.* Haec sublimia dona, a remissione peccati alicujus longe diversa, baptizatis infantibus conferri, ajebant Pelagiani: *conabantur* vero *parvulis non baptizatis,* (haec eorum haereseos altera pars erat ibidem Capite XX. num. 26.) *innocentiae merito salutem, ac vitam aeternam tribuere; sed quia baptizati non sunt, eos a regno caelorum facere alienos.*

Partem primam refellunt argumenta, quae Capite superiore, et XXVII. allata sunt. Conferri *baptismo infantibus* enumerata sublimia dona, *filiationem Dei adoptivam, fraternitatis conjunctionem cum Christo, jus ad hereditatem* quae est Regnum Dei, seu visio clara in patria, utique verissimum. At constanti Ecclesiae regula constat, baptisma eisdem etiam administrari *in remissionem peccatorum:* quae cum propria infantium non sint, fuerunt ergo *aliena,* ut ait Cyprianus. Docent Sacrae Scripturae, Patrum traditio, Ecclesiae consuetudines, parvulos ante rationis usum, ac recens natos, baptizari posse, ac debere: baptismatis vero collatione redimi eos, salvari, mundari,

regenerari, renovari, peccato mori. Unde consequens est, parvulos recens natos ante baptismum captivos teneri, aegros et immundos esse, mortuos etiam seu peccatores, ac vetustate peccati contritos: uno verbo *peccato ex Adam contracto pollutos.*

Vim ergo Augustinianae argumentationis haud elevat Pelagianorum responsio: provehit immo absurdissima portenta. Haec urget lepidissime Africanus Doctor Libro III. contra Julianum Pelagianum Capite III. num. 8. „Non eos (parvulos) dicitis (inquit) non debere baptizari; sed pro magnitudine sapientiae vestrae, res mirabiles dicitis. In Sacramento Salvatoris *baptizantur*, sed *non salvantur: redimuntur*, sed *non liberantur: lavantur*, sed *non abluuntur: exorcizantur et exsufflantur*, sed *a potestate Diaboli non eruuntur.* Haec sunt sententiarum portenta vestrarum, haec inopinata mysteria dogmatum novorum, haec paradoxa Pelagianorum haereticorum, mirabiliora quam Stoicorum Philosophorum. Ut enim haec dicatis, timetis audire: si *salvantur*, quid in eis *aegrotabat?* Si *liberantur*, quid in eis *servitutis vinculo tenebatur?* Si *abluuntur*, quid in eis *latebat immundum?* Si *eruuntur*, quo merito erant *sub Diaboli potestate*, qui propria iniquitate non erant rei, nisi quia trahunt quod negatis, *originale peccatum?*"

III. Pars altera est, quae *Regnum caelorum* distinguit a *vita aeterna:* et hanc esse *mediam* adserit inter Regnum caelorum, et damnationem. Vitam aeternam non baptizatis infantibus largitur, Regnumque caelorum concedit baptizatis. Hanc convellit Augustinus peremptoriis argumentis. *Regnum caelorum* irrito, ac vano conatu distingui a *vita aeterna*, evincit Libro I. de peccatorum meritis, ac remissione Capite XX. num. 26. in medium prolato evangelico textu apud Joannem Cap. VI. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* „Habent videlicet, (inquit,) quo confugiant, atque ubi delitescant. Quia non ait Dominus: (Joan. III. v. 3.) *Si quis non renatus fuerit ex aqua et spiritu, non habebit vitam:* sed ait, *non intrabit in Regnum Dei.* Nam si illud dixisset, nulla hinc dubitatio posset oboriri. Auferatur ergo dubitatio. Jam Dominum audiamus, non suspiciones conjecturasque mortalium. Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctae Mensae suae, qua nemo rite nisi baptizatus accedit: *Nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.* Quid ultra quaerimus? Quid ad hoc responderi potest, nisi pertinacia pugnaces nervos adversus constantiam perspicuae veritatis intendat?" Nempe non habet *vitam aeternam*, qui Christi carnem non manducat: carnem Christi nemo rite manducat nisi baptizatus; igitur *vitam* etiam *aeternam* nisi baptizatus habet, ut perinde demum fuerit, *non introire in Regnum Dei, et non habere vitam aeternam.*

Haec utique ad omnes pertinet, adultos, et parvulos, *Christi sententia*, quae vitae jacturam interminatur *non manducantibus ejus carnem*, aut *non bibentibus ejus sanguinem.* Neque enim de sola *reali sacrae Mensae participatione*, quae ad solos pertinet adultos, intelligi debet sententia Christi: verum de *hominum maxime insitione in cor-*

pus Christi mysticum, quae Baptismate efficitur, perficiturque ac peculiari significatur modo in divinissima Eucharistia. Ea, inquam, insitio, tametsi Sacramento Eucharistiae perfectius significata, baptismo tamen efficitur, aptitudinem et jus conferente ad *corpus Christi verum*. Atqui homines, adultos, et parvulos, spectat omnes haec eadem *insitio in corpus Christi mysticum:* igitur parvuli sine baptismo decedentes, tum *regno caelorum* excluduntur, quia ex aqua et spiritu renati non sunt: tum *vitam non habent aeternam*, quia nullo modo manducaverunt carnem Filii hominis. Verba jam accipe Augustini ibidem num. 27. „An vero quispiam etiam hoc dicere audebit, quod *ad parvulos* haec sententia non pertineat, possintque sine participatione corporis hujus et sanguinis in se habere vitam: quia non ait, *qui non manducaverit*, sicut de baptismo, *qui non renatus fuerit:* sed ait, *si non manducaveritis;* velut eos alloquens qui *audire, et intelligere poterant*, quod utique non valent parvuli? Sed qui hoc dicit, non attentit: quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine corpore et sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam aetas major id curat. Potest enim, si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur; quia non ait, *qui non manducaverit:* sed, *si non manducaveritis.* Et ubi est, quod eodem loco (v. 52.) de hac ipsa re ait: *Panis quem ego dedero, caro mea est pro saeculi vita?* Secundum hoc enim etiam ad nos pertinere illud Sacramentum intelligimus, qui tunc nondum fuimus, quando ista dicebat; quia non possumus dicere, ad saeculum nos non pertinere, pro cujus vita Christus suam carnem dedit. Quis autem ambigat, *saeculi* nomine homines significatos esse, qui nascendo in hoc saeculum veniunt? Nam, sicut alibi ait (Lucae XX. v. 34.): *Filii seculi hujus generant, et generantur.* Ac per hoc *pro etiam parvulorum vita* caro data est, quae data est pro saeculi vita: et si *non manducaverint carnem Filii hominis*, nec ipsi habebunt *vitam.*“ Consule dicta Capite praecedente.

Vanam praefatam Pelagianorum *Regnum Dei* inter, ac *vitam* distinctionem rejicere pergit ibidem num. 28. verbis allegatis, quae habentur apud Joannem Cap. III. v. 35. *Pater diligit Filium, et omnia dedit in manu ejus. Qui credit in Filium, habet vitam aeternam: qui autem incredulus est (ὁ δὲ ἀπειθῶν) Filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum.* In quo igitur horum genere ponemus infantes? In eorum, *qui credunt in Filium:* an in eorum, *qui sunt increduli Filio?* In neutro ait aliquis: quia cum adhuc credere non possunt, nec increduli deputandi sunt. Non hoc indicat ecclesiastica regula, quae baptizatos infantes *Fidelium* numero adjungit. Porro si isti *qui baptizantur*, propter virtutem, celebrationemque tanti Sacramenti, quamvis suo corde, atque ore non agant, quod ad credendum confitendumque pertineat, tamen *in numero credentium* computantur: profecto illi, quibus *Sacramentum defuerit*, in eis habendi sunt qui *non credunt Filio.* Atque adeo si hujus inanes gratiae de corpore exierint, sequetur eos quod dictum est: *Non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos.* Unde hoc, quando eos clarum est *peccata propria* non habere, si nec *originali peccato* teneantur obnoxii?“ Lucidissime patet, *Regnum caelorum* non distingui a *vita aeterna:* parvulosque decedentes sine

baptismate, nec Regnum caelorum introire posse, nec vitam habituros aeternam, utpote per mysterium Sacramenti numero fidelium non adjunctos.

Neque solum hoc evincitur argumento, *vitam aeternam* eamdem esse cum *Regno caelorum*; conficitur etiam, *medium locum* dari nullum, infantibus non baptizatis proprium, quem Pelagiani *damnationem* inter, ac *regnum caelorum*, seu *vitam aeternam* invexerunt. Splendidissima namque Domini sententia est, *iram Dei manere super eos*, qui credentium in numero non computantur. Disertissime rem confirmat apostolicus textus ad Rom. Cap. V. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.* „Nec est ullus ulli *medius locus* (Augustinus ait Libro citato Cap. XXVIII. num. 55.) ut possit esse nisi cum Diabolo, qui non est cum Christo.“

Robur accedit argumento ex verbis Jesu Christi apud Matthaeum Cap. XII. v. 30. *qui mecum non est, contra me est.* „Ipse Dominus volens auferre de cordibus male credentium *istam nescioquam medietatem*, quam conantur quidam parvulis non baptizatis tribuere, ut *quasi merito innocentiae* sint in *vita aeterna:* sed quia non sunt baptizati, non sint cum Christi in *Regno ejus;* definitivam protulit ad haec ora obstruenda sententiam, ubi ait: *Qui mecum non est, adversum me est.* Constitue igitur quemlibet parvulum: si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem, quod habet Veritas, ideo baptizatur, ut sit cum Christo, profecto non baptizatus non est cum Christo. Et quia non est cum Christo, adversum Christum est: neque enim ejus tam manifestam debemus, aut possumus infirmare, aut immutare sententiam. Unde igitur*adversus Christum*, nisi *ex peccato?* Neque enim ex corpore, et anima, quae utraque Dei creatura est. Porro si *ex peccato:* quod in illa aetate, nisi *originale*, et *antiquum?*“

Argumenti momentum augent Joannis verba Cap. III. v. 6. *Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* „Periturus erat ergo parvulus (verba sunt Augustini Cap. XXXIII. num. 61.) nec habiturus vitam aeternam, si per Sacramenti baptismum non crederet in Unigenitum Dei Filium: dum interim sic venit, *ut* (v. 17.) *non judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Praesertim quia sequitur et dicit (v. 18.): *Qui credit in eum, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Dei.* Ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi *inter fideles*, sicut universae ubique Ecclesiae clamat auctoritas? Ergo inter eos, qui crediderunt: hoc enim eis adquiritur per virtutem Sacramenti, et Offerentium responsionem. Ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui *non crediderunt.* Porro si illi qui baptizati sunt, non judicantur: isti quia carent baptismo, judicantur.“

Nobilis est confirmatio in Sermone CCXCIV. alias XIV. de Verbis Apostoli, Cap. XIII. num. 14. „Quid est autem, *jam judicatus est?* Damnatus est. Nam judicium pro damnatione plerumque poni, nostis: scripturae testes sunt: maxime illo uno testimonio apertissimo, cui nemo est qui contradicat. De resurrectione cum

ageret Dominus (Joann. Cap. V. v. 29.): *Qui bene fecerunt*, inquit, *in resurrectionem vitae: qui male egerunt, in resurrectionem judicii.* Utique judicium pro damnatione posuit: et tu aliter audes disserere, aut credere?"

Extremi judicii forma, apud Matthaeum Cap. XXV. delineata, convellit Sanctus Pater eodem in Sermone Cap. III. tum *vitae aeternae* distinctionem et *Regni caelorum*, tum *medium locum* damnationem inter ac Regnum caelorum, vitamque aeternam. „Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse *vitam aeternam* praeter *regnum caelorum:* esse salutem aeternam praeter regnum Dei. Primo vide, frater, ne forte hinc consentire nobis debeas: quisquis ad regnum Dei non pertinet, eum ad damnationem sine dubio pertinere. Venturus Dominus, et judicaturus de vivis et mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, *dextram*, et *sinistram*. Sinistris dicturus: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Dextris dicturus: *Venite benedicti Patris mei: percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hac *regnum* nominat, hac cum Diabolo *damnationem*. Nullus relictus est *medius locus*, ubi ponere queas infantes. De vivis, et mortuis judicabitur: alii erunt ad *dextram*, alii ad *sinistram*: non novi aliud .... Ecce in dextra regnum coelorum est: *percipite*, inquit, *regnum*. Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? *ite in ignem aeternum.* In dextra ad regnum, utique aeternum: in sinistra, in ignem aeternum. Qui non in *dextra*, procul dubio in *sinistra*. Ergo qui non in *regno*, procul dubio in *igne aeterno*."

Habere potest, inquiebant Pelagiani, *vitam aeternam*, a regno distinctam, *qui non baptizatur*. Commentum est. „Non erit in *dextra*: idest, non erit in *regno*. Vitam aeternam computas ignem sempiternum? Et de ipsa vita aeterna audi expressius: quia nihil aliud est regnum, quam vita aeterna. Prius *regnum* nominavit (loc. cit.), sed *in dextris: ignem aeternum in sinistris*. Extrema autem sententia (v.46.) ut doceret quid sit regnum, et quid sit ignis aeternus: *Tunc abibunt isti in ambustionem aeternam (et ibunt hi in supplicium aeternum) justi autem in vitam aeternam.* Ecce exposuit tibi, quid sit *regnum*, et quid sit *ignis aeternus:* ut quando confiteris parvulum non futurum in *regno*, fatearis futurum in *igne aeterno*. Regnum enim caelorum est vita aeterna."

Argumentationem subjungit ibidem Augustinus Cap. VI. num. 6., quae ducit ad absurdum. *Nescio quem* inducit, qui pro genio, ingenioque dicit: „*Parvulus non habens ullum omnino peccatum, nec quod sua vita contraxit, nec quod de vita primi parentis traxit, habebit et vitam aeternam, et regnum caelorum.* Respondete, vincite hominem resistentem vobis, qui aliter divitidis. Vos enim dicitis: *Vitam quidem habebit iste non baptizatus aeternam: sed non habebit regnum caelorum.* Ille contra: *immo et vitam et regnum caelorum*. Quare enim patrimonium regni caelorum abripis innocenti? A quo regnum caelorum non adquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quae est ista justitia? Dic, quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam, nec suam, nec de parente tractam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum caelorum,

ut separetur a sorte sanctorum, ut sit exul a societate Angelorum? Videris enim tibi misericors, quia non ei aufers vitam: damnas tamen, quem separas a regno caelorum. Damnas: non eum percutis, sed in exilium mittis. Nam et qui exulant, vivunt, si sani sunt: in doloribus corporis non sunt, non torquentur, non carceris tenebris affliguntur: haec illis sola poena est, non esse in patria. Si amatur patria, magna poena: si autem non amatur patria, pejor est cordis poena. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quaerit sanctorum, qui non desiderat regnum caelorum? Si non desiderat, poena est de perversitate: si autem desiderat, poena est de fraudata caritate. Sed si, quod vis, parva sit poena; et ipsa parva magna est, si nulla culpa est. Hic defende justitiam Dei.“

In hac igitur *de parvulis non baptizatis* quaestione, quam Pelagiana commenta obscurabant, ad unam *scripturarum divinam auctoritatem* confugiendum esse, praescribit Augustinus: „Sed tu bellator (inquiens) hoc est fortis ratiocinator, huic responde, qui tibi dicit: *Prorsus innocens parvulus, et immunis ab omni peccato, et proprio, et originali, non solum vitam aeternam habebit, sed etiam regnum caelorum. Hoc est justum: qui nihil mali habet, quare aliquid boni non habet?* Sed scio, inquis. Unde scis? *Quia Dominus dixit.* Tandem venisti. Non ergo, quia tu ratiocinaris, sed quia *Dominus dixit.* Laudo plane hoc, sanum est: sicut homo, non invenisti rationem; *fugis ad auctoritatem.* Approbo, prorsus approbo. Bene facis: non invenis quid respondeas, ad *auctoritatem* fuge. Non ibi te persequor, non inde expello: immo fugientem recipio, et amplector. Profer ergo *auctoritatem:* stemus in ea simul contra communem inimicum.“ Qui nempe superiore ratiocinatione id evincere conabatur, ut parvuli non baptizati, nec *vita, ac salute aeterna* excludi debeant, nec *regno caelorum.* Fatebantur Pelagiani auctoritate scripturarum inducti: *non renatis ex aqua, et Spiritu Sancto* negari introitum *in regnum caelorum.* At eadem divina auctoritas habet, *vitam aeternam* eamdem esse cum *regno caelorum,* ac *medium locum* esse nullum inter *regnum caelorum,* et *condemnationem.* Haec habentur omnia apud eumdem Augustinum in Sermone citato Cap. VII. num. 7 et 8.

Idem proprio nomine passim adhibet argumentum Augustinus. Libro I. de peccatorum meritis, et remissione sic ait Cap. XXX. num. 58: „*Ad hoc parvuli baptizandi sunt* (Pelagianorum sunt verba) *ut sint etiam cum Christo in Regno Dei, ubi non erunt si baptizati non fuerint: quamvis et sine baptismo si parvuli moriantur, salutem vitamque aeternam habituri sint, quoniam nullo peccati vinculo obstricti sunt.* Haec dicentes (inquit Augustinus) primo nunquam explicant isti: qua justitia nullum peccatum habens imago Dei, separetur a *regno Dei.*“ Libro III. contra Julianum Cap. XII. num. 25: „Quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittis ad *regnum Dei?* Numquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regno, ut tam luctuoso puniantur exilio; cum id non fecerint, quod facere omnino non poterant? .... Qua justitia, quaeso, a *regno Dei,* a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei?“ Obvia sunt alia non pauca loca.

CAPUT XXX.

Quid intelligerent Pelagiani regnum caelorum? Alia a Vincentio Victore invecta Regni caelorum distinctio a Regno Dei. Quid vitam aeternam intelligerent ab illo distinctam? Naturam humanam a Deo conditam fatebantur cum elevatione, seu ordinatione ad sublimia dona, quae vires naturae non habent: quod accuratius explicatur. Longe differt possibilis purae naturae status.

I. *Regnum caelorum*, dubio procul omni, eam intelligebant Pelagiani *aeternam felicitatem*, ac *beatitudinem Sanctorum*, quam divinae Scripturae, sanctique Patres consistentem proponunt in *visione clara Dei*, in amore perfectissimo inde sobolescente, in immunitate ab omni errore, et peccato, et animi perturbatione, cum securitate nunquam decidendi. Quaenam vero ea foret *vita aeterna*, quam a *regno caelorum* distinguebant, adsignantes *medium locum* inter regnum caelorum, et damnationem, haud satis innotescit. Pelagius apud Augustinum Libro de peccato originali Cap. XXI. num. 23. inquiebat: *Sine baptismo parvuli morientes, quo non eant scio, quo eant nescio:* „idest (notam appingit Sanctus Pater), non ire in *regnum caelorum* scio: quo vero eant ideo se nescire dicebat, aut dicit, quia dicere non audebat, in *mortem* illos ire *perpetuam*.“

Julianum sic ille redarguebat Libro II. Operis imperfecti num. 113. *Facitis duas aeternas felicitates, unam quae sit in regno Dei, alteram quae sit extra regnum Dei.* At in hanc posteriorem felicitatem ejusdem Augustini animadversio est: „Dicite, obsecro (inquientis), in illa felicitate quae *extra Dei regnum erit*, ullus-ne regnabit, an nullus? Si nullus, liberior erit procul dubio sine ullo rege illa felicitas. Si vero ullus in ea regnabit, quis erit Rex imaginum Dei, qui non erit Deus? Porro si Deus erit.... Deus ipse ibi regnabit: et ipsae imagines ejus in *veri Dei sui regno* felices erunt.“

II. Plura passim adhibet Augustinus, deprompta ex divinis Scripturis argumenta, quae non aliam *vitam*, aut *felicitatem aeternam* hominum proponunt, nisi *regnum Dei:* neque ulla praesto erant Pelagianorum responsa, quae discrimen inter ambo illa dilucide exponerent. *Vincentium Victorem*, qui ex Rogatistarum factione ad Catholicam Ecclesiam redierat, admonet Augustinus Libro III. de Anima, et ejus origine Cap. XI. num. 15. ne credere, dicere, ac docere velit: *aliquas mansiones esse extra regnum Dei: quas esse Dominus dixit in domo Patris sui.* Tum excogitatam *regni caelorum* distinctionem a *regno Dei* insequitur. „Sed forte dicas, omnia quidem pertinere ad *Dei regnum*, quia regnat in caelis, regnat in terris, in abyssis, in paradiso, in inferno. Ubi enim non regnat, cujus ubique summa potestas est? Sed aliud esse *regnum caelorum:* quo fas non est accedere, nisi lavacro regenerationis ablutos, propter Dominicam veram, fixamque sententiam. Aliud autem esse *regnum terrarum*, vel aliarum creaturae partium: ubi possunt esse *aliquae mansiones Dei*, quamvis pertinentes *ad regnum Dei*, non tamen *ad regnum caelorum*, ubi *excellentius et beatius est regnum Dei*. Ita fieri ut nec aliquae domus Dei partes atque mansiones a regno Dei nefarie separentur; et tamen non omnes in regno caelorum mansiones praeparentur; atque in iis,

quae in regno caelorum non sunt, possint feliciter habitare, quibus eas etiam non baptizatis Deus dare voluerit, ut *in regno Dei sint*, quamvis in *regno caelorum*, quia baptizati non sunt, esse non possint.“ An similem felicitatem, ac vitam parvulis non baptizatis tribuerint Pelagiani? Neque id innotescit: neque constat, quid illa fuerit *felicitas a Vincentio Victore excogitata*, promissaque non baptizatis, quos originis peccato infectos fatebatur. Ita vero Victorem refellebat Augustinus ibidem num. 17. „Ut autem manifestissime appareat, non esse *regnum caelorum* distribuendum baptizatis, et alias partes *regni Dei* dandas, quibus tibi visum est, non baptizatis; ipsum Dominum audi, qui non ait: *Si quis non renatus fuerit ex aqua, et Spiritu, non potest intrare in regnum caelorum;* sed *non potest*, inquit, *intrare in regnum Dei* .... Neque nunc opus est quaerere, atque disserere: utrum *regnum Dei*, *regnumque caelorum* cum aliqua differentia sit intelligendum; an res una sit duobus appellata nominibus? Sufficit quod non potest introire in *regnum Dei*, qui non fuerit *lavacro regenerationis* ablutus.“

III. *Vitam* denique, aut *felicitatem aeternam*, quam Pelagiani a *regno Dei*, *regnoque caelorum* distinguebant, frequentius intelligendam proponunt Theologi instar illius beatitudinis naturalis, quae in possibili *purae naturae*, ut vocant, statu foret, *in cognitione naturali tamquam Auctoris naturae*, atque *naturali ipsius hoc modo cogniti amore* consistentis. Consentiunt qui *Bajani* audiunt, et *Janseniani*, Scholasticis Theologis irascentes: veluti possibilem illam *purae naturae* conditionem, possibilemque *naturalem in eodem statu beatitudinem* admittentibus, quam Pelagiani *existentem* in parvulis absque baptismo decedentibus fatebantur. Hac de re uberius infra dicendum, et Capite sequente.

IV. Ut ut *vitam aeternam* a *regno Dei* distinctam intelligerent Pelagiani; pro comperto habendum est, *possibilem purae naturae hypothesim*, de qua disputant Theologi, longe differre a commento Pelagiano: ipsosque parvulos, etiam sine baptismo decedentes, non ad *statum purae naturae*, quem possibilem Theologi tuentur, sed ad statum pertinere naturae humanae *a Deo conditae cum ordinatione ad sublimia dona*, quae vires naturae non habent. Luculentissimam profero *Caelestii* thesim, apud Augustinum Libro de peccato originali Capite V. num. 5. *Infantes debere baptizari*, inquientis, *quia Dominus statuit, regnum caelorum nonnisi baptizatis posse conferri: quod quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae libertatem*, (forte *liberalitatem*, seu *largitatem.*) Quo loco jam habes, regnum caelorum excedere vires naturae: ad illud autem consequendum omnes homines a Deo ordinatos fuisse, paratumque baptismum, quo illud ipsi consequerentur.

Praeter sublime donum *regni caelorum*, quod parvulis Sacramenti virtute, ac adultis poenitentiae ac operum merito conferri docebant Pelagiani: alia etiam suprema beneficia admittebant, *quae vires naturae non haberent*, hominibus, et parvulis in hac vita, antequam regnum caelorum adipiscerentur, concessa. Inficiabantur, baptismate deleri peccatum originale; sed alia per ipsum collata beneficia numerabant

cum Joanne Chrysostomo in Homilia ad Neophytos inquiente: *Non enim qui baptizantur, tantum sunt liberi* a peccato, ac Daemonis potestate, *sed et sancti: non tantum sancti, sed et justi: non solum justi, sed et filii: non solum filii, sed et heredes: non solum heredes, sed et fratres Christi: non tantum fratres Christi, sed et coheredes: non solum coheredes, sed et membra: non tantum membra, sed et templum: non tantum templum, sed et organum Spiritus. Vides, quot sunt baptismatis largitates?* Divinae largitatis, non *virium naturae*, haec esse beneficia docebat Chrysostomus, ac docentem audivimus *Caelestium*. Consentientem *Julianum* haec ejus verba praebent apud Augustinum Libro III. contra eumdem Capite III. num. 8. *Christus, qui est sui operis redemptor, auget circa imaginem suam continua largitate beneficia: et quos fecerat condendo bonos, facit innovando, adoptandoque meliores.* Conditam vides naturam humanam *cum ordinatione ad beneficia*, quae *vires naturae non habent*, Dei largitas confert.

Collata per baptismum parvulis urgebant Orthodoxi beneficia *redemptionis, salvationis, regenerationis* ac *novae nativitatis, complantationis similitudini mortis Christi*, ac *remissionis peccatorum:* ex eisque colligebant, *peccatum inesse parvulis*, non proprium; adeoque *ex primo parente propagatum.* Haec eadem attenuabant quidem *Pelagiani* beneficia divina, ne peccatum originale fateri cogerentur; attamen conferri baptismo sublimia dona quaedam fatebantur, quae vires naturae non habent. Hac de re disserit Garnerius in Dissertatione VII. Capite IV. §. III. Ac 1. geminam *redemptionem* distinguebant: alteram, qua proprie redimuntur captivi, et alteram qua quid proprie dicitur emi, ut inhabitanda domus: ajebantque, Christum sanguine suo peccatores redemisse ut captivos, infantes veluti templa quae per fidem inhabitaret. 2. *Salvari* dici posse profitebantur, sive qui ex malis boni fierent, ut majores: sive qui ex bonis meliores, ut parvuli. 3. Duplicem *unius hominis generationem* distinguebant: carnalem unam, qua filius sit veteris Adam; alteram spiritualem, qua filius Dei efficitur, ac nova in Christo creatura, et membrum novi Adam: et hanc posteriorem in baptismo contingere ajebant, quam et ipsi vocabant *regenerationem, procreationem, novamque nativitatem.* 4. Duplicem etiam obtrudebant *complantationem similitudini mortis Christi:* alteram, qua peccatores moriuntur peccato, quod Christus abstulit; et alteram, qua cuncti resurrectionis Christi coheredes fiunt, parvulis etiam communem. 5. Quid? quod *geminam* quoque comminiscebantur *peccatorum remissionem:* unam quae est venia commissorum, pertinetque ad majores; aliam quae est singularis quaedam impeccantia, quaeve omnibus, etiam parvulis per baptismum imperfecte conceditur in hac vita, perfecte in regno caelorum. 6. Ad *ablutionem* denique quod attinet, hanc proprie sumptam pro beneficio detergente peccati maculam, parvulis baptizatis conferri inficiabantur; concedi ajebant, sumptam pro beneficio, quo ipsi parvuli ditescerent, atque adoptarentur. Hinc illud jactabant apud Auctorem Hypognosticon Libro V. Capite VIII. Parvuli *tantum in adoptionem filiorum baptizantur. Habet enim in eis gratia, quod adoptet; non habet unda, quod diluat.*

Haec vocabant omnia Pelagiani gratiae, et largitatis, aut liberalitatis divinae beneficia, *quae vires naturae non habent:* unde praesentem

beatitudinem S. Thomas aptissimis verbis delineat 1. p. Qu. 62. Art. 1. „Nomine *Beatitudinis* intelligitur (inquiens) ultima perfectio rationalis seu intellectualis naturae: et inde est quod naturaliter desideratur, quia unumquodque naturaliter desiderat suam ultimam perfectionem. *Ultima autem perfectio* rationalis, seu intellectualis naturae est *duplex*. Una quidem, quam possunt assequi *virtute suae naturae:* et haec *quodammodo* beatitudo, vel felicitas dicitur. Unde et Aristoteles perfectissimam hominis contemplationem, qua optimum intelligibile, quod est Deus, contemplari potest in hac vita, dicit esse ultimam hominis felicitatem. Sed super hanc felicitatem est alia felicitas, quam in futuro expectamus, quia videbimus Deum sicuti est: quod quidem *est supra cujuslibet intellectus creati naturam*." Posterior haec dici debet naturae elevatae beatitudo: prior illa foret beatitudo purae naturae.

Quoniam vero in utraque beatitudine Deus est objectum, perfectissima pro utriusque conditione cognitum contemplatione; hanc pergit elegantissime declarare Angelicus Doctor, sive quae ad naturalem beatitudinem, sive quae pertinet ad beatitudinem supernaturalem. Locum affero insignem ex 2. Dist. 4. Qu. 1. Art. 1. „*Beatitudo*, sive felicitas est in *perfectissima operatione* habentis rationem, et intellectum. Intellectus autem perfectissima operatio est *in contemplatione altissimi intelligibilis*, quod Deus est. Unde tam *Dei*, quam *Angeli*, quam etiam *hominis* ultima felicitas, et beatitudo est Dei contemplatio .... Hanc autem operationem non est possibile aequaliter in omnibus invenire: unde beatitudo uniuscujusque consistit, inquantum hanc operationem attingit secundum modum suae perfectionis. Et ideo diversimode invenitur in *Deo*, et in *Angelo*, et in *homine*, secundum *eorum naturalia* consideratis. Ipse enim Deus seipsum *per essentiam suam* videt, et non per aliquam sui similitudinem. Intellectus autem Angeli *naturali cognitione* ipsum videt *per similitudinem ejus*, acquisitam *in ipso* (Angelo). Sed intellectus humanus non pervenit ad hanc visionem Dei *naturali cognitione*, nisi *per similitudinem a creaturis receptam*, inquantum per ea quae facta sunt, invisibilia cognoscit.... Sed est *alia perfectio* (aut contemplatio Dei), in quam *per naturam suam* non possunt (Angelus, et homo) devenire: cujus tamen capaces sunt, ut scilicet ipsum Deum *in essentia sua* videant, non per aliquam similitudinem receptam; ut eorum beatitudo, divinae beatitudini sit conformis." Jamvero quaenam repugnantia fuerit, condi naturam humanam a Deo potuisse, quae Deum cognosceret *naturali cognitione*, seu *per similitudinem a creaturis receptam*, idest *per ea quae facta sunt*, ad sublimiorem, quae supra naturam est, minime ordinatam Dei visionem in ejus essentia, cujusmodi est in se?

Statum itaque *purae naturae* possibilem hoc loco intelligimus: in quo nascerentur homines nulla peccati labe inquinati, ordinatique ad beatitudinem naturalem. His adesset facultas cognoscendi Deum creatorem per ea quae facta sunt, ipsumque hoc modo cognitum diligendi. In hoc amore perseveranti homini naturalis constituta esset beatitudo: quam non aliam licet concipere, quam Dei contemplationem per ea, quae facta sunt acquisitam, et inde sobolescentem

dilectionem, utramque aeternum mansuram: ac utramque demum suos perfectionis gradus habentem; cum perfectior contingeret adultis hominibus naturalium virtutum exercitatione excultis, quam parvulis ante rationis usum mortali fato ereptis.

Naturae sic conditae vires, ac divina naturalis ordinis auxilia, eorumque sufficientiam, et efficaciam ad ipsum Deum diligendum, exserendosque virtutum naturalium actus, paucis iterum indicabo verbis inferius. Labi eo in statu possent homines in peccata, quae Deo Creatori, cognitione naturali cognito, adversarentur: paratumque a Deo foret pro ejus sapientiae consilio poenitentiae, aut doloris naturalis remedium. Naturae lumine innotesceret, flagitia quae legi naturae adversantur, esse mala longe graviora ipsius vitae amissione: cur ergo de illis dolere non posset homo, ac potius velle amisisse vitam, quam peccasse? Impoenitentes qui decederent, aeterna poena punirentur: tum poena damni, seu carentia perfectae naturalis cognitionis Dei creatoris: tum poena positiva sensus per tristitiam, ortam ex cognitione talis carentiae, quae diverti non posset, vel ex cognitione loci in quo volentes nolentes detinerentur animae. Hisce de rebus consule Theologos. *Gregorium Martinez* laudare licet in Commentariis super Primam Secundae Tomo III. Qu. CIX. Art. II. Dubio I. ubi varia Scholasticorum placita profert, versatque diligenti examine.

CAPUT XXXI.

In hypothesi vera naturae humanae elevatae, vim exserunt omnem Augustini argumenta. Bossueti Episcopi Meldensis animadversio. Iterum expenditur vita aeterna, quam parvulis non baptizatis largiebantur Pelagiani. Ratio disputandi ab Augustino servata.

I. Num *hujusce status possibilitatem* expenderit Augustinus? Num ejus in mentem inciderit ille, cum Vincentio Victori reponebat, *opus non esse quaerere, ac disserere, utrum regnum Dei, regnumque caelorum cum aliqua differentia sit intelligendum?* Possibilis illa beatitudo naturalis non esset regnum caelorum, idest *clara visio Dei;* regnum attamen quodammodo esset Dei, idest *perfectissima ejusdem cognitio per ea quae facta sunt.* Verum enim verò quid Augustino opus erat possibiles miscere naturae humanae status?

In *vera naturae humanae ad beatitudinem supernaturalem elevatae hypothesi* pugnabat Augustinus. Hanc divina revelatio patefacit in Scripturis: hanc etiam fatebantur adversarii Pelagiani. Hinc praesto erant invicta argumenta, queis fidem catholicam tueretur. Ac primo adsunt *Scripturarum* luculentissima testimonia, ac universalis Ecclesiae *consuetudo* in baptismate tum adultis, tum parvulis conferendo servata: quae per sese evincunt, nasci omnès homines peccato inquinatos, haud utique proprio, adeoque alieno, quod a primo parente contrahitur.

In hoc deinde statu elevationis *medium* inter regnum caelorum, ac damnationem *locum* rejiciunt divinae Scripturae quaeque. Splendidissime patent divinae praesentis Providentiae decreta: ob unius

delictum incurrisse omnes homines *condemnationem*, qui per unius Mediatoris Jesu Christi justitiam, quae baptismate et Sacramentis applicatur, liberati non fuerint, dato regressu *ad justificationem vitae*. Omnes homines aut in numero credentium computari, et *salvos fieri:* aut certe inter incredulos numerari, et *iram Dei manere super illos*. Omnes etiam homines ad judicium vocandos, partesque nonnisi duas, *dexteram*, et *sinistram* distinguendas esse: aliosque in parte dextera *percepturos regnum*, et alios in parte sinistra *in ignem aeternum* projiciendos. Haec ad ipsos etiam infantes pertinere decreta evincit Augustinus. Fides catholica docet, tenebantque Pelagiani: parvulos baptizatos percepturos esse regnum, justificationem vitae habituros, ac salvandos in regno caelorum. Super parvulos ergo non baptizatos manere colligebat ille iram Dei, condemnationem, ignem aeternum: adeoque reos esse peccati, non quod ipsi admiserint, sed quod ipsi a primo parente contraxerint.

Aeternam quamdam *felicitatem*, ac *vitam*, inter caelorum regnum, et damnationem *mediam*, parvulis non baptizatis tribuendam, excogitarunt Pelagiani: quos validissime Africanus Pater refellit, Scripturarum revelatione, qua innotescit, in praesenti vera rerum hypothesi non aliam esse aut felicitatem, aut vitam aeternam, nisi regnum caelorum. Atqui Scripturae docent, parvulos etiam non baptizatos non introire in regnum Dei: unde colligitur, neque vitam illis aeternam tribuendam esse. Scripturarum loca Capite XXIX. allata sunt. Accedunt alia. *Hanc esse vitam aeternam* docet Magister divinus apud Joannem Capite XVII. v. 3. *ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum.* Hanc vero cognitionem Dei, praecipuam esse regni caelorum felicitatem, exponit idem Servator noster apud Matthaeum Capite XVIII. v. 10. *Angeli eorum*, inquiens, *in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Dilecti Discipuli testimonium accedit Epistola I. Capite III. v. 2. *Scimus*, inquientis, *quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Posito *naturae elevatae statu*, in quo tam sublime regni caelorum, aut *clarae visionis Dei* donum promissum esse paratumque, admonuimus; invicta vis apparet aliorum argumentorum, quae ab Augustino ducebantur *ex ordine divinae Justitiae*. Eo namque statu posito, jam patet *regnum caelorum* esse *communem omnium hominum patriam, communem hereditatem, commune patrimonium:* erit ergo poena suo patrimonio privari, sua spoliari hereditate, suaque patria pelli. Patrimonium recipiunt, in hereditatem succedunt, ingrediuntur in patriam parvuli qui baptizantur, propterea quod medium baptismatis illis applicatur, gratuita Dei providentia statutum ad ea consequenda bona. Carentia patrimonii, hereditatis, et patriae justum est, ut ii puniantur, qui constitutum adhibere medium sua culpa negligunt. At culpa nulla est parvulorum infantium, si non baptizentur: cur ergo poenam subeant tam gravem, eamque aeternum duraturam? *Quare nihil mali merentes tot in parvulis imagines Dei, si non baptizentur, non admittis ad regnum Dei? Numquid ipsi sibi defuerunt, ut priventur regno, ut tam luctuoso puniantur exilio; cum id non fecerint,*

quod facere omnino non poterant? ... Qua justitia, quaeso, a regno Dei, a vita Dei alienatur imago Dei, in nullo transgressa legem Dei? Quare patrimonium regni caelorum abripis innocenti? A quo regnum caelorum non adquiritur, profecto magno bono fraudatur. Quae est ista justitia? Dic, quare? Quid offendit parvulus non baptizatus, nullam habens culpam? Quid offendit, dic mihi, ut non intret in regnum caelorum, ut separetur a sorte sanctorum, ut sit exul a societate Angelorum?

Parvulis, inquiebat Pelagianus homo, utpote non baptizatis, *regnum* denego *caelorum;* sed eisdem, utpote innocentibus, vel in eo quod baptizati non sint, *aeternam felicitatem* do, ne divina justitia laedatur. Contra utramque partem arma subministrat validissima praesens naturae elevatae status. Vita namque aeterna a Regno caelorum distincta commentum est in eodem statu elevationis, quod sacrae Scripturae rejiciunt Eodem posito statu, omnes homines, et parvuli, et majores, ordinati sunt ad regnum caelorum, et hoc eisdem promissum est. Hinc ab eodem pelli poena est: et cum poena nonnisi culpae debeatur, cur eam infligis parvulo, qui nullam vel in eo quod non baptizetur, culpam habet? Atqui tam gravis poena illis infligitur: culpa igitur in eisdem praecedit, non proprio actu commissa, sed ex alieno protoparentis actu contracta.

II. Nemo jam non videt, ad eam quam *cum Pelagianis* controversiam agebat *Augustinus*, possibilem in statu naturae felicitatem minime pertinere: ut frustra sint, qui putent, aut vereantur, invictissima ejusdem Sancti Patris argumenta ex hac parte infirmari posse.

Quod ajo, egregia confirmat animadversione Jacobus Benignus Bossuetus, Episcopus Meldensis, in Opere saepius jam citato, *Defense de la Tradition, et des Saints Peres*, Libro VIII. Capite XII. ubi haec habet, latine reddita. „Non agitur hoc loco, utrum Deus absolute potuerit hominem creare mortalem, (sive ad naturalem dumtaxat beatitudinem ordinatum.) Praetermissis hujuscemodi *abstractis quaestionibus*, (quibus multiplicis naturae humanae status possibilitas expenditur;) *rebusque eo modo consideratis*, quo eas *constitutas offerunt divinae Scripturae:* certum est, mortem in hoc statu proponi, veluti poenam inobedientiae, qua divinum praeceptum violavit Adamus: (certumque est, elevatum ordinatumque hominem a Deo ad sublimia gratiae, et gloriae dona.)" Hanc veram hypothesim spectabat Augustinus: in eaque, quam ipsi fatebantur Pelagiani, adversum istos pugnabat ille. Hanc suam animadversionem sumpsit sine dubio Bossuetus ex frequentiore Theologorum doctrina, quam exponimus.

III. Superiore Capite admonuimus, haud satis innotescere, cujusmodi *aeterna* illa *vita* fuerit, quam parvulis sine baptismo morientibus promittebat, dabatque Haeresis Pelagiana. Diligentius liceat perquirere: utrum *status quidam supra naturae conditionem* dici debeat, quem supernaturalem vocant; an *naturae modum non excederet*, ac similis foret naturali beatitudini, quam exposuimus in possibili purae naturae statu. Priorem partem tenuisse videntur nonnulli apud *Petavium* Libro IX.* de Praedestinatione Capite XI. num. II. et III. et apud *Thomam de Lemos* Tractatu I. de Laesione liberi arbitrii per peccatum originale Capite XXIII. acsi Pelagianum commentum

fuerit, *vitam aliquam aeternam supernaturalem* parvulis non baptizatis dari, quae clara Dei visione in regno caelorum inferior sit. Fabulam hanc rejiciunt quotquot Scripturarum argumenta deprompsit Augustinus, queis evincitur, non aliam hominibus promissam a Deo felicitatem, nisi quae in regno caelorum est.

Naturalem felicitatem, quam in possibili purae naturae statu concipere licet, intellexisse Pelagianos, existimat *Petavius* ibidem, pluribus ostendit *Lemosius* loco citato, ac caeteri consentiunt Theologi. „Quod hac ratione mihi persuadeo, (Petavius inquit.) Distinguebat enim *duo* Pelagius *genera vitae*, ac status duos: unum quem *sine gratia* homo consequebatur; alterum, qui *gratia* constabat. Prioris generis est innocentia, et *ἀναμαρτησία*, idest *peccati expers animus:* cujus sibi quisque conditionis est faber, si liberi arbitrii naturaeque viribus recte vellet uti. Posterioris est *adoptio*, et *filiorum dignitas*, ad quam *caelestis hereditas regni* pertinet. Quamobrem quidquid a gratia Christi proficiscitur, id in posteriore isto genere censebat Pelagius: in priori vero id omne collocabat, quod naturae velut annexum, et consectarium est. Cum igitur quidquid illud ornamenti est, quod *supernaturale* dicitur, in beneficii et gratuiti doni numero sit habendum, nonnisi ex Christi meritis obvenit, et sola ex adoptione ac filiorum conditione oritur. Ita parvulis ab adoptione, et hereditate rejectis, (utpote non baptizatis,) minime congruit.“ At illis *naturalem quamdam innocentiam* inesse, inquiebant: adeoque, velut annexum et consectarium quoddam, *naturalem* eisdem congruere *felicitatem* adserebant.

IV. Opus non erat, ut in hanc *felicitatem*, *vitamque aeternam possibilem* diligentius inquireret Augustinus: immo id unum erat opus ut eamdem, quae veluti exstans adserebatur, insequeretur. Num ea existeret, nec-ne, nonnisi divina constare revelatione poterat, ac praesentis providentiae legibus. *Sacris* ergo *agendum erat Scripturis.* Atqui divinarum Scripturarum fide constat, *nullum* esse *medium* inter regnum caelorum, et mortem aeternam. Cur ergo vita, et felicitas quaedam *media* aeterna fingenda fuerat? Scripturis etiam innotescit, naturam humanam ordinatam esse ad *regnum caelorum*, veluti communem omnibus hominibus patriam, communem haereditatem, commune patrimonium. Cur ergo infantes, qui nullam vel in eo quod baptizati non sunt, culpam habent, patria pellantur, spolientur hereditate, patrimonio priventur? Id utique justitia divina vetat. Atqui rursum hujusmodi infantes non introire in regnum Dei, Scripturae sanctae docent, quod fatebantur Pelagiani. Itaque reliquum est ut ipsis aliquod insit peccatum, tanta poena dignum; haud utique *proprium*, sed *ex alieno contractum.*

Infantes in *originali peccato* conceptos, natosque non inficiabatur *Vincentius Victor;* attamen ipsis, tametsi non baptizatis, sin minus *regnum caelorum*, largiebatur certe regnum Dei. Quid istud fuerit *regnum Dei a regno caelorum* distinctum haud satis innotescit. At satis Augustino fuit Libro II. de Anima, et ejus origine Cap. VI. num. 17. errantem insequi Victorem: tum quia sequeretur, in regno Dei esse qui peccato originali polluti sunt, ac poenam aeternam patiuntur: tum quia nulla est inter caelorum regnum, ac regnum Dei

juxta divinas Scripturas differentia. Qua de re diligentius agendum, cum de poena parvulorum qui sine baptismate decedunt, agendum fuerit.

Ultra pergit *Augustinus* contra Pelagianos; ac vera *naturae humanae ad sublimia gratiae dona elevatae* inhaerens hypothesi, inquirit: cur parvulis, si innocentes quidem sint, ac nullo teneantur peccato, ipsam adoptionis gratiam, et gratiam baptismi, omnibus hominibus promissam, atque paratam, salva justitia, deneget Deus? *Cur non ei datur illuminatio spiritalis* inquit Libro I. Operis imperfecti in Julianum num. LIII.) *adoptio filiorum Dei, municipatus Jerusalem caelestis, sanctificatio, atque in Christi membra translatio, et possessio regni caelorum? Haeccine tot munera, tam necessaria* (ad quae naturam humanam ordinare Deo placuit) *tot imaginibus suis, nullum secundum vos peccatum habentibus, negaret Deus, penes quem summa potestas est, cum hoc beneficium non a se prohibeat voluntas contraria parvulorum?*

Haec arma stringi frustra esset, in illo *possibili*, quem concipiunt Theologi, *naturae humanae statu*, ad hujusmodi sublimia dona nequaquam ordinatae. At commentum suum ut Pelagiani tuerentur, et validissima eluderent Augustini argumenta, alio opus illis fuit commento, quod apud eumdem Augustinum legis in Epistola CXCIV. alias CV. ad Sixtum num. 42. *Sed Deus*, inquientibus, *in eis quos hinc aufert, praevidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret: et ideo quem nequiter novit fuisse victurum, sine baptismo facit emori; sic in eo puniens opera mala, non quae fecit, sed quae facturus fuit.* Adeo nempe stringebantur argumentis, queis parvulos peccato, et poenae obnoxios esse ostendebat Augustinus, ut cum *peccatum*, quod illis *ex carnali generatione* actu inesset, inficiari pergerent, causam demum refundere cogerentur in *opera mala*, quae *facturi fuissent, si viverent.* Locum ipsum Augustini expende, ubi Pelagiana fabella egregie refutatur. Hocce de argumento rursum data opera agendum erit Cap. LXXIII.

CAPUT XXXII.

Duplex cognitio Dei. Altera naturalis, per ea quae facta sunt. Apostoli Pauli doctrina, Thomae Aquinatis Commentarius. Alia ejusdem Aquinatis documenta. Altera est supernaturalis Dei cognitio, cujusmodi est in se, quae pendet ex gratuito divinae revelationis favore. Philosophorum varia placita discussa. Animadversiones.

I. Diligentiores curae adhibendae sunt, ut splendidius innotescat tum *regnum caelorum*, ad quod naturam humanam juxta praesentis providentiae leges ordinatam credimus; tum *naturalis illa* magis pateat *felicitas*, ac vita aeterna, quam in *possibili purae naturae statu* cum frequentissimo Theologorum choro admittimus. Disputationis initium *ex duplici cognitione Dei* sumendum est: altera *naturali*, quae ex iis quae facta sunt, comparatur; altera *supernaturali* per gratuitam revelationem, quae Deum manifestat cujusmodi est in se. Utramque docent sacrae litterae.

Naturalem Dei cognitionem, qua etiam gentes, maximeque Philosophi pollebant, proponit Apostolus Paulus ad Romanos Cap. I. v. 19.

et 20. inquiens: *Quod notum est Dei* (sive quod lumine naturali cognosci de Deo potest), *manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit.* Quo fiat modo naturalis ista summi Dei, ejusque attributorum manifestatio, pergit ibidem exponere Apostolus: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi* (ex quo scilicet mundus conditus est) *per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas.* Cognitionem Dei, quae *naturalis* dicitur, diserte docet Paulus ab iis originem sumere, *quae facta sunt:* quia videlicet rerum conditarum notiones, aut perceptiones, aut ideae, quae tum ministerio sensuum, tum mentis reflexione supra seipsam, comparatae insunt nobis, non modo res ipsas conditas exprimunt, ac repraesentant, sed excitant quoque mentem ipsam, ut altius adsurgat in notitiam supremi conditoris. Res uberius explicanda est numero sequente.

Doctrinam Apostolicam egregio commentario exponit Sanctus Thomas Aquinas. „*Quod notum est Dei,* idest quod cognoscibile est de Deo ab homine per rationem: *manifestum est illis,* idest manifestum est eis ex eo quod in illis est, idest ex lumine intrinseco (sive ex ipsa mente, quae sibi valet rerum notiones, ac ideas comparare). Sciendum est ergo, quod *aliquid* circa Deum est *omnino ignotum hominibus* in hac vita, scilicet *quid sit Deus* . . . Et hoc ideo, quia cognitio hominis incipit ab iis, quae sunt ei *connaturalia,* scilicet a sensibilibus creaturis (sive a seipso, suaeque mentis reflexione supra seipsam) quae *non sunt proportionatae* ad repraesentandam *divinam essentiam* (cujusmodi est in se)."

„Potest tamen homo (sive Angelus) ex hujusmodi creaturis (quae sunt sensibilia quaeque, ac ipsae praecipue mentes creatae) *Deum tripliciter cognoscere.* Uno quidem modo *per causalitatem:* quia enim hujusmodi creaturae sunt defectibiles, et mutabiles; necesse est eas reducere ad aliquod principium immobile, et perfectum: et secundum hoc *cognoscitur de Deo, an est.* Secundo *per viam excellentiae:* non enim reducuntur omnia in primum principium, sicut in causam propriam, et *univocam,* prout homo hominem generat, sed sicut in causam communem, et excedentem: et ex hoc cognoscitur, quod est *super omnia.* Tertio *per viam negationis:* quia si est causa excedens, nihil eorum quae sunt in creaturis, potest ei competere (eo finito, et limitato modo, quo creaturis inest . . .) et secundum hoc dicimus Deum *immobilem,* et *infinitum,* et si quid aliud hujusmodi dicitur."

„Deinde cum dicit, *Deus illis manifestavit,* ostendit, a quo Auctore hujusmodi cognitio eis fuerit manifestata: et dicit, quod *Deus manifestavit illis* . . . Ubi considerandum est, quod Deus *dupliciter* aliquid homini *manifestat.* Uno modo, *infundendo lumen interius,* per quod homo cognoscit . . . Alio modo, *proponendo suae sapientiae signa exteriora,* scilicet sensibiles creaturas (ac etiam spirituales, et Angelos, et animas rationales)." Animadverte, interiorem illam manifestationem, quam ipse Deus facit, *lumen interius,* aut rerum notiones ac ideas *infundendo,* ad naturalem cognitionem pertinere, ac intra naturalem rerum ordinem contineri, si quae nota fiunt objecta, sint *menti creatae connaturalia,* cujusmodi sunt mens ipsa creata, aliaeque sensibiles a Deo conditae creaturae, ac etiam spirituales, quae gradu

saltem cum mente creata hominis aequales sunt, ut Angeli. Haec manifestatio immediate a' Deo facta speciale quoddàm esset intra naturalem ordinem beneficium: ac ipse manifestationis modus aliqua ratione dici posset *supernaturalis;* tametsi nihil de Deo patefaceret, *cujusmodi est in se*, sed ipsum solummodo manifestaret quoad *an est.* Communis, et ordinarius modus, quo lumine naturali invisibilia Dei cognoscimus, nititur *signis exterioribus* a Deo propositis, iis nempe quae facta sunt.

„*Invisibilia Dei &c.* Ubi primo considerandum est, *quae sunt ista, quae de Deo cognoverunt,* Et ponit tria. Primo quidem *invisibilia ipsius:* per quae intelligitur *essentia Dei*, quae sicut dictum est, a nobis videri non potest, Joann. I. *Deum nemo vidit umquam*, scilicet per essentiam, vita mortali vivens .... Dicit autem pluraliter, *invisibilia:* quia Dei essentia non est nobis cognita *secundum illud, quod est,* scilicet *prout in se est una.* Sic erit nobis in patria cognita: et tunc erit *Dominus unus, et nomen ejus unum,* ut dicitur Zachariae ultimo. Est autem manifesta nobis *per quasdam similitudines in creaturis repertas*, quae id quod in Deo unum est, multipliciter participant: et secundum hoc intellectus noster considerat *unitatem* essentiae divinae sub ratione *bonitatis*, *sapientiae*, *virtutis*, et hujusmodi. Haec ergo *invisibilia Dei* dixit: quia illud *unum*, quod his nominibus seu rationibus in Deo respondet, *non videtur a nobis* ... Aliud autem quod de Deo cognoscitur, est *virtus ipsius:* secundum quam res a Deo procedunt, sicut a principio. Hanc ergo *virtutem* Philosophi, perpetuam esse cognoverunt: unde dicitur, *sempiterna quoque ejus virtus.* Tertium cognitum est, quod dicit, *et Divinitas:* ad quod pertinet, quod cognoverunt Deum, *sicut ultimum finem,* in quem omnia tendunt... Haec autem *tria* referuntur ad *tres modos cognoscendi* supradictos: nam invisibilia Dei cognoscuntur *per viam negationis:* sempiterna virtus ejus, *per viam causalitatis:* Divinitas *per viam excellentiae.*"

„Considerandum est autem, *per quod medium* illa cognoverunt. Quod designatur, cum dicit: *per ea quae facta sunt.*" Haec est, quae dicitur *naturalis cognitio Dei.* Quae scilicet ex iis hauritur, quae facta sunt: ex mente supra suas sensationes actionesque reflectente, seque cognoscente ipsam, et ex aliis a Deo conditis creaturis, quas ipsa novit. Dicitur *naturalis*, quoniam ab his incipit, quae sunt homini, seu menti creatae *connaturalia:* unde ad naturae cognoscentis exigentiam, ac debitum, et integritatem ita pertinet, ut manca veluti foret sine ea cognitione, aut hujusce cognitionis potestate. Quoniam vero creatae res non sunt *proportionatae ad repraesentandam divinam essentiam*, ideo quae *Dei cognitio* ex illis incipit, ac *naturalis* vocatur, non omne adsequitur quod circa Deum est, scilicet *quid est Deus.*

II. *Naturalem* hanc Dei cognitionem, modum ejus, ac vires, ac differentiam in Angelis, et hominibus, frequentius illustrat Sanctus Thomas. Praecipua affero documenta ejus, quae ad institutam quaestionem maxime faciunt. Verba accipe, quae habentur in II. Dist. IV. Qu. I. Art. I. ac Angelorum declarant, hominumque naturalem cognitionem Dei. „*Cognitio Dei* diversimode invenitur in *Deo*, et in *Angelo*,

et in *homine*, secundum *eorum naturalia* consideratis. Ipse enim Deus *per suam essentiam* videt se, et non per aliquam similitudinem. Intellectus autem *Angeli* naturali cognitione ipsum videt *per similitudinem ejus in ipso* (Angelo), unde in Libro de causis dicitur: *quod intelligentia scit, quod est supra se, inquantum est creata ab eo, unde similitudinem divini esse participat secundum modum suum.* Sed *intellectus humanus* non pervenit ad hanc visionem naturali cognitione, nisi *per similitudinem a creaturis receptam*, inquantum *per ea quae facta sunt, invisibilia cognoscit*, ut dicitur Rom. I." Creaturas, ex quibus homo lumen haurit ad cognoscendum, *sensibiles* intelligit Aquinas, ab anima rationali distinctas. Equidem et Recentiorum Philosophia docet, rationalem animam, a Deo junctam corpori, primo affici *sensationibus*, quae occasione corporum exteriorum in organa agentium excitantur in ipsa. At anima rationalis, cum reflexionis magis, minusque perfectae capax evadit, tum sensationum, quae insunt ipsi, conscia efficitur, tum etiam seipsam per quamdam intimam conscientiam mediante sensatione cognoscit, ac inde in alias aliasque rerum notiones devenire potest. Hinc vero collige, tum *separatam hominis animam*, instar Angelorum, cognoscere Deum *per similitudinem ejus in ipsa anima:* tum etiam hominem in statu conjunctionis cum corpore, sicuti aliquo modo mentem suam per intimam conscientiam cognoscit, ita ex ipsa sua mente cognita aliquam posse notitiam Dei exsculpere.

Sequitur propria, ac veluti essentialis conditio cognitionis Dei, quam in *Angelo*, in *anima separata*, et *corpori conjuncta* vocamus *naturalem*. Hanc declaro. Naturalis *Angelica* cognitio ab ea sumit initium reflexione, qua seipsum suasque affectiones novit *Angelus*. Eadem erit naturalis cognitio, quae *animae separatae* convenit. Inferior dici debet cognitio naturalis, quam habet ipsa pro statu unionis cum corpore: utpote quae a sensatione incipiat, originemque ducat ab inferioribus sensibilibus rebus, quae se primum menti percipiendas offerunt. Hinc vero conficitur, nihil ab *Angelo*, et ab *anima separata*, et ab *homine* cognosci *naturaliter*, nisi *quodam commensu servato* cum iis, ex quibus naturalis cognitio ortum ducit. Rem declarat his verbis Aquinas I. P. Qu. XII. Art. IV. *Cognitio contingit, secundum quod cognitum est in cognoscente. Cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscentis: unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundum modum suae naturae.* Atqui vero *iste modus cognoscendi Deum* (verba sunt ejusdem Aquinatis ad 1.) *Angelo connaturalis, in hoc consistit, ut scilicet cognoscat eum per similitudinem ejus, in ipso Angelo refulgentem.* Similem intellige Dei cognitionem, in quam natura sua prodit anima rationalis separata, per similitudinem imperfectiorem ipsius Dei, quae in eadem reperitur anima. Ac demum naturalem Dei cognitionem, qua pollet homo, eam intellige, qua quidquid ipse cognoscit, cum quadam cognoscit proportione ad objecta sensibilia, ex quibus prima humanae cognitionis origo sumitur.

Modi multiplices, ac veluti vires, praesto sunt humanae menti, queis rerum perceptiones, aut ideae comparantur. Res ita se habet. *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu:* ac liceat admittere,

sensationes esse primas perceptiones, quae insunt menti corpori junctae. Neque tamen oportet, ut res quaelibet *immediate* per sensum transeat: cum satis dubio procul sit aut illam transire, aut ex iis quae transierunt, notitiam rei alterius efformari. Facultas namque inest menti, ut primis notionibus per sensum acquisitis foecundata, sibi notiones alias comparet rerum similium, diversarum et adversarum, quae per sensum nec transiere, neque transeunt. Id multiplici efficitur modo: *compositione*, notionem unam conjungendo cum alia: *ampliatione*, vel *diminutione*, ut cum exiguam magnitudinem augemus, aut majorem imminuendo extenuamus. Vis adest menti *aggregandi*, similes ideas in unum veluti cogendo: et *abstrahendi*, id praecipuo considerando, in quo plura conveniunt. Hinc duplex innotescit *notionum universalium* origo. Accedit vis *transferendi*, et *accommodandi*, ut cum ideam urbis ad urbem non visam transferimus: vis etiam *ex simili objecto cognito* eliciendi notitiam alterius similis, aut oppositi: atque vis demum *per ratiocinationem* ea cognoscendi, quae sunt invicem aliquo modo connexa.

Hisce quodammodo mediis, rerum *intelligibilium*, ac *spiritualium* notitiam aliquam comparat mens hominis: neque sistit dumtaxat in rebus sensibilibus, ac singularibus, et materialibus, quarum sensationibus primo mens ipsa in statu conjunctionis videtur affici. Thomae Aquinatis documentum est I. P. Qu. LXXXIV. Art. VII. ad 3. *Incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognosci a nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata.* Exempla, quae rem declarant, passim prostant apud ipsum. Pauca sufficiant. Sic *veritatem* (ut ait ibidem), quae non cadit sub sensu, *intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur:* hanc scilicet percipientes, veluti instar cujusdam perfectae adaequationis duas inter res sensibiles. Pari modo v. g. *infinitum* menti nostrae observatur per comparationem v. g. ad quantitatem, cui addi magnitudo, aut numerus potest, quin additionis terminus ullus videatur; quae notio *infiniti* est, non *positiva*, sed *negativa*. Item *incorporeas* demum *substantias* (verba sunt Aquinatis) *in statu praesentis vitae cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia.* Hanc satis indicavimus *comparationem*. In eo vero consistit *negatio*, aut *remotio*, ut per *ratiocinationem* ab eo, quod mens cognoscit, ea removeat omnia, quae in objectis materialibus et sensibilibus imperfectionem sonant, cognitoque objecto convenire non possunt.

Adnotavimus, mentem etiam in statu unionis, non solum *per sensationes* objecta sensilia percipere, sed etiam per quamdam supra sensationes reflexione cognoscere se ipsam intima conscientia. Hinc vero non abnuerim, rerum notitias, quas praedictis modis comparare mens valet, duplicem veluti originem habere, tum ex objectis sensilibus, quae mens percipit per sensationes: tum ex ipsis sensationibus, ex ipsaque mente, supra se se et illas reflectente. Quoniam vero haec reflexio in sensationes immediate fertur, quarum objecta sunt corpora sensibilia; id efficitur, ut notitiae quaeque inde comparatae, conditionem retineant primae originis ex objectis sensibilibus. Dabimus plura num. IV. quo etiam in loco agemus de notionibus quibusdam immediate a Deo immissis.

Imperfectionibus demptis, quae mentis humanae corpori conjunctae insunt *judiciis*, et *ratiocinationibus*, cujusmodi sunt plurium actuum distinctio, eorumque compositio ac divisio, ac perplexitas et haesitantia, pares etiam *Angelo* vires conveniunt, et Animae rationali a corpore sejunctae. Naturalis *Angelica* cognitio *ab ejus incipit substantia* sive directe, sive reflexe cognita. Hinc vero in eas procedit notiones, quae sibi insunt, *entis*, *veri*, *boni*, *viventis*, *intelligentis*, *essentiae*, *existentiae*, *potentiae activae*, itemque *passivae*, similesque: resque alias cognoscit, quae nexum habent, aut cognationem, aut relationem. Innumera sunt, quae Angeli cognoscunt objecta per ideas, sive notiones, aut species a Deo receptas, ut ampliore sermone Theologi docent: at quocumque demum modo ea cognoscant, non alia tamen eorum est *cognitio naturalis*, nisi quae *modo suae naturae*, aut substantiae commensuratur.

Sui ergo ipsius, aliarumque rerum creatarum notionibus instructa creata mens, sive *angelica*, sive *humana*, gradum habet, quo ascendat in *notitiam Creatoris*. Hanc vocant cognitionem *consecutivam*, sive *ratiocinatione partam*. Modum ejus edocet Sanctus Thomas Libro I. contra Gentes Capite XII. „In rationibus, (inquiens) in quibus *demonstratur Deum esse*, non oportet *pro medio* assumi *divinam essentiam*, sive quidditatem; sed loco quidditatis accipitur pro medio *effectus*, sicut accidit in demonstrationibus *Quia*: et ex hujusmodi effectu sumitur ratio *hujus nominis*, *Deus*. Nam omnia divina nomina imponuntur vel *ex remotione* effectuum ab ipso, vel *ex aliqua habitudine* Dei ad suos effectus.“ Insunt nobis creaturarum notiones: earumque ex comparatione insunt nobis acquisitae quaedam *anticipationes*, aut *praecognitiones*: v. g. *non dari effectum sine causa*, *sine ordinante ordinem*, *motum sine motore*, *sine provisore aliquo destinationem ad finem*: regi corpus abs spiritu, a Principe administrari regnum, regi exercitum ab Imperatore, opus quodcumque fieri a distincto opifice. Hinc nos ipsos intuemur, ac mundum sub oculos positum, ac ea omnia quae nobis obversantur: simulque animadvertentes, res exstare quae non erant, quae motum recipiunt, quae ordinem exprimunt, quae certos diriguntur in fines; *ratiocinatione* concludimus, rerum earumdem dari causam, motus etiam principium, sapientiam ordinantem, provisorem dirigentem in fines, instar opificis opera sua producentis, aut Principis regnum gubernantis, aut Imperatoris dirigentis exercitum. Hinc tandem, *ex his effectis ratione sumpta hujus nominis*, *Deus*, colligimus *Deum existere*: quia ipse est *omnium effectuum suprema causa*, *omnium motuum primus motor*, *ordinator sapientissimus mundi*, in quo pulcherrimus ordo refulget: *provisor rerum omnium*, quae ad certos fines aptissime diriguntur: *Res*, et *Imperator totius universi*.

Sed *haec nomina* Deo *ex effectis* imponentes, duplici medio utimur, Thoma adnotante: *remotione effectuum ab ipso Deo*, et *aliqua habitudine ipsius Dei ad suos effectus*. Posteriore medio *aliquid affirmamus de Deo*: medio priore *de Deo negamus aliquid*. Removemus nempe ab ipso Deo imperfectiones omnes, quae insunt *causis creatis*, *creatoque motori*, *ordinatori*, *provisori*, *Regi*, *Principi*, *Imperatori*: ipsi vero

perfectiones omnes tribuimus, quas novimus in creaturis, cujusmodi sunt *agere*, *producere*, *movere*, *ordinare*, *regere*, *providere*. At istas etiam creaturarum perfectiones, quatenus modo limitato creaturis insunt, removemus a Deo. Rem totam paucis complectitur Sanctus Thomas Libro I. contra Gentes Capite III. „Intellectus nostri *secundum modum praesentis vitae* cognitio *a sensu incipit:* et ideo ea quae in sensum non cadunt, non possunt humano intellectu capi, nisi *quatenus ex sensibus eorum cognitio colligitur.* Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, ut *in eis divina essentia videatur, quid sit;* cum sint effectus, *causae virtutem non adaequantes.* Ducitur autem ex sensibilibus intellectus noster in divinam cognitionem, *ut cognoscat de Deo, quia est,* et alia hujusmodi quae oportet attribui primo principio:“ attribuendo scilicet, simulque removendo, ut superius dictum est. Jam patet *naturalis cognitio Dei,* quam adsequi valet intellectus humanus: tum primo acquisitam per comparationem ad res creatas, corporeas, et sensibiles: tum deinde imperfectam, et inadaequatam, utpote ex effectibus haustam, quae *causae virtutem non adaequant.*

Humana quidem perfectiorem, attamen absolute imperfectam, Dei notitiam hauriunt *Angeli*, et *anima separata*, ex se ipsis, aut ex propriae substantiae consideratione, et per comparationem ad ipsam. Hanc delineat Aquinas loco citato: „Cognoscit quidem *Angelus* Deum (inquiens) ex nobiliori effectu, quam homo: quanto *ipsa substantia Angeli*, per quam in Dei cognitionem ducitur *naturali cognitione*, est dignior rebus sensibilibus, ac etiam *ipsa Anima,* per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit ... Non autem *naturali cognitione* Angelus de Deo cognoscit *quid est:* quia et ipsa substantia Angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, non est *effectus virtutem causae adaequans.*“ Gemina sunt verba ejus eodem in Libro Capite VIII. „*Res sensibiles*, (et creatae,) ex quibus *humana ratio,* (et creata quaecumque mens,) cognitionis *(naturalis)* principium sumit, *aliquale vestigium* in se divinae imitationis retinent, videlicet quod *sunt*, et *bonae sunt;* ita tamen *imperfectum*, quod ad declarandam *ipsius Dei substantiam* omnino insufficiens invenitur. Habent enim effectus suarum causarum suo modo similitudinem, cum agens agat simile sibi; non tamen effectus ad perfectam agentis similitudinem semper pertingit. Humana igitur (ac creata) ratio ad *cognoscendum ... divinam substantiam* ita se habet, quod ad eam potest *aliquas veras similitudines* colligere: quae tamen (utpote ex creaturis infinitum dissitis desumptae) *non sufficiunt* ad hoc, quod *per sese intellectu comprehendatur,* (aut certe cognoscatur, cujusmodi est in se.)“

III. At vero *seipsum Deus per suam essentiam videt:* et haec est *naturalis cognitio in ipso Deo.* Ad hujuscemodi notitiam Dei *per suam naturam non possunt devenire creatae mentes,* (verbis utor Sancti Thomae in IV. Dist. IV. Qu. I. Art. I.) *cujus tamen sunt capaces, ut scilicet ipsum Deum in sua essentia videant, non per aliquam similitudinem receptam,* quae sumpta sit ex sensibilibus creatisque rebus. Beneficium requiritur extraordinarium, quod *supernaturale* dicitur, supra debitum omne omnemque mentis creatae exigentiam: in eoque

positum est, quod *seipsum*, ac *intima arcana sua* Deus manifestet per gratuitam revelationem, *claram* nempe *visionem in patria*, et *fidem in via*.

Tam sublime donum exponit Apostolus Paulus in Epistola I. ad Corinth. Capite II. v. 7. et 9. *Loquimur Dei sapientiam* ... *sicut scriptum est* (Isaiae Cap. LXIV. v. 4.) *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus illis, qui diligunt illum.* Hinc Sanctus Thomas colligit, cognitionem Dei, cujusmodi est in se, excedere naturalem facultatem mentis creatae in III. Dist. XXIII. Qu. I. Art. IV. Quaest. III. *In omnibus,* inquiens, *quae agunt propter finem, oportet esse inclinationem ad finem. Finis autem, ad quem divina largitas hominem ordinavit, scilicet fruitio sui ipsius, est supra facultatem naturae creatae elevatus: quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se, ut dicitur I. Cor. 2. Unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad illum finem.*

Apostolica verba uberiore commentario explanat Aquinas his verbis. „*Oculus non vidit.* Ostenditur, illam gloriam *visionis apertae* (seu cognitionis Dei, cujusmodi est in se) ab hominibus *ignorari dupliciter*. Primo, quod *non subjacet humanis sensibus,* a quibus omnis (aut fere omnis) humana cognitio initium sumit. Et ponit duos sensus: primo *visionis*, quae deservit inventioni; cum dicit, *quod oculus non vidit* ... Et hoc ideo, quia non est aliquid coloratum, et visibile. Secundo ponit sensum *auditus*, qui deservit disciplinae, dicens: *Nec auris audivit,* scilicet ipsam gloriam, quia non est sonus, nec vox sensibilis. Deinde excludit *notitiam ejus intellectualem*, (notitiam, inquam, ejus gloriae, cujusmodi est in se, ad quam adsurgere per ea, quae facta sunt, intellectus non valet.) Unde dicit: *Nec in cor hominis ascendit.* ... Proprie dicitur *in cor hominis ascendere* id, quod ab inferiori pervenit ad hominis intellectum, puta *a sensibilibus.* Res enim sunt in intellectu secundum modum ejus: res igitur inferiores sunt in intellectu altiori modo, quam in se ipsis; et ideo, quando ab intellectu capiuntur, *quodammodo in cor ascendunt.* Illa vero, quae sunt intellectu superiora, altiori modo sunt in se ipsis, quam in intellectu: et ideo quando ab intellectu capiuntur, *quodammodo descendunt.*"

Lucidior Aquinatis doctrina ut fiat, animadverte I. *Naturalem cognitionem*, quae menti creatae debita est, *angelicae*, sive *humanae*, aut a corpore separatae, aut cum eo conjunctae, fieri semper per eorum quae cognoscuntur, *ascensum in cor*, aut in intellectum, sive proprio sensu, sive latiore acceptum. Aut enim *corporea* et *sensibilia* sunt, quae cognoscuntur, adeoque mente inferiora: et haec sine dubio, quando ea percipit intellectus, *quodammodo in cor ascendunt.* Aut mens, sive *angelica*, sive *humana*, seipsam cognoscit, suasque cogitationes, et suos affectus: et haec, tametsi mente ipsa non sint inferiora, neque tamen superiora sunt. Si proprio rigidoque sensu non dicantur *ascendere* in intellectum, neque tamen ut intelligi queant, proprie *descendunt:* unde ad *connaturalia* mentis *objecta*, et ad *naturalem cognitionem* spectant. Ad istud genus ipse referendus est

Angelus, cum *rationali anima* comparatus, et Angelus *superior* cum *inferiori*. Sunt enim, ut inquiunt Theologi, *in eodem gradu entis*; tametsi diversam intra ipsum obtineant perfectionem.

Altera est animadversio: *Deum*, *resque divinas* ad ea pertinere objecta, quae vocat Sanctus Thomas *intellectu superiora*, *et altiora:* et quae *descendunt*, ut cognoscantur. At res divinae intelligi possunt imperfecte per comparationem ad res creatas, et *quoad an est* dumtaxat: ac etiam, favente Numine, *cujusmodi sunt in se*. Cognitio prior est *naturalis:* alteram nonnisi gratuito favore adsequimur, diciturque *supernaturalis*. In illa priore ita res divinae *descendunt* ad intellectum, ut simul etiam *quodammodo ascendant:* propterea quod *naturalis earum cognitio* ex his incipit, et hauritur, quae facta sunt; quae scilicet sunt *inferiora* mente, aut certe non superiora. Sed ea demum objecta, quae Deo conveniunt *cujusmodi est in se*, nullo modo *ascendunt in cor*, sive intellectum, sed omnino *descendunt*. Non *ascendunt*, cum ea per sese altiora sint mente creata: eorumque notitia haud hauriri ulla potest ex iis *quae facta sunt*, et quae menti creatae sunt *connaturalia*. Dicuntur vero *descendere*, quia eorumdem objectorum cognitio non habet ortum, nisi *ex gratuita divina revelatione*, quae debitum omne, et omnem exigentiam creatae mentis, et creabilis longissime excedit. Quamquam vero adnotandum est, eadem objecta, cum *descenderint* ad intellectum, ac visione clara in patria cognoscantur, et fide obscura in via, in *ipsa visione clara* percipi ab intellectu creato, utique *cujusmodi sunt in se*, attamen modo longe inferiori, finitoque: ac praeterea *fide* attingi, ab *Angelo* quidem, cum erat in via, per comparationem ad seipsum; ab *homine* vero, per comparationem etiam ad sensibilia.

Gratuitum divinae revelationis favorem, a quo pendet *cognitio Dei, cujusmodi est in se*, sequitur Paulus Apostolus loco citato exponere v. 10. *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* „Spiritus enim Dei, verba sunt Aquinatis in Commentario, non solum res creatas, sed etiam *profunda Dei perfecte cognoscit.* Dicuntur autem *profunda* ea, quae in ipso *latent:* et non ea, quae de ipso *per creaturas* cognoscuntur, quae quasi *superficietenus* videntur esse.“ Sunt ergo *profunda Dei*, Deus ipse ac divina quaeque, cujusmodi sunt in se, ac omnia divinae sapientiae consilia, et voluntatis decreta. Haec nobis non innotescunt, nisi Deo gratis revelante *per Spiritum suum.*

Quod ait, aptissimo Paulus comprobat exemplo v. 11. *Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei.* Secreta cordis humani nonnisi abs spiritu hominis, qui novit ea, et quidem gratuito favore, manifestantur aliis: tametsi eadem, cum manifestata fuerint, naturali cognitione intelligantur ab hominibus, utpote nativo lumini proportionata. Ita sine dubio ea, quae sunt Dei, *cujusmodi sunt in se*, non alio modo, nisi *revelante Spiritu Dei* innotescunt, gratuito ejusdem Spiritus favore: eademque manifestata, cum nativum lumen longissime excedant, *cognitione* intelliguntur, quae sicuti est supra debitum omne creatae mentis, ita dicitur *omnino gratuita*, et *supernaturalis* appellatur.

In ipsa *naturali* rerum divinarum, *quoad an est*, cognitione, quae per ea comparatur quae facta sunt, locum habet *gratuitus aliquis favor Dei;* sed hunc longe lateque excedit gratuitus favor ille, quo seipsum ac sua, *cujusmodi sunt in se*, dignatur hominibus ac mentibus creatis Deus revelare, ac manifestare. Discrimen adsignat ibidem Sanctus Thomas. „*Ea, quae sunt Dei*, possunt esse nota homini *per sensibiles* (aliosque creatos) *effectus*, secundum illud Sapientiae XIII. *A magnitudine speciei, et creaturae cognoscibiliter poterit creator horum videri.*" Haec rerum divinarum cognitio est *naturalis*, quae a creatis effectibus originem sumit, et ad cognoscenda divina *quoad an est* adsurgit. Dici etiam potest, eam *divina quadam* inniti *revelatione*, et *manifestatione*, quam Apostolus proponit ad Romanos: *Deus autem illis manifestavit: invisibilia enim ipsius per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Alia sunt secreta Divinitatis, aut *profunda Dei*, divina scilicet quaeque, *cujusmodi sunt in se:* quae per ea, quae facta sunt, innotescere nullo modo possunt. „Sed *Spiritus sanctus*, qui est in ipso Deo, utpote Patri et Filio consubstantialis, *secreta divinitatis* per seipsum videt. Cum vero dicit Apostolus: *Nos autem . . . accepimus Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis:* ostendit, quomodo cognitio Spiritus sancti participatur, dicens: licet nullus hominum *per se* (aut per ea quae facta sunt) possit scire quae sunt Dei, (*cujusmodi sunt in se;*) nos autem *accepimus Spiritum*, qui ex Deo est, *ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.*" Itaque donum Dei est, et favor, et gratia, quod seipsum, atque sua, *cujusmodi sunt in se*, voluerit nobis per Spiritum suum manifestare, et revelare. Favor etiam est, et *beneficium quoddam*, quod se suaque aliquo modo Deus manifestet *per ea, quae facta sunt:* et haec Dei gratia non distinguitur *a gratia creationis*. At ab hujusmodi creationis gratia longe differt prior illa gratuita revelatio, omnemque superat creatae, et creabilis mentis exigentiam.

IV. Satis utramque Dei cognitionem, *naturalem* per ea quae facta sunt, ac *supernaturalem* a libero et gratuito Dei favore pendentem, Scripturarum sententiis, ac Thomae Aquinatis doctrina delineavimus. Num varia, quae feruntur, negotium facessant, Philosophorum placita, qui vel *ideas innatas* invexerunt: vel *intellectuale lumen omne* repetunt ab *essentia divina*, quae menti creatae se exhibens intuendam, aut se *immediate repraesentat*, aut rerum aliarum intelligibilium *archetypa idea* est?

Innatas ideas intelligunt *perceptiones* menti creatae ab initio *ingenitas:* quae *ideae* dicuntur, quatenus rerum intelligibilium sunt similitudines, expressiones, et repraesentationes; dicuntur vero *perceptiones*, quatenus intelligibilia cognoscunt. Philosophicum illud inficiantur dogma, quo *nihil esse in intellectu* adseritur, *quin prius fuerit in sensu.* Ad sensum inquiunt pertinere, vel per sensum advenire *ideas qualitatum sensibilium*, dictas *adventitias*, propterea quod objectis exterioribus in sensum agentibus, praesto sunt menti perceptiones eorum, idest *sensationes*. Ad *ideas innatas* referunt *intelligibilia* quaeque objecta, quae sub sensum non cadunt: ideasque demum

factitias distinguunt, quas ipsa mens, ideis innatis instructa et adventitiis, quodammodo fabricatur. Sunt vero intelligibilia objecta, notiones *entis* ejusque attributorum modorumque, *essentiae, existentiae, unitatis, veritatis, bonitatis, perfectionis, pulchritudinis, durationis, ordinis, proportionis*, similesque: sunt etiam specierum quodammodo entis notiones, *spiritus* et *corpus*, *cogitatio* et *extensio*, *Deus* et *creatura:* sunt denique notiones ipsius Dei, ejusque attributorum, *perfectionis omnimodae, infiniti, aeterni, immutabilis &c.*

Perceptionem distinguit ab *idea* Nicolaus Malebranchius: illamque ad *mentem* refert, hanc ad *objectum*. Quatuor invehit *cognoscendi modos*. Primus est, quo *res in seipsa cognoscitur*, nulla mediante ipsius rei aut idea, aut imagine, aut specie, quae ab ipsa re distinguatur: quo pacto *seipsum* Deus cognoscit, nosque Deum novimus utcumque se menti nostrae exhibentem. Modus alter cognitionis dicitur *per ideam claram*, a re quae cognoscitur distinctam. Hanc putat Malebranchius nihil aliud esse, quam *ipsam divinam essentiam: quatenus secundum aliquem similitudinis modum* (ut ait Aquinas I. P. Qu. XV. Art. II.) *participabilis est a creaturis.* In ea namque eminenter continentur omnia, quae creata sunt: cur ergo intelligibili modo non omnia repraesentet? Hac potissimum ratione autumat ille, *extensionem* sive *corpora* intelligi, quaeve omnia extensioni insunt, *divisibilitatem, mobilitatem, figuram, numerorum proportiones:* adduntque alii *spiritus creatos*, ipsorumque modos et affectiones. Sunt aliae quoque notiones, *entis, ac perfectionis, durationis infinitae, infinitatis, immensitatis, unitatis perfectae, summae bonitatis, veritatis sempiternae:* quas a nobis cognosci censent alii in *essentia divina* priore modo a nobis cognita, aliique malunt *per ipsam essentiam divinam* modo posteriore, veluti *per ideam*. Tertio cognitionis modo, quem vocant *per conscientiam*, sive *per intimum sensum*, seipsam novit mens humana, suasque cogitationes et affectiones: et quarto demum modo *per conjecturam*, sive per ratiocinationem cognoscimus aliarum mentium creatarum existentiam, *Angelos*, et *rationales animos* conjectando tales esse, quales nos esse conscii nobis sumus; quamquam aliorum sententia videtur esse, naturam nostrae mentis, et Angelorum utcumque intelligi per *notiones entis, et spiritus*, ut superius dictum est. Hisce fere verbis hanc novam Psychologiam exhibet Edmundus Purchotius in Metaphysica Parte II. Sectione II. Capite IV.

Hinc *triplicem*, quae nobis inest, facultatem distinguunt: *Rationem, Imaginationem* seu *Phantasiam*, et *Sensum*. Hic *sensibiles qualitates* percipit, colores, odores, sonos, pro varia objecti sensibilis praesentis actione in organa. Rerum earumdem sensibilium, etiam absentium, *similitudines, diversitates, convenientias, nocumenta*, attingit facultas altera: ac prima demum tum res corporeas abstractas, tum etiam spirituales cognoscit.

Hujusmodi opinionum penitiores hoc loco stirpes haud licet scrutari. Animadvertendum illud est, neque praedictas Philosophicas opiniones tales esse, neque consilium Auctorum eo tendere, ut *nativum* creatae mentis lumen, aut *cognitionis naturalis* virtus ultra limites provehatur, quos num. II. constituimus. Ac primo experimento constat,

vix quicquam nos mentis acie intueri posse, quin phantasmata vel procurrant, vel subsequantur: excitant certe, admonent; atque ex iis omnis fere nostra cognitio ducit initium (vel ab iis idearum, si quae sunt innatae, dependet explicatio). Judicium est Jo. Baptistae Duhamel Libro I. de Mente humana Cap. II. num. IX. „Unde enim *universales* rerum notiones, nisi ex sensibus colligimus? Quod si ideas menti impressas gerimus; quid illas potissimum *determinat*, nisi eorum quae in conspectu sunt, *per sensus acceptae imagines?* Quid aliud mentem admonet, ut *complicatas rerum notiones explicet*, nisi *phantasma*, quo intellectus ad intelligendum impellitur? Ne sim longus: res quae sunt praesto animo, ut *cogitatio ipsa*, *regulae aeternae veritatis*, atque ea demum omnia, quae non aliter cum adsunt, aliter cum absunt intuemur: haec, inquam, *per phantasmata* non intuemur; sed tamen *cum aliquo phantasmate* illa percipi putem. Sunt enim *intellectus*, et *imaginatio*, velut duo animae oculi, qui naturali quadam consensione simul operantur. Hoc sane modo Peripatetici cum Platonicis (cum Cartesianis, aliisque) facili conciliari possunt: non quod omnis actio mentis *ex phantasmate* dependeat; at vis imaginatrix feriari non potest, cum intellectus in rem aliquam intendit; sed ea sese agitat, et movet, ut menti laboranti succurrat. Atque haud scio, an quicquam intellectus moliri possit, nisi saltem ab imaginatione lacessitur. Ac ne illud quidem vere dici potest, *phantasmata* omnino a *veritatis*, et *rerum aeternarum intuitu* nos avocare: sunt enim, ut loquitur Augustinus, *veluti gradus*, quos nobis divina providentia fabricare dignata est, quibus nobis utendum est a *mutabilibus* numeris ad *immutabiles*, hoc est *formis visibilibus ad invisibiles* perveniamus.“ In ea, quam exposuimus num. II. humanae cognitionis prima origine ex sensu, et sensibilibus, non ita res intelligi debet, acsi id omne, quod mens cognoscit, sit materiale et sensibile, illudque cognoscat *per phantasma.* Immo sensationibus, et phantasmatibus instructa mens facultate pollet, ut per reflexionem notiones universales adsequatur, immo et in notitiam rerum spiritualium, atque divinarum adsurgat; eademque tamen intelligat *cum phantasmate*, aut *per comparationem ad phantasmata,* sin minus proxime, saltem mediate, et remote.

Equidem vero quid est, quod repraesentent *ideae*, quae nobis insunt? Rerum utique *spiritualium*, et divinarum imperfecta repraesentatio est: has enim intelligimus *quoad an est*, non *quid sint:* nec eas proprie intuemur, sed *per discursum* attingimus, perfectiones quae nobis insunt eisdem attribuendo, simulque removendo imperfectiones. Perfectior est *Angeli*, et *animae separatae* cognitio; sed *modus cognoscendi* (v. g.) *Deum*, *Angelo* (et animae separatae) *connaturalis*, *est*, *ut cognoscat eum per similitudinem ejus in ipso Angelo* (et anima separata) *refulgentem*, id est, haec Angelica cognitio Dei incipit a cognitione sui ipsius; indeque adsurgit in Deum, non ita acsi per seipsum Angelus Deum cognoscat; sed per comparationem ad seipsum, vi reflexionis supra seipsum, colligat dari Deum, removendo imperfectiones, perfectionesque tribuendo quas novit.

Irrito conatu opponas, ideas inesse nobis, aut perceptiones *infiniti*, *summe perfecti*, *durationis aeternae*, *immensitatis*, *ac* similes.

Fallere nos nisi velimus, fateamur oportet, praedictas rationes omnes percipi a nobis, quatenus aliquo modo insunt creaturis, et ex creaturis deduci possunt; minime, *cujusmodi sunt in creatore.* Hinc vero *infinitum, perfectissimum, aeternum, immensum* nos attingimus *negative,* ut inquiunt, non *positive.* Rem scilicet *finitam* novimus, at novimus etiam, plures eidem, pluresque addi posse aut *perfectionis* gradus, aut *durationis et extensionis* partes, quin additionis terminus innotescat; quod est *perfectissimum*, et *infinitum*, et *immensum* pro modulo nostro cognoscere. Rationes hujuscemodi *per cognitionem naturalem* attribuimus Deo: non ejus perfectionis, et infinitatis, ac immensitatis, et aeternitatis modum proprium, *cujusmodi sunt in se*, positive cognoscentes; sed perfectionis cujusque, quae menti obversatur, limitationem a Deo removentes. Aliquid amplius dabimus numero sequente.

Sed ipsa demum *essentia Dei* seipsam menti creatae manifestet, ut Malebranchio placet: eademque menti uniatur ipsa, instar *imaginis archetypae* res alias repraesentantis. *Posteriore modo* divina essentia consideratur, *quatenus secundum aliquem similitudinis modum participabilis est a creaturis:* unde creaturae sunt rationes omnes, ad ipsam quod attinet repraesentationem objectivam, quas in eadem *archetypa idea* conspicimus. Ex hisce vero desumptum lumen ad Deum cognoscendum, non aliam ipsius cognitionem efficit, nisi *per ea quae facta sunt. Modo priore* seipsam quidem menti creatae conspiciendam immediate offert divina essentia; ac rationes aliquas manifestat, quae sunt propriae Dei, *summam perfectionem*, *infinitatem*, *immensitatem*, *aeternitatem.* Attamen rationes istae, ad efformandam *cognitionem naturalem*, conspiciendae praebentur *inadaequate*, *imperfecte*, *obscure, confuse,* ac potius *quoad an est:* naturae scilicet, et modo ipsius creatae mentis, ut dicebamus, commensuratae, ac veluti demum phantasmatibus indigae, ut explicentur. Quovis itaque modo *naturalis cognitionis* explicetur *origo;* gradibus, viribusque caret ea, queis ad ea scrutanda pertingat, quae sunt *profunda Dei*, ad ipsum scilicet Deum cognoscendum *cujusmodi est in se.*

V. Tametsi vero humanae cognitionis originem primam sumat Doctor Thomas a sensu, et sensibilibus objectis; doceatque, intellectum pro viribus, quibus pollet reflectendi, comparandi, abstrahendi, ratiocinandi, in alias rerum etiam spiritualium et divinarum notitias devenire: attamen notiones aliquas admittit, e rebus sensibilibus creatisque non depromptas, verum a Deo immissas, et impressas. Quaenam vero illae sint, quae *ad Deum* pertinent, sic declarat I. P. Qu. II. Art. I. ad 1. *Dicendum, quod cognoscere, Deum esse in aliquo communi sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, inquantum scilicet Deus est hominis beatitudo.* Par est ejusdem doctrina 1. 2. Qu. IX. Art. VI. ad 3. *Dicendum, quod Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.* Confusas hujusmodi notiones extricat, et explicat homo reflexione supra seipsum, et alia quae versantur objecta, ac inde sumpto ratiocinio: unde sequitur ibidem Thomas: *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens*

bonum; immo se etiam determinat ad judicandum de hoc vel illo, quod est vere bonum, vel apparens bonum, in particulari. Nihil habent hujuscemodi confusae notiones, tametsi Deum et divina implicent, quod connaturalem cognoscendi modum excedat.

Falli egregie Scholasticorum nonnullos existimaverim ego, qui *bonum illud commune*, aut *beatitudinis rationem communem*, cujus tum notionem, tum amorem nobis inprimit Deus, ita exponunt, ac si *universalis*, et *abstracta quaedam* notio foret, quam *ex singularibus bonis*, quae vere talia sunt, aut apparent, intellectus abstrahentis opera, sibi homines efforment. Hinc etiam falluntur sine dubio, cum putant, praedictam *boni* rationem esse *communem bono vero, et apparenti*, veluti duabus speciebus: ex eodemque bono procedere, *veluti aequaliter*, intellectum, et voluntatem, in judicium, et amorem veri boni in particulari, et apparentis. Immo praedicta *boni*, aut *beatitudinis communis* notio rationem complectitur veri ac solidi boni, aut verae solidaeque beatitudinis: suaque illa in *confusione* involvit ipsum *Deum*, ut Aquinatem docentem audivimus. Quomodo enim *boni notionem*, aut *ideam* mentibus hominum imprimeret Deus, *bono vero, ac bono apparenti*, quod est vere malum, *communem?* Imprimit sine dubio *notionem veri boni*, quod est ipse Deus sub *confusa boni aut beatitudinis* ratione: qua primum et amplissimum constituitur, quod inest hominibus, *immobile ac uniforme et certum humanarum actionum principium.* Hac vero impressa communi notione boni, impressoque ejus amore feruntur homines proprie, ac *directe* ad amanda bona particularia, quae vera sunt: et hunc influxum sequuntur ii, qui per rationem, aut certe gratia Dei adspirante, communem boni aut beatitudinis notionem constituunt in *virtute*, in *honestate*, atque demum *in Deo:* ab eoque deflectunt, qui bona apparentia ac peccata amplectuntur, rationem boni ac beatitudinis, inconsiderato aut errante judicio, rebus adplicantes, in quibus non est.

Hanc impressionem a Deo fieri, cum *ad usum rationis* pervenit homo, Thomae sententia est. Quod si quispiam velit, hanc beatitudinis notionem a Deo hominibus immitti ab ipso eorum ortu, sine tamen facili, et prompta, et expedita ante rationis usum reflexione, per me licet. Philosophi vero sunt, qui mentis essentiam in *actu intellectionis* constituunt: quid illud vero sit objectum, quod hac *primaeva, et essentiali intellectione* cognoscitur, perquirunt. Quidni fuerit *confusa cognitio entis, boni, veri;* et hanc comitetur *boni communis*, aut *beatitudinis in communi amor?* Corpori mens conjuncta statim *sensationibus* afficitur: neque statim valet, reflexione supra se, suasque sensationes, ac objecta sensibilia, intra se latentem quam habet notionem *entis, veri, boni, beatitudinis* explicare, ac distincte percipere. *Usu rationis*, qui dicitur, opus est: quo mens sensationibus excitata, suisque reflexionibus instructa efficitur capax, ut implicatas praedictas communes, confusasque notiones explicet, rebusque attribuat quibus conveniunt. Levissimum specimen tene amplioris dissertationis. Dabimus plura Cap. XXXIV. num. II. et III.

CAPUT XXXIII.

Duplex etiam Dei amor, naturalis, et supernaturalis: ille amor Dei cogniti per ea quae facta sunt, iste cogniti cujusmodi est in se, per gratuitum divinae revelationis favorem. Hic amor proprie amicabilis, ut ajunt, non ille. Alia inter utrumque discrimina praecipua.

I. Ex duplici praefata cognitione *duplex* oritur amor Dei: *amor* ejusdem, *per ea quae facta sunt cogniti: et amor, quem dirigit gratuita revelatio Dei*, visio scilicet clara in caelis, et fides in via. Primus *naturalis* est, *supernaturalis* dicitur alter. Utroque namque modo cognitus Deus habet illicia bonitatis, quae dilectionem exposcunt. Utrumque delineat Thomas 1. 2. Qu. CIX. Art. III. Art. I. *Natura diligit Deum super omnia, prout est principium, et finis naturalis boni: caritas autem* (idest amor supernaturalis) *secundum quod est objectum beatitudinis* (in seipso clare visum) *et secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo.* Paria sunt, quae docet Quodl. I. Art. VIII. ad 1. *Diligere Deum, prout est principium totius esse, ad naturalem dilectionem pertinet; sed diligere Deum, prout objectum beatitudinis* (clarae scilicet visionis in caelis), *est gratuitae dilectionis.*

Amorem primum satis indicat Apostolus loco citato ad Romanos Cap. I. v. 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur;* v. 21. *itaut sint inexcusabiles, qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Nempe *dupliciter* (naturali cognitione) *Deum* (Gentes) *cognoverunt* (ut ait Aquinas in Commentario): *uno modo, sicut omnibus supereminentem: et sic ei debebant gloriam, et honorem .... Secundo cognoverunt eum, sicut omnium bonorum causam: unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur.* Quae duo erga Deum officia complectuntur amorem ipsius Dei, Auctoris naturae, largitoris bonorum naturalium, eorumque omnium finis. De requisitis viribus, quibus diligere Deum hoc modo cognitum possent Gentes in hoc naturae lapsae statu, diligentissime pertractant Theologi nostrates.

Amorem alterum haec alia exhibent Apostoli verba in Epist. I. ad Corinthios Cap. II. v. 9. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Hanc dilectionem idem Apostolus ad Romanos Cap V. v. 3. vocat *Caritatem Dei diffusam in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: per Spiritum scilicet, qui *Dei profunda* manifestat gratuita revelatione. Sublimia Spiritus sancti dona enumerat plura in Epistola I. ad Corinthios Cap. XII. simulque admonet v. 31. *Charismata dari meliora:* quae appellat Capite insequente XIII. v. 13. *Fidem, et Spem,* sed his *majorem Caritatem.* In Epistola ad Galatas Cap. V. v. 6. *Fidem* vocat, *quae per caritatem operatur:* et v. 22. primum inter *fructus* Spiritus sancti numerat *Caritatem.* Ephesiis demum Cap. VI. v. 23. *Caritatem* adprecatur *cum Fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo.* Quibus in locis dilectionem Dei proponit Apostolus, quam *gratuita revelatio* dirigit, quam infundit specialis Dei Patris et Filii operatio, inspiratioque Spiritus sancti. Hanc *supernaturalem* vocamus dilectionem Dei, *cujusmodi est in se*, clara visione cogniti in patria, fide crediti in via.

II. Utriusque amoris primum essentiale discrimen habes: quod alter sit *cum natura connexus*, ac viribus naturae per sese spectatae proportionatus; omnino *supra naturam*, ejusque vires alter. Sequitur discrimen aliud insigne, quod plerique Theologorum adsignare solent inquientes: amorem naturalem dici posse veluti *servilem*, quo rationalis creatura amat Deum lumine naturali cognitum, *ut optimum Dominum;* supernaturalem vero esse *amorem amicabilem*, seu amicitiae, et *filialem*, quo Deus diligitur *ut amicus*, et *pater*, qualem se divina revelatione ipse manifestavit. Dominici Bannez verba refero, ac documenta, quae habentur 2. 2. Qu. XXIII. Art. I. in Commentario. Tertiam statuit Conclusionem: *Inter Deum*, *et homines non aliam amicitiam esse veram et propriam, praeter supernaturalem.* Theseos rationes affert: „Quia *ex cognitione rerum sensibilium* (creatarumque omnium) non potest homo talem operationem assequi, quae *cum ipso Deo immediate conversatio sit*.... Quia *lumine naturali* non revelat nobis Deus liberaliter, et gratuito *aliquod secretum:* ergo mediante tali cognitione non est propria amicitia hominibus cum Deo.... Quia tametsi cultus, et gratiarum actio debeantur Deo, quatenus est *Dominus*, et *gubernator universi*, praesertim hominum; nihilominus haec rationalis creaturae operatio non est proprie amicitia. V. g. non omnes subditi Regis, qui tenentur ipsum honorificare, et amare, sunt, aut esse possunt amici Regis; sed illi potius dicuntur *amici*, quos ipse Rex specialibus muneribus, aut *conversatione sua*, aut *secretorum communicatione*, ad sui amicitiam praeparat, et attrahit." Paria sunt, quae frequentius docent in Scholis Theologi.

Homo utique vel Angelus, titulo creationis, sui Creatoris opus est, suique Domini servus: unde Angeli, et hominis natura jus habet nullum, ut sibi Deus sit amicus, et ipse in filium Dei adoptetur, consors efficiatur arcanorum ipsius, ac hereditatem capiat Divinitatis. Ratione vero, et intellectu cum Angelus et homo potiantur; id exposcunt natura sua, ut cognoscere valeant Deum, ipsumque amare cognitum per ea quae facta sunt, tamquam Creatorem, et Dominum, et bonorum naturalium supremam causam, et finem denique omnium. Tametsi praeterea creationis titulo, et natura sua, servus Dei sit sive Angelus, sive homo; ipsum tamen Deum, cum Dominum pulcherrimum agnoscant, justum, sapientem, liberalem, bonum, ac bona plurima servo retribuentem, non solum timere, verum etiam diligere tenentur. Haec nempe sunt, quae Angelorum, et hominum natura, veluti consentanea et connexa quaedam, exposcit. Ad ordinem sublimiorem, qui gratuito pendet ex favore Dei, caetera pertinent filiationis adoptivae, et amicitiae munera, hereditas Divinitatis, et notitia profundorum Dei.

Praesto sunt Scripturarum testimonia. Jesu Christi verba affero ex Joanne Capite XV. v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus:* (ecce naturae creatae conditionem.) *Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis:* (haec est gratiae largitas supra naturae cujusque creatae jura.) Ait etiam Paulus Apostolus ad Romanos Capite VIII. v. 14.

et seqq. *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii, et heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Et in Epistola ad Galatas Capite IV. v. 6. *Misit Deus spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed filius: quod si filius, et heres per Deum.* Eadem est Petri Apostolorum Principis doctrina in Epistola II. Capite I. a v. 2. *Gratia vobis, et pax adimpleatur in cognitione Dei, et Christi Jesu Domini nostri: quomodo omnia nobis divinae virtutis suae, quae ad vitam et pietatem donata sunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria, et virtute; per quam maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae.* Ait demum Joannes, quem diligebat Jesus, in Epistola I. Capite III. v. 1. et seqq. *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus... Carissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.*

Consentiunt Ecclesiae Patres, pleno calamo scribentes: servam naturam nostram gratuito favore Dei ad sublimia dona gratiae sublimatam fuisse. Divinae benevolentiae *largitates* vocat Joannes Chrysostomus in Homilia ad Neophytos *sanctitatem, adoptionem, hereditatem.* Cyrillus Alexandrinus Libro I. in Joannem Capite XIII. *Creatura cum serva sit*, (inquit) *nutu solum et voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* Et Capite XIV. *Qui fide Christi in adoptionem filiorum vocati sunt, humilitatem naturae suae deposuerunt: et honorantis Christi gratia, quasi splendida induti purpura, ad supernaturalem dignitatem ascendunt.* Et infra: *Magnitudo gratiae ostenditur, quae alienos Deo conjungit, et Dei filios facit: et servis nobilitatem Domini ex caritate largitur.* Gemina leguntur quamplura apud Augustinum. Rem totam complectitur brevis illa sententia, quae legitur Libro III. contra Maximinum Capite XV. *Homo ad Dei similitudinem factus, non est verus filius: et ideo fit gratia filius, qui non est natura.* Hinc vero, quoniam Angeli, et primus homo ab initio haec munera Dei, et non solum naturam acceperunt, vulgatum est illud Augustini dictum Libro XII. de Civitate Dei Capite IX. Deum *condidisse naturam,* et simul *largitum esse gratiam.* Ait demum S. Thomas locis num. superiore citatis: ad *gratuitam dilectionem* pertinere, quod Deum diligat, *secundum quod est objectum beatitudinis*, (idest clarae visionis ejusdem, cujusmodi est in se,) *et secundum quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo.*

III. Alia profero inter utrumque amorem, quae adsignari solent discrimina. Suos uterque perfectionis gradus habet: ipsumque attingit uterque gradum, quo dilectio Dei evadit *super omnia.* „Quae verba *non aequaliter* accipienda sunt in uno amore, sicut in altero, (animadvertente Francisco Sylvio 1. 2. Qu. CIX. Art. III.) sed cum proportione: itaut in *amore naturali* intelligatur dilectio Dei *super omnia,* quae continentur in ordine naturali; et in *amore gratuito,* seu *super-*

naturali intelligantur *omnia absolute*, cujuscumque sint ordinis, sive naturalis, sive supernaturalis. (Item) *Naturalis dilectio Dei super omnia*, si secundum se consideretur, includit voluntatem servandi omnia mandata, non *simpliciter*, sed naturalis ordinis; et consequenter de se tantum vult vitare peccata omnia his praeceptis contraria. At *dilectio Dei, ut largitoris donorum supernaturalium*, includit voluntatem servandi omnia praecepta *simpliciter*, etiam illa quae sunt supernaturalia. (Hinc) intelligi potest, eam dilectionem quae est Dei solum ut *Auctoris bonorum naturalium*, non esse *super omnia simpliciter*, sed *secundum quid:* quia cum sit inferioris ordinis, non extenditur ad ea, quae sunt ordinis superioris. At amor *gratuitus*, et *supernaturalis*, cum sit superioris ordinis, complectitur omnia cujuscumque ordinis, quatenus possunt quocumque modo avertere a Deo, vel ad Deum ordinari."

Jam primo colligendum est, in hoc elevatae naturae statu, *supernaturalem* amorem Dei veluti continere amorem alterum *naturalem*, ipsumque ordine et perfectione excedere. Se habet veluti Sol lucidissimus, ad modicum lumen faculae comparatus. *Amore gratuito* ita diligimus Deum, ut ipsum diligamus tum quatenus gratuita revelatione innotescit, *sicuti est in se;* tum quoad omnes etiam bonitatis rationes, quae nativo lumine cognosci possunt, eo vel maxime quod etiam istas in divina hominibus facta revelatione continentur. 2. In hoc eodem *naturae elevatae* statu nihil repugnat, quominus praeter *supernaturalem* dilectionem, *naturalis* etiam amoris Dei actum exseramus: qui magis perfici posset nobiliore circumstantia finis ultimi supernaturalis, ad quem ordinaretur *ex intentione operantis*, ut ait Sylvius loco citato in solut. Argumenti VII.

CAPUT XXXIV.

Duplex beatitudo juxta duplicem cognitionis Dei, ejusque dilectionis medum. Beatitudo exponitur secundum rationem communem, ut inquiunt, et secundum specialem rationem. Beatitudo prior implicite est ipse Deus. Adsignari nulla repugnantiae ratio potest, quominus rationalis creatura condi potuerit, ad solam ordinata beatitudinem naturalem.

I. *Cognitione*, et *amore* finem suum, suamque beatitudinem consequuntur creatae mentes. Non alia est, quae dicitur *Objectiva*, nisi *Deus;* ea vero, quam *Formalem* appellant, in cognitione ipsius Dei, ejusque amore consistit. Subtilem praetereo quaestionem, quae ad examen vocat, an *cognitio* primum locum in beatitudine teneat, an *amor;* an utriusque par ratio esse debeat. Atqui Deus vel per ea solum, quae facta sunt, innotescit; vel etiam per gratuitam revelationem, cujusmodi est in se. Hinc duplex beatitudo, sive quae *Objectiva*, sive quae *Formalis* dicitur: *naturalis* altera, et altera *supernaturalis.* Ad hanc, in hypothesi vera praesentis providentiae, sublimatam credimus naturam humanam; illa vero etiam locum habet, quae rursum ordinatur ad sublimiorem, ut in calce superioris capitis adnotabamus. Num ad eamdem dumtaxat ordinari natura creata

rationalis, pro suae lubito voluntatis, a Deo potuerit, ad contemplationem scilicet Dei per ea quae facta sunt, ejusdemque hoc modo cogniti amorem, diligentius discutere, et exponere jam pergo.

Supra creatae mentis conditionem, et ordinem, ac jura, et vires attollitur *beatitudo*, quae Deus est, *cujusmodi est in se* cognitus; naturae modum non excedit altera *beatitudo*, quae Deus est, *per ea* cognitus, *quae facta sunt*. Priorem partem Capitibus superioribus confecimus. Apostoli documenta iterum perstringere satius fuerit: quo teste ad Romanos Capite I. v. 19. *quod notum est Dei*, (sive quod naturali cognitione percipi de Deo potest,) *manifestum est illis*, (scilicet Gentibus:) *Deus enim in illis manifestavit.* At quo demum fiat modo haec naturalis Dei manifestatio, docet Apostolus v. 20. *Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas.* Ascendere per creaturas ad Deum mens creata valet: receptoque a creaturis lumine, Deum cognoscit exstantem, rerum omnium conditorem, summum bonum, perfectissimum, retributorem. Longissime a Deo creaturae distant, ejusdemque sunt effectus, virtutem causae non adaequantes: unde perfectam Dei ejusque attributorum similitudinem non exprimunt, neque ipsum ejusque attributa patefaciunt, *cujusmodi sunt in se*. Adhuc ergo manent *profunda Dei*, eodem Apostolo animadvertente in Epistola ad Corinthios prima Capite II. v. 9. *Quae oculus non vidit, nec auris audivit: eaque in cor hominis non ascendunt*, ut nativo lumine cognosci queant. Attamen haec *profunda Dei*, Deus ipse, et ejus attributa, cognoscenda *cujusmodi sunt in se*, a Deo *praeparata sunt iis, qui diligunt illum.* Haec illa est beatitudo, rationali creaturae in praesenti statu parata, et promissa. Non est quidpiam *notum Dei*, et *manifestum nobis*, *per* ea quae facta sunt: *profundum Dei* est, quod solus *Spiritus Dei*, *qui scrutatur omnia*, *revelavit nobis*.

Hanc revelationem profundorum Dei dicat nemo creatae menti ullo modo debitam. Jus inest illi, ut suum Auctorem agnoscat: modo tamen suae naturae consentaneo, ut *per seipsam*, perque ea *quae facta sunt*, in ejusdem notitiam ascendat. Haec vero notitia Dei, ejusque ita cogniti amor naturalem efficiunt beatitudinem. Utramque splendidissime declarat S. Thomas I. P. Qu. LXI. Art. I. „Nomine *beatitudinis* intelligitur *ultima perfectio* rationalis, seu intellectualis naturae: et inde est, quod naturaliter desideratur, quia unumquodque naturaliter desiderat suam ultimam perfectionem. Ultima autem perfectio rationalis, seu intellectualis naturae *est duplex*. Una quidem, quam possunt assequi *virtute suae naturae:* et haec *quodammodo beatitudo*, vel felicitas dicitur. Unde et Aristoteles perfectissimam hominis contemplationem, qua optimum intelligibile, quod est Deus, contemplari potest in hac vita, dicit esse ultimam hominis felicitatem. Sed super hanc felicitatem est *alia felicitas*, quam in futuro expectamus; qua *videbimus Deum sicuti est:* quod quidem est *super cujuslibet intellectus creati naturam.* Sic igitur dicendum est, quod quantum ad *primam beatitudinem*, quam Angelus assequi *virtute suae naturae* potuit, fuit creatus beatus . . . Sed *ultimam beatitudinem*, quae *facultatem*

naturae excedit, Angeli non statim a principio suae creationis habuerunt." Paria docet ille Qu. de Anima inter Disputatas Art. XVI ad I.

Digna sunt animadversione verba illa, *Et haec quodammodo beatitudo, vel felicitas* dicitur. Mens est Aquinatis, *beatitudinem naturalem*, quae in praesenti naturae elevatae statu ad aliam sublimiorem ordinatur, imperfectam considerari et esse, satisque diminutam, ac potius *quodammodo beatitudinem*. Supernaturalis namque beatitudinis ea est perfectio, et plenitudo, ut possibilis alia perfectior, quae creatae menti concedi queat, dari non possit. Quo posito statu elevationis, cum Doctor Angelicus in prima *Secundae* parte, multiplici quaestione mota, ad examen vocet, *quibus in rebus consistat beatitudo hominis*; non aliam demum esse concludit, nisi *claram visionem Dei, cujusmodi est in se*. Eadem lato calamo agitur disputatio Libro II. contra gentes: repudiatisque Philosophorum commentis, possibilem omni genere argumentorum suadere beatitudinem illam nititur, quae *in Deo consistit clare cognito*.

II. Beatitudinem naturalem, qua de agimus, distinguere oportet ab illa *beatitudine communi*, quam naturaliter, ac necessario appetere omnes homines frequentissime docet Divus Thomas. Egregiam doctrinam his verbis offert Qu. XXII. de veritate Art. VII. „Homini *inditus est appetitus ultimi finis sui in communi:* ut scilicet *appetat naturaliter*, se esse completum in bonitate. Sed *in quo* ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi, non est ei determinatum a natura. Quando ergo ex propria ratione, *adjutus divina gratia*, apprehendit aliquod speciale bonum, ut suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit; tunc meretur, non ex hoc quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit; sed ex hoc quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut *visionem Dei*, in quo tamen secundum rei veritatem sua beatitudo consistit. Si vero aliquis per *rationem erroneam deducatur*, ut appetat aliquid speciale ut suam beatitudinem, puta corporales delectationes, in quibus tamen secundum rei veritatem sua beatitudo non consistit: sic appetendo beatitudinem demeretur, non quia appetit beatitudinem, sed quia indebite appetit hoc ut beatitudinem, in quo beatitudo non est." Thomisticam doctrinam latiore sermone liceat illustrare, ut splendidius effulgeant quae Capite XXXII. animadvertimus num. V.

Inest homini naturalis, idest *necessarius*, appetitus *beatitudinis in communi:* quo bonum necessario amat, seque felicem esse necessario appetit, completumque in perfectione. Ad rationis discussionem spectat in hac vita, rem illam quaerere, et constituere, in qua consistit *ratio beatitudinis necessario amatae*. Ratione errante suam beatitudinem statuunt peccatores in creaturis delectabilibus. Ratio recta, *divino gratiae lumine adjuta*, illam constituit in Deo, quem videbimus *sicuti est:* itemque ratio recta, nativo lumine, agnoscere potest non aliam esse consentaneam naturae beatitudinem, nisi Deum *per ea quae facta sunt cognitum*. Triplicis hujusce beatitudinis triplex amor est: primus *naturalis*, idest viribus naturae partus, et *flagitiosus:* alter *supernaturalis*, quem adjuti divinae gratiae auxiliis exserimus: tertius

naturalis, seu intra ordinem naturae consistens: qui postremus num viribus naturae, aut etiam speciali aliquo, et non solum ordinario, adjutorio Dei possibilis sit, Theologi docent, ac infra dicemus. Hi demum singuli amores, non necessarii, sed liberi sunt. *Specialis beatitudinis* exemplum afferens Divus Thomas, *visionem Dei* profert, quam nos *supernaturalem* vocamus beatitudinem. Cur ita? Quod nempe praesenti *naturae elevatae* hypothesi inhaerens, ultimam, ac perfectissimam ejusdem status memorare beatitudinem debuerat, in *clara Dei visione positam.*

Inferiorem aliam *naturalem* non praeterit, immo disertissime declarat beatitudinem I. P. Qu. LXII. Art. I. ubi Angelos ait, ab initio *virtute suae naturae* eam consequutos esse: ipsamque vocat *quodammodo beatitudinem,* comparatam scilicet cum perfectiore supernaturali. Illam etiam agnovit in II. Dist. IV. Qu. I. Art. I. positamque docet *in naturali cognitione*, qua Deum videt Angelus *per similitudinem ejus in ipso* Angelo: et qua ipsum Deum videt homo *per ea quae facta sunt.*

Traditam doctrinam passim adhibet Doctor Angelicus. Textum accipe ex IV. Sent. Dist. XLIX. Qu. I. Art. III. *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat ut in beatitudinem feratur secundum communem rationem; tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit vel in hoc, vel in illo summum hominis bonum consistere. Et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter ibi conjungitur appetitus naturalis, et rationalis: et ex parte appetitus naturalis semper est ibi rectitudo, sed ex parte appetitus rationalis quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo, ubi vere est; quandoque autem perversitas, quando appetitur ubi vere non est.* Syllogismis, quibus libertatis exercitium frequentissime exponere consuescit S. Thomas, mirifice superiora ejus verba declarantur. Primus: *Bonum est amandum,* illudque necessario appetitu voluntas amat: *sed Deus est bonum, et summum bonum: ergo Deus est amandus.* Alter: *Bonum est amandum: sed haec vel illa delectatio est bona: ergo est amanda.* Appetitus boni, quem propositio major complectitur, dicitur *appetitus naturalis:* diciturque *appetitus rationalis,* qui utroque in syllogismo ad conclusionem pertinet. Ambo simul conjunguntur appetitus: at *naturalis* in utroque *rectitudinem* suam retinet: rectus est *rationalis* in primo, *perversus* in altero syllogismo. Practicos, aut *operativos* vocat praedictos syllogismos Aquinas.

Paria sunt, quae legimus 1. 2. Qu. V. Art. VIII. *Beatitudo dupliciter potest considerari. Uno modo secundum communem rationem beatitudinis: et sic necesse est, quod omnis homo beatitudinem velit. Ratio autem beatitudinis communis est, ut sit bonum perfectum. Cum autem bonum sit objectum voluntatis; perfectum bonum alicujus est, quod totaliter ejus satisfacit voluntati: unde appetere beatitudinem, nihil aliud est quam appetere ut voluntas satietur; quod quilibet vult. Alio modo possumus loqui de beatitudine secundum specialem rationem, quantum ad id in quo beatitudo consistit; et sic non omnes agnoscunt beatitudinem, quia nesciunt cui ratio communis beatitudinis conveniat; et per*

consequens quantum ad hoc, non omnes eam volunt. Nativo lumine haud umquam innotescere potuisset, communem beatitudinis rationem in solo Deo reperiri *visione clara cognito*. Nativo eodem lumine, per ea quae facta sunt, adsurgere possunt homines in notitiam Dei Creatoris; in eodemque, *per ea quae facta sunt* innotescente, ac amato positam cognoscere naturalem beatitudinem. *Vincibilem* Theologi vocant, et *inexcusabilem* Paulus Apostolus, hujusce *specialis beatitudinis* ignorantiam: ac *perversitas* est flagitiosorum hominum, qui beatitudinem in delectationibus creaturarum constituunt.

Insigne discrimen sequitur inter modum, quo *Beati* clare Deum videntes in Patria, *utramque beatitudinis rationem* amant, *communem*, et *specialem:* ac inter modum, quo nos utramque amamus *in via*. Rem docet Aquinas I. P. Qu. LX. Art. V. ad 5. *Cum in Deo* (inquiens) *sit unum et idem ejus substantia, et bonum commune; omnes qui vident ipsam Dei essentiam, eodem motu dilectionis moventur in ipsam Dei essentiam, prout est ab aliis distincta, et secundum quod est quoddam bonum commune. Et quia inquantum est bonum commune, naturaliter* (seu necessario) *amatur ab omnibus; quicumque videt eum per essentiam, impossibile est quin diligat ipsum.* Uno beatifico necessario amore diligitur Deus, ac diligitur tota ac plena ratio boni, quae in solo Deo reperitur.

In hac via *non videmus essentiam Dei,* ipsumque *cognoscimus per aliquos effectus:* quibus non inest plenitudo bonitatis. Hinc amor Dei distinguitur ab amore boni, seu beatitudinis communis. Quinimmo *cum interdum* aliqui effectus Dei, v. g. punitio, *aliquorum voluntati* contrarientur, *hoc modo dicuntur odio habere Deum:* quo etiam casu, *inquantum Deus est bonum commune omnium, unumquodque naturaliter* (aut necessario) *diligit plus Deum, quam seipsum.* Animadverte, *amare bonum commune* perinde Aquinati esse, ac implicite et sub confusa quadam ratione boni ipsum amare Deum: qua de re num. sequenti.

III. Hisce documentis consonat illud, quod aliis verbis propositum legimus 1. 2. Qu. IX. Art. VI. ad 3. *Deus movet voluntatem hominis, sicuti universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum:* (Deo simul praevie movente, ac determinante voluntatem ad hanc ipsius propriam determinationem, ut obiter admoneamus.) Intimo sensu cuique constat, ferri se naturali et necessaria inclinatione in bonum: velle etiam et amare, quaecumque vult et amat, propterea quod in iis reperiri judicat rationem boni amati: ac nihil velle umquam posse, nisi ex impulsu amoris boni.

In haec vero Sancti Thomae documenta, quae hactenus exhibuimus, appingere nonnullas liceat animadversiones. 1. Beatitudinis communis, aut *boni ratio,* quam naturali ac necessario appetitu amat creata mens, intelligenda est solidi boni, veraeque beatitudinis ratio. 2. Hinc errant procul dubio Scholasticorum illi, qui hanc boni, aut beatitudinis rationem ita exponunt: ac si *universalis,* et *abstracta* quaedam *notio* foret, bono vero, et bono apparenti, veluti duabus

boni speciebus, communis. 3. Communis haec boni, aut beatitudinis ratio, quam necessario appetitu amamus, non est opus intellectus, qui communem quamdam boni notionem efformet, ex singularibus bonis, quae talia sunt, aut appareant, eam (ut inquiunt) abstrahendo. 4. Immo notio dici debet *a Deo immissa:* ac immissus naturalis aut necessarius ejusdem amor: ac utroque primum constituitur, quod omnibus hominibus inest, immobile, ac uniforme humanarum actionum principium. 5. Neque tamen hanc notionem dixeris *innatam;* sed a Creatore immissam homini, ad usum maxime rationis pervenienti, *sine qua homo non posset* libere *aliquid velle,* et cum qua *per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud.* 6. Hinc demum hujusce *notionis lumine*, et *amoris consequentis impulsu*, proprie ac directe non feruntur ad amandum bona particularia, nisi quae vera sunt: influxum ejus sequuntur ii, qui communem boni aut beatitudinis rationem statuunt in virtute, atque demum in Deo, ubi vere est; ab eodemque deflectunt, qui peccata peccant, veram beatitudinis bonique rationem, errante judicio, sive inconsiderato, rebus adplicantes, in quibus non est. Quo de argumento jam verba fecimus Cap. XXXII, num. 5.

Satis hoc loco fuerit iterum superiora Aquinatis verba proferre: *Quandocumque* (inquientis) *aliquis beatitudinem* (talem) *appetit*, *actualiter conjungitur appetitus naturalis* (beatitudinis communis), *et appetitus rationalis* (beatitudinis talis). *Ex parte appetitus naturalis semper est ibi rectitudo; sed ex parte appetitus rationalis quandoque est ibi rectitudo, quando scilicet appetitur ibi beatitudo, ubi vere est; quandoautem perversitas, quando appetitur ubi vere non est.* Syllogismos, quos *practicos* vocant, et qui in exercitio' liberi cujusque actus aut expresse, aut implicite, et virtute adsunt, superius allatos num. II. similesque consule, et expende. Collige, beatitudinem, aut *rationem boni communis*, quam naturali et necessario appetitu amamus, sicuti vera ac solida est beatitudo, aut boni ratio, ita nihil aliud esse quam ipsum Deum sub illa communi et confusa beatitudinis, et boni ratione exhibitum. Disertissima sunt S. Thomae verba I. P. Qu. II. Art. I. ab 1. *Dicendum, quod cognoscere Deum esse in aliquo communi, sub quadam confusione, est nobis naturaliter insertum, inquantum scilicet Deus est hominis beatitudo.*

IV. Quorsum vero haec omnia? Id efficiunt 1. ut *possibilis* innotescat *status*, in quo creata mens non esset ordinata ad *beatitudinem, quae in clara visione Dei consistit;* neque ad amorem Dei per revelationem cogniti, quae fides est in via, visio clara in patria. Id efficiunt 2. ut *possibilis* dici debeat *purae naturae status*, quae ad *solam beatitudinem naturalem* foret a Deo ordinata. Primam partem argumentationibus confecimus quae probant, *claram Dei visionem* non esse cum natura connexam, sed attolli supra naturam: eamque pendere ex libero gratuito Dei favore, et beneficio. Addere praestat luculentissima S. Thomae verba Qu. IV. de Malo Art. I. ad 14. *Carentia divinae visionis dupliciter competit alicui. Uno modo sic, quod non habet in se, unde possit ad divinam visionem pervenire: et sic carentia divinae visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset . . . . Quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem Dei.*

Quinam ergo fuisset naturae status, non ordinatae ad visionem claram Dei, *cujusmodi est in se*, egregie declarant Theologi. Laudatum seligo *Gregorium Martinez* in Commentario super Prima Secundae Tomo I. Qu. II. Art. VIII. Conclusiones ejus profero, et illustro. „*Necessario constituenda est aliqua beatitudo, quam homines in puris naturae possent obtinere* .... Nulla inclinatio debet esse frustranea. Homo in puris naturae haberet aliquem ultimum finem, quem naturaliter (seu necessario) amaret. Igitur possibile ei esset illum obtinere.“ Superiora ex Aquinate allata documenta favent omnia.

„Conclusio secunda. *Illa beatitudo non consisteret in aliquo bono creato, ut in objecto.*“ Rem pluribus demonstrat S. Thomas in Commentariis super Magistrum Sententiarum, in Summa contra Gentes, et Prima *Secundae* parte.

„Tertia conclusio. *Beatitudo in illo statu consisteret in quadam elevatissima contemplatione Dei, ut Auctoris naturae.*“ Deum cognoscerent, aut certe nosse valerent eo in statu creatae mentes *per ea, quae facta sunt*, toto viae tempore quod illis definitum esset. Longe perfectiorem, providentia Dei errorum occasiones amovente, cum *viae terminum* attingerent, notitiam obtinerent ipsius Dei, creaturarumque.

„Conclusio quarta. *Illa Dei contemplatio, in qua beatitudo consisteret, fieret per species a Deo infusas, aut per essentiam ipsius animae, tamquam per Dei similitudinem.*“ Varia sunt de mediis ad cognoscendum requisitis Philosophorum placita. Naturalem utique Angelorum beatitudinem reponit Aquinas *in naturali cognitione Dei per similitudinem ipsius Dei in ipso Angelo.* Integrum textum recole Cap. XXXII. num. II. Par esset in illo statu naturalis hominum beatitudo, in perfectissima consistens cognitione Dei, quam *ex seipsis*, et *ex creaturis* perfecte cognitis haurirent creatae mentes.

„Quinta conclusio. *Illa contemplatio Dei, in qua beatitudo consisteret, non haberetur in hac via, sed in alia.*“ Mens creata, dum *viae suae* cursum teneret, Deum utique contemplaretur per ea quae facta sunt, ipsumque ita cognitum amare posset. Eadem contemplatio, idemque amor, ut gradum beatitudinis post cursum viae obtineret, in operatione consisterent *continua, perpetua, perfectissima,* cum errorum immunitate, et securitate non labendi.

„Conclusio sexta. *Etiam in illo statu non esset beatitudo aequalis omnibus; sed major, vel minor pro meritis.*“ Ad providentiam Dei, ejusque justitiam pertineret, inaequale pro meritis naturalibus conferre praemium, quod esset repositum in gradibus contemplationis, et amoris magis magisque perfectis.

In Resp. ad Arg. 3. causa inquiritur, quae naturalem istam beatitudinem efficeret *inamissibilem.* Litem agunt Doctores. Rationem afferunt nonnulli: *Quia talis cognitio esset necessaria ex parte objecti cogniti, inquantum naturaliter esset cognoscibile, quia amplioris cognitionis appetitus non maneret.* Renuit subscribere Martinez: *Quia licet cognoscerent Deum, quantum possent naturaliter, et ex hac parte manerent satiati; cum tamen Deus non videretur clare, haud eos necessitaret. Ideo enim necessitat in patria, quia clare videtur, ut summum bonum, et in quo nulla potest ratio mali apparere.* Quidni reponi

posset, beatas illas mentes in hac hypothesi contemplaturas quidem Deum per effectus ejus; sed effectuum in illo *viae termino* juxta providentiae leges apparere nullum posse, qui earum adversaretur voluntati, aut ullam inferret molestiam, aut ab alia occupatione averteret, ut accidit in *cursu viae:* adeoque tum illam Dei contemplationem fore necessariam, tum etiam necessarium amorem ejus, propterea quod in Deo sic cognito et amato plena effulgeret boni ratio, quae nativo lumine cognosci posset. Satis favere videtur Thomas loco supra citato ex Art. V. Qu. LX. primae Partis ad 5. Attamen Martinez inquit: *Dicendum tunc beatitudinem esse inamissibilem ex parte subjecti, et ratione status*, juxta divinae providentiae statuta. Liceat cuique, possibilem *purae naturae* statum expendenti, conjecturas proferre, quae rationi videntur consentaneae.

In Resp. ad Arg. 4. locus Bèatorum in *illo statu* adsignatur *Caelum:* locum alterum in orbe terrarum si aliis adsignare placeat, non abnuerim. Additur, non futuram corporum resurrectionem: *Quia resurrectio supernaturalis est: et nihilominus animam fore beatam, licet non omnino perfecta beatitudine* (possibili) *potiretur. Iste enim appetitus non satiatus non multum angeret, cum cognosceretur id per naturam impossibile.* Futuram non inficiantur alii resurrectionem. Cum Aquinate admonendum censent, in IV. Dist. XLIII. Qu. I. Art. I. Qu. 3. *Resurrectionis principium activum non esse quidem naturam, sed ad vitam nihilominus naturae resurrectionem terminari.* Colligunt I. Beneficium *resurrectionis* longe inferius esse beneficio *visionis clarae Dei*, quae omnino supra naturam posita est. 2. Resurrectionem dici *supernaturalem ex modo*, sed esse naturalem quoad *vitam naturae*, ad quam ipsa terminatur. 3. Appetitum animae ad resurrectionem corporis, et statum beatitudinis id exposcere, ut eadem resurrectio in eodem naturae purae statu daretur, utpote quae ad vitam naturae terminetur, tametsi principium ejus activum non sit natura, aut virtus naturae. In utramque partem agitant quaestionem Theologi, quos consule.

CAPUT XXXV.

Textus Sancti Thomae, qui videntur adversi, abs Jansenio oppositi: ac primus expensus. Vocatur alter ad examen. Quo sensu docuerit Aquinas, hominem, tametsi naturaliter inclinetur in finem ultimum, illum tamen naturaliter consequi non posse.

I. Textus ex operibus S. Thomae afferri solent, quibus enunciari videtur, *naturali appetitu* ferri voluntatem creatam in ipsam *claram Dei visionem:* et hanc nihilominus minime *naturae viribus*, sed *gratiae* comparari posse. Quo principio adsumpto, pugnant non pauci contra *possibilem purae naturae statum*, possibilemque *naturalem*, quam delineavimus, *beatitudinem*. Jansenii hac de re verba profero Libro I. de statu purae naturae Cap. XV. inquientis: „Dicit Sanctus Thomas (Libro de Trinitate Boetii Qu. ult. ad 5): *Quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum; non tamen potest naturaliter illum consequi,*

sed solum per gratiam: et hoc est propter eminentiam illius finis (qui est Deus clare visus). Unde colligitur: Deum, quamvis *supernaturaliter* videndum ac fruendum, esse finem hominis *naturalem*, in quem inclinatur homo naturaliter.“ Locus alius Aquinatis infra adducendus.

Naturaliter ergo, te auctore, inclinatur homo in illum finem ultimum, qui sit Deus *clare visus?* Errantem te convincunt testimonia plura Aquinatis, quae superius allata sunt ex Qu. XXII. de Veritate Art. VII. et II. Sent. Dist. XLIX. Qu. I. Art. III. et 1. 2. Qu. V. Art. VIII. ubi luculentissime docet, inesse homini naturalem, ac necessarium appetitum beatitudinis, *secundum communem rationem beatitudinis: quod vero feratur in beatitudinem talem, vel talem, quantum scilicet ad id in quo ratio communis beatitudinis reperitur, non esse ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis quae adinvenit vel in hoc, vel in illo summum hominis bonum consistere.* Haec repugnant ex diametro. *Discretionem rationis* intellige divinae gratiae supernaturali auxilio adjutam, si de *tali beatitudine* sermo sit, quae in Deo clare viso consistat.

Impossibilem enuncias beatitudinem ullam *specialem*, quae sit inferior *Deo clare viso* et hunc finem ultimum hominis, quem naturalem vocas, viribus naturae haberi non posse, sed opus esse gratia supernaturali. Adversatur Aquinas, qui inferiorem hanc beatitudinem, in Deo cognito per ea quae facta sunt consistentem, aliamque sublimiorem, quae Deus est clare visus, frequentius distinguit et illustrat: ac utramque in Angelis a Deo conditis conjungi simul potuisse agnoscit I. P. Qu. LXII. Art. I. Locum consule num. I. descriptum Capite superiore, ubi Angelos ait *assequi* priorem potuisse *virtute suae naturae; alteram vero, qua videbimus Deum sicuti est*, longe ac altius attolli *supra cujuslibet intellectus creati naturam.*

Impossibilem statum naturae reponis Libro II. initio Capitis V., quae ad illam *naturalem* dumtaxat inferiorem beatitudinem *ordinata* foret; itemque addis, visionem claram Dei, *sine praecedenti culpa negari non posse.* Quod ais, agnosce Aquinatis doctrinae adversum, neque tibi blandiaris de Thomae testimoniis, ac si faveant. Haec enim habet Doctor Angelicus Qu. IV. de Malo Art. I. ad 14. *Carentia divinae visionis dupliciter competit alicui. Uno modo sic quod non habeat in se, unde possit ad divinam essentiam pervenire; et sic carentia divinae visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset, etiam absque peccato. Sic enim carentia divinae visionis non est poena, sed defectus consequens omnem naturam creatam: quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad divinam visionem. Alio modo potest alicui competere carentia divinae visionis hoc modo, ut habeat in se aliquid ex quo debeatur ei quod careat visione divina: et sic carentia divinae visionis est poena et originalis, et actualis peccati.* Vide insequentem num. III.

II. Aliud in causae praesidium affert Aquinatis testimonium Jansenius Cap. XV. citato. „Libro tertio contra Gentes (Capp. L. LI. et LVII.) ex professo multisque modis tradit, *ultimum finem hominis* secundum cognitionem quae in hac vita impossibilis est, hoc est claram visionem Dei per essentiam, *terminare naturalem appetitum:* et

impossibile esse ut hoc naturale desiderium inane sit, quo naturaliter omnes mentes desiderant pervenire ad divinam substantiam intelligendam, et videndam: et consequenter hominem pervenire posse per potestatem Dei.“ Quae latiore calamo Thomas in eo contra Gentes libro tertio disserit, paucis complectitur I. P. Q. XII. Art. I. *Inest enim homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum . . . Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturae: unde simpliciter concedendum, quod Beati Dei essentiam videant.*

Apertam ut habeas mentem Sancti Thomae, animadverte: *innatam* quae dicitur, voluntatis creatae *inclinationem*, ejusque naturalem capacitatem *eo naturali appetitus actu* maxime manifestari, qui ab auctore naturae imprimitur, ac necessarius est: hunc vero in *communem beatitudinem* ferri, communemque rationem boni, splendida, et constantissima Thomae doctrina est plurimis in locis, quae superiore in Capite allegata sunt. *Innatus* alius *appetitus*, quem latiore sensu accipiunt alii pro ipsa rationalis creaturae *capacitate,* ut etiam elevetur a Deo ad sublimia dona gratiae et gloriae, neque ad istum locum pertinet, neque Adversariorum opinationi praesidium affert.

Rursum animadverte, abs naturali, et necessario praedicto appetitu longe differre *naturale,* aut consentaneum illud *desiderium,* quod *inest homini, cognoscendi causam, cum intuetur effectum:* est enim appetitus liber, quem dirigit *discretio rationis,* ut ait Aquinas. Utrumque appetitum, *necessarium,* et *liberum,* egregie declarat ille locis superius citatis. Illud accipe, quod habetur 1. 2. Qu. IX. Art. VI. ad 3. *Deus movet,* inquiens, *voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: et sine hac universali motione, homo non potest aliquid velle.* Ecce naturalem, *necessarium,* a Deo impressum appetitum erga bonum commune, communemque beatitudinem. *Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum.* Ecce *liberum* alterum appetitus actum, quo in bona determinata fertur voluntas. Hujus generis, attentiore mente si res perpendatur, est *appetitus videndi quid sit causa,* viso effectu.

Pro varia *effectuum divinorum* conditione, proque varia cognitione qua illos percipimus, varius exsurgit *videndi causam appetitus.* Sunt enim effectus *naturales*, qui non aliud excitare possunt desiderium, nisi quo appetamus cognoscere Deum ut Auctorem naturae, quoad illa attributa, quorum aliqua in creaturis elucet similitudo, ab imperfectionibus creaturarum depurata, *exstantiam* ejus, *unitatem*, *omnipotentiam*, *sapientiam*, *pulchritudinem*, *summam bonitatem*, similia. Sunt etiam effectus gratiae, et gloriae, et unionis hypostaticae, quos *fide supernaturali* novimus, peculiari ratione a Deo *cujusmodi est in se* dependentes: atque ex his praeberi ansa potest, ut cognoscere Deum clare ac distincte appetamus, *quid sit,* et *cujusmodi sit.*

Hinc primo collige, posita hujusmodi *effectuum supernaturalium* fide, vim inesse gravissimam argumentis Divi Thomae: siquidem cognitis praedictis effectis, naturale, idest consentaneum est, ut ipsam videre causam *cujusmodi est in se*, ob specialem eorumdem nexum

cum eadem causa cujusmodi est in se, appetat homo: eaque non visa, appetitus quiesceret numquam. Hoc sensu Thomae doctrinam intelligendam proponit Cajetanus in Commentario Qu. XII. Primae Partis.

Collige 2. invicta demonstratione probari, rationalem creaturam, si intra *naturalem* dumtaxat *ordinem* conderetur, condi a Deo debuisse ordinatam ad contemplationem Dei *per ea quae facta sunt:* eamdemque demonstrationem repeti tum maxime ex naturali, et necessario appetitu beatitudinis communis, quae non alibi reperitur nisi in Deo: tum etiam ex libero appetitu videndi causam, quem post visum effectum rationali creaturae inesse, naturale seu consentaneum est. Sic enim vocem *Naturalis* hocce in loco ab Aquinate adhibitam intelligunt nostrates, aliique Theologi.

Collige 3. visionem *naturalium effectuum* ansam praebere nullam posse, ut rationalis creatura *naturali, absoluto,* et *efficaci appetitu* Deum videre quaerat, ac desideret, *cujusmodi est in se;* cum praedicti effectus, utpote virtutem causae non adaequantes, neque cum Deo, v. g. *uno et trino,* specialiter connexi, non valeant nisi causae existentiam patefacere, in eorumque attributorum notitiam ducere, quae primo rerum principio convenire noscuntur. Attamen visis eisdem effectis, prodire mens creata potest in appetitum *naturalem, liberum, conditionatum, inefficacem* videndi causam.

Collige 4. ex hoc appetitu depromi ut summum *probabilem* posse *conjecturam* de *possibilitate visionis Dei.* Propterea quod hujusmodi appetitu ferantur etiam aliquando homines in *impossibilia*, ut patet in desiderio *comprehendendi Deum.* At nulla efformari *demonstratio* potest: tum quia naturalis ratio, seipsa consulta, optime novit ex effectis naturalibus gradum fieri non posse ad notitiam Dei, *cujusmodi est in se;* tum quod ipsi etiam rationi modus appareat nullus, quo Deus valeat, ac velit seipsum, *cujusmodi est in se,* creatae menti manifestare.

Eo tamen ex appetitu argumentum sumpsit Aquinas, quo *possibilem* suaderet *claram visionem Dei.* Nimirum *conjecturas*, et *argumenta* quaeque *probabilia*, quae praesto forent, adhibuit ille. Quod si conjecturae vim plus justo amplificare videatur, non egit solo *naturae lumine* consulto, sed *lumine fidei praelucente.* Pagano homini si tu proponas beatitudinem *supernaturalem,* in clara visione Dei consistentem, quam *fide supernaturali* tenes; hanc apprehendit Paganus ille, tamquam objectum quoddam naturale, tametsi naturam omnem reipsa excedat, ac naturali percipit cognitione. Hinc etiam naturale Pagani illius desiderium veluti acuitur, ac ardorem capit erga beatitudinem illam, quam licet ipse nativo lumine solo possibilem ignoraret semper, possibilem tamen tu fide instructus proponis. Hujusmodi ardore, aut extensione careret naturalis appetitus, ubi nulla fidei revelatio foret, ipsumque dirigeret sola ratio naturalis. Utroque appetitus modo utitur Thomas, ad suadendam *claram visionem Dei.* Ex *solo appetitu naturali,* quem sola naturalis ratio dirigeret, *probabile* quoddam elicitur argumentum: eo vel maxime quod ipsa ratio naturalis, tametsi possibilem ignoret claram visionem Dei, impossibilem tamen demonstrare non potest. Probabilis ejusdem argumenti vim

auget Aquinas, *notitia praehabita fidei:* urgetque propterea, appetitum hominis haud umquam fore satiatum, quietumque, nisi clare viso Deo.

Vim argumento inesse validiorem haud evincis trito exemplo animae separatae, quae corporis reunionem, tametsi naturae viribus impossibilem, naturaliter appetere dicitur. Ac primo reponi potest, ex eo etiam animae separatae appetitu, minime *absoluto* et *efficaci*, sed *inefficaci* et *conditionato*, nonnisi probabile effici argumentum, quo possibilis suadeatur resurrectio mortuorum. Patet etiam amplissima discrimis ratio. Namque *visio clara Dei*, non solum ut consequenda naturae vires excedit, sed etiam per sese supra naturae ordinem longissime attollitur: at *resurrectionis principium activum*, (ut ait Aquinas in IV. Dist. XLIII. Qu. I. Art. I. Quaest. 3.) *non est quidem natura; sed ad vitam nihilominus naturae terminatur.*

III. Ad illa Sancti Thomae verba, quae primo loco objecta sunt, jam redit sermo: nempe, *quamvis homo naturaliter inclinetur in finem ultimum; non tamen potest naturaliter illum consequi, sed solum per gratiam; et hoc est propter eminentiam illius.* Nimirum a ratione *communis beatitudinis*, quam naturali et necessario appetitu in omni statu mens creata appetit, transit Sanctus Doctor ad beatitudinem illam *particularem*, seu ad *rem illam*, in qua juxta praesentis providentiae leges ratio beatitudinis consistit. Non alia haec est, nisi *Deus clare visus*, et *amatus:* nec ille clare videri potest nisi luminis supernaturalis beneficio, neque amari nisi divinae gratiae adjutorio. Mentem suam ipse aperit Thomas Qu. XXII. de Veritate Art. VII. „Homini *inditus est*, inquiens, *appetitus ultimi finis sui in communi:* ut scilicet appetat naturaliter, se esse completum in bonitate. Sed *in quo ista completio consistat*, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi, *non* est ei determinatum a natura. Ex propria ratione, *adjutus divina gratia*, apprehendit speciale bonum, et suam beatitudinem, in quo vere sua beatitudo consistit ... scilicet *visionem Dei.*" Habes 1. Appetitu *naturali*, et *necessario* ferri hominem in communem beatitudinem. 2. Ex *propria ratione* speciale bonum determinari, seu rem illam in qua beatitudo consistit. 3. Hujusce beatitudinis appetitum non esse necessarium, sed liberum. 4. *Deum clare visum*, in quo juxta praesentis providentiae leges nostra consistit beatitudo, nonnisi divinae gratiae munere apprehendi, determinari, obtineri, et amari posse. 5. Nullam esse contradictionem, quominus rationalis creatura ordinaretur ad Deum, *per ea solum quae facta sunt*, naturali cognitione contemplandum, ipsumque hoc modo cognitum naturae viribus amandum.

CAPUT XXXVI.

Duplici dilectioni Dei, ac duplici beatitudini, naturali et supernaturali, adversa sunt Lutheri, et Calvini Commenta. Joannis Frickii adserta, ad examen vocata. Michaelis Baji, aliorumque errores explicati, discussi, cum sententia nonnullorum Theologorum comparati, et refutati.

I. Theologici dogmatis, quod propugnamus, veritatem confirmant absurda commenta, quae Adversarii invexerunt. *Martinus Lutherus* apud Joannem Martinez de Ripalda Disput. VIII. adversus Articulos

Bajanos Sectione I. sic ad Caput III. Geneseos: *Statuimus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum a natura hominis; sed fuisse vere naturalem, ut natura Adae esset diligere Deum, credere Deo, agnoscere Deum. Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est quod oculi lumen recipiunt.* Et infra: *Porro haec probant, originalem justitiam esse de natura hominis. Ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia, ut Scholastici delirant.* Verba *Joannis Calvini* sunt Libro I. Institutionis Cap. XV. *Sicut absque controversia ad caelestis vitae meditationem conditus fuit homo; ita ejus notitiam animae fuisse insculptam, certum est. Et sane praecipuo intelligentiae usu careret homo, si sua eum lateret felicitas: cujus perfectio est, cum Deo conjunctum esse. Unde et praecipua actio est ut illuc aspiret: ac proinde quo quisque magis ad Deum accedere studet, eo se probat ratione esse praeditum.* Creationis conditionem haec offerunt verba, nullam indicant gratiae largitatem.

In eo *possibili statu,* in quo rationalis creatura non foret ordinata ad *visionem claram Dei,* vires illi ex ipsa natura per sese spectata petitae inessent, quibus Deum agnosceret *per ea quae facta sunt,* ipsumque hoc modo cognitum amaret. Rectitudo, et sanitas hujusce hominis in ipsa consisteret cognitione Dei, ejusque amore: cum vero haec eadem cognitio, et iste amor fluerent ex principiis, viribusque naturae, ideo *naturalis* foret ejusdem hominis *rectitudo,* et *sanitas.* Ordinem subliminiorem distinguimus, quem appellamus *ordinem supernaturalem,* aut ordinem naturae elevatae ad dona supernaturalia, ad cognoscenda *profunda Dei* per Spiritus revelationem, ad ipsum Deum diligendum cognitum clara visione in patria, et fide in via. Sed hanc Dei cognitionem, et hunc Dei amorem ad *ipsam pertinere naturam rationalis creaturae, et fluere ex principiis naturae,* commentum est *Lutheri,* et *Calvini.* Hinc eorum opinatio est, *rectitudinem* primi hominis innocentis *năturalem* fuisse; non eo sensu, quod esset pars quaedam naturam constituens; sed eo sensu, quod vires ad cognoscendum fide Deum, ipsumque amandum ita cogitum, fluerent a principiis naturae; ipsa vero cognitio, et ipse amor Dei sanitatem primi hominis constituerent instar sanitatis corporalis, quae *apta est nasci ex ipsa natura bene constituta, idest non corrupta.* Unde colligunt, hominibus qui rectitudinem amiserunt in Adamo, *deesse bonum aliquod naturale,* quale deest homini coeco, aut claudicanti, aut febricitanti. Bellarminum consule de Gratia primi hominis Cap. V. Tomo IV.

II. Absurdam emollire doctrinam conantur Homines Heterodoxi. *Joannes Frickius* in Libello, qui inscribitur *Inclementia Clementis examinata,* Dissertatione II. Cap. II. in postrema Nota refert *Gerhardum,* haec habentem: „*Naturale* dicitur *quinque* potissimum modis. 1. *Constitutive,* quod ipsi naturae dat esse. 2. *Consecutive,* pro eo quod naturam specificam necessario consequitur, itaut ex rei essentia, seu forma necessario fluat. 3. *Subjective,* pro eo quod naturae arctissime est affixum. 4. *Perfective,* pro eo quod naturam promovet, et perfectiorem reddit. 5. *Transitive,* quod cum natura simul in alios propagatur. Quando *justitiam* primo homini *naturalem* fuisse dicimus, non binis prioribus, sed tribus posterioribus modis intelligimus, ob

inhaesionem scilicet, *perfectionem*, et *propagationem*. Non negamus, justitiam originalem *donum Dei*, vel *gratiam* dici posse ratione *originis:* quia illam primus homo non a seipso habuit, sed per conditoris gratiam accepit. Nec negamus aliqua dona *supernaturalia*, v. g. Spiritus Sancti inhabitationem: sed *de justitia originali* quaestio est. Quando hanc dicimus fuisse primo homini *naturalem*, hoc sentimus; quod justitia illa non naturam ipsam, quae nunc omnibus communis est, sed *naturam integram constituerit*, ei tamquam *subjecto ordinario inhaerens*, eamque *perficiens*.“

Vera sunt aliqua, alia ineptissima. In Adamo credimus Deum condidisse *naturam:* et hanc etiam *ratione originis* dici aliquo modo posse *gratiam Dei* fatemur, utpote praecedentibus nullis meritis pro sua liberalitate a Deo conditam. Credimus, Adamo simul largitum esse Deum *gratiam proprie dictam*, natura qualibet creata superiorem, scilicet *filiationem Dei adoptivam*, cognitionem ejusdem per fidem in via cum promissione dandae clarae visionis in patria, ejusdemque per fidei revelationem cogniti amorem. Haec sunt *supernaturalia* dona, quae natura non habet. Ad naturam non pertinent *constitutive*, quia ipsi naturae non dant esse. Ad eamdem non pertinent *consecutive*, neque uti *vires*, *facultates*, *proprietates* ex principiis ipsius naturae necessario consequentes: neque uti *actiones*, quae ex viribus hujusmodi fluant: neque uti *alia quaelibet affectio*, quae naturae individuae principia apte disposita consequitur, cujusmodi est sanitas animalis. Id attamen voluisse Lutherum, verba satis indicant illa: *Haec tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale quod oculi lumen recipiunt*, et quod lumen recipientes videant, suoque munere bene fungantur. Quo etiam sensu *naturales* dicuntur *vires* cognoscendi Deum *per ea quae facta sunt*, ipsumque hoc modo cognitum amandi: et ipsa cognitio, et amor dicuntur *naturales*, quia *ex viribus naturae* fluunt: eaque demum *rectitudo*, quae homini inesset hoc modo cognoscenti, et amanti Deum, *naturalis* est.

Tametsi vero supra naturam sint praedicta, quae memoravimus, *gratiae dona*, ipsi tamen *inhaerent* naturae, tamquam *subjecto:* ac naturam, cui inhaerent, *perficiunt*, promoventes ipsam ad ordinem superiorem: ac Adamo demum in justitia perseverante, dona illa cum natura *propagata* fuissent in posteris. Hinc liquido patet, ea dona *tribus* etiam *postremis modis* propriissime dici debere *supernaturalia*. „Si namque donum fuit *supernaturale* (verbis utor Bernardi Desirant in Sancto Augustino vindicato Libro XXXV.) factum ne fuerit *naturale*, quia vel naturae cui donabatur, *inhaerebat*, vel naturam *perficiebat?* Numquid eodem modo justitia hominis, dum ea in statu naturae lapsae restituitur, dici poterit *naturalis*, respectu naturae, quae reperitur in justificatis? Numquid non utrique in utroque statu *inhaeret;* et utrumque, Adamum, et hominem lapsum, non *perficit* in ordine ad *supernaturalem finem*, ad caelestem beatitudinem? Manet ergo *supernaturalis*, quamquam detur naturae. Non enim donum assumit naturam ejus, cui donatur; sed is cui donatur, dono gaudet, donoque honoratur.

Sed Adam (inquis) erat istius doni *subjectum ordinarium*. Quid tum postea? Donum equidem erat *supernaturale*, nec ideo fiebat

naturale, quia naturam elevabat, et natura per illud ad supernaturalia elevabatur. Quis autem Adami naturam fecerat supernaturalis doni subjectum, quod *Ordinarium* vocas, nisi ordinatio divina, quae *gratuito* naturalem hominem elevavit, et adjuvit, ut posset promereri gloriam, quae supra naturam est, et supra naturam mansura, quamvis a natura supernaturali modo consequenda?"

III. *Bajana* sequuntur adserta, quae ex operibus *Michaelis Baji* proferenda sunt, et ex illis Thesibus, quae *Bajanae* dicuntur, partim ab ipso Bajo, ab aliis partim adsertis, damnatisque primum a *Pio Quinto,* summo Pontifice. Primo loco Thesim affero, quae numeratur XXXIV. *Distinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut auctor naturae; et gratuiti, quo Deus amatur, ut beatificator: vana est, et commentitia, et ad illudendum sacris litteris, et plurimis veterum testimoniis excogitata.* Ipsius Baji haec sunt verba *de Caritate* Cap. IV. „Manifestum evadit, quam vera sit eorum distinctio, qui ut Scripturis sacris, et jam dictis, aliisque pluribus veterum testimoniis illudant; sine ulla traditione contendunt, duplicem esse Dei dilectionem: alteram, qua Deum *tamquam futurae beatitudinis largitorem* diligimus, quae per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, et *Caritas* nuncupatur: alteram vero, qua Deum *tamquam Creatorem* amamus, quae ortum ducat ex hominis arbitrio ... Amor *Creatoris* non minus diffunditur per Spiritum sanctum in cordibus nostris... quam amor *beatificatoris.* Quia quemadmodum Deus non alia re *Creator,* alia vero *beatificator* est, sed una eadem, nempe sua substantia; sic nec est alia *Creatoris,* alia vero *beatificatoris* dilectio." Sus deque miscentur omnia. Deum cognoscit *ratio naturalis* per ea, *quae facta sunt,* ut creatorem: nec altius valet adsurgere. Deum nobis manifestat divina revelatio per fidem in via, et per claram visionem in patria, *cujusmodi est in se:* quo pacto Deus est *beatificator* rationalis creaturae, ad sublimia gratiae dona *elevatae.* Hinc unus idemque Deus, quemadmodum duplex cognitionis, ita duplicis amoris, *naturalis,* et *supernaturalis,* duplex evadit objectum. Utrumque objectum, ac utramque cognitionem, et dilectionem diligentissime locis jam memoratis distinguit Sanctus Thomas. Aliam offert ipse duplicis objecti distinctionem, quod in Deo unum est idemque: ipsius nimirum *substantiae Dei prout ab aliis distinctae,* ac etiam veluti *boni communis,* seu *beatitudinis.* In utramque, consideratione intellectus distinctam, duplici ferimur amore, necessario in *rationem boni communis,* ac libero in ipsum Deum; in quo tamen *unum et idem est ejus substantia, et bonum commune.* Consule, ac confer textus qui habentur I. P. Qu. LX. Art. V. ad 5. et 1. 2., Qu. V. Art. VIII. ad 2. Quoniam vero *supernaturalis* amor Deum respicit, *cujusmodi est in se,* ea gaudet perfectione et excellentia, ut diligat ipsum quoad omnes bonitatis rationes, sive quae sola innotescunt gratuita revelatione, sive quae ceteroqui nativo lumini perviae sunt: unde diligit ipsum *trinum et unum,* largitorem *gratiae* et conditorem *naturae.* Hujusmodi perfectione caret amor *naturalis,* qui in Deo sistit, per ea quae facta sunt, cognito, naturae conditore, ac bonorum naturalium retributore. Recole, quae docuimus Cap. XXXII., XXXIII. et XXXIV. At amorem denique Dei, sive *supernaturalem,* sive *natura-*

lem, dixerit nemo haberi posse *sine adjutorio Dei*. Divina auxilia varia distinguunt Theologi pro varia utriusque amoris conditione, proque vario *naturae humanae statu:* alia *supernaturalis*, et alia *naturalis ordinis:* itemque in utroque, naturali et supernaturali ordine alia, quae appellantur *ordinaria*, et alia quae *specialia* dicuntur. Haec vero innuere, hoc loco satis.

Itaque Bajo, ac Thesium quae *Bajanae* vocantur adsertoribus, unus est amor Dei. *Amorem naturalem* eliminare videtur Thesis XXXVI. *Amor naturalis, qui ex viribus naturae exoritur, ex sola Philosophia, per elationem praesumptionis humanae, cum injuria Crucis Christi, defenditur a nonnullis Doctoribus.* Bajus loco citato Capite V. sic habet: „Qui *Creatoris amorem* solis arbitrii viribus adscribunt ... fatentur ... habere testimonium *ex Philosophia dumtaxat* .... Dum nos credere, sperare, aut Deum diligere sentimus ... juxta eorum placita semper dubitare possumus, utrum id ex Spiritu sancto proveniat ... an vero ex solo libero arbitrio, sicut juxta mundi hujus sapientiam *nostrae elationi persuadet humana praesumptio;* praesertim si nostris conjecturis plus satis incumbamus, quae fere in hoc propendent, ut *Crucis Christi doctrinam* subvertant.“ Philosophia docet, mentem creatam *naturali cognitione* posse adsurgere in notitiam Creatoris. Philosophiam confirmat Apostolica Pauli Doctrina scribentis: *invisibilia Dei a creatura mundi, per* ipsum mundum aspectabilem, sive *per ea quae facta sunt*, intelligi potuisse, ac *intellecta* esse a gentibus, *virtutem Dei sempiternam, ac ejus Divinitatem.* Possibilem Theologi statum agnoscunt, in quo non alia creaturae rationali praesto foret cognitio Dei, nisi naturalis: et in quo adjutorium Dei necessarium foret ad ipsum Deum, *per ea quae facta sunt, cognitum*, amore prosequendum: *adjutorium*, inquam, *ordinis naturalis*, non adjutorium supernaturale, Cruce sua a Jesu Christo promeritum. In eo, in quo versamur, *elevatae naturae* statu, diligitur Deus revelatione cognitus, per fidem in via, per visionem claram in patria: isque haberi non potest amor absque *adjutorio supernaturali*, et absque Spiritus sancti inspiratione. Nihil repugnat, quominus voluntas creata, hoc eodem in statu, Deum diligat nativo lumine cognitum. Utrumque amorem Dei, *per ea quae facta sunt, cogniti*, ac *divina gratuita revelatione* manifestati *cujusmodi est in se*, simul conjunctum in Angelis docet Aquinas I. P. Qu. LXII. Art. I. docetque, Angelos habuisse primum *virtute naturae*, ordinario divino concursu utique subintellecto: ac in alterum sine viribus gratiae supernaturalis prodire non potuisse. At pares tamen *naturae vires* haud homini suppetunt in praesenti *naturae lapsae* statu, quibus vel ipsum Deum nativo lumine cognitum diligere valeat. Robustiores requiri vires, easque *Cruce Christi* promeritas, Theologi tradunt. Rem apud ipsos diligentissime pertractatam consule.

Num ergo *supernaturalem* Dei amorem exhibeant Bajanae Theses, quibus *naturalem* rejectum vidimus? Adversam prodit se Thesis XXIII. *Absurda est eorum sententia qui dicunt, hominem ab initio, dono quodam supernaturali, et gratuito supra conditionem naturae fuisse exaltatum, ut fide, spe, caritate Deum supernaturaliter coleret.* Baji verba sunt de prima hominis Justitia Capite VII. „Nisi quis forte tam absurde sentiat, ut putet statim initio creationis rerum, non tantum

hominem *dono quodam supernaturali*, *et gratuito*, supra naturae suae conditionem fuisse *exaltatum*, ut fide, spe, et caritate Deum supernaturaliter coleret; sed etiam serpentem (fuisse exaltatum,) ut sublimis, erectus, pedibus insistens graderetur.“ Ex poena *serpenti* inflicta colligit nemo, ipsum ab initio, dono quodam supra naturam ejus collato, pedibus insistentem incessisse. Reptare, quod erat naturale serpenti, signum infamiae ponitur in abominationem ministerii Diabolo seducenti praestiti: quo etiam simili modo *iris*, quae ante diluvium erat naturalis, post illud adsumpta fuit in signum initi Deum inter ac homines pacti. At fide credere quae Deus de seipso *cujusmodi est in se* revelavit, atque spe futuram expectare beatitudinem in *visione clara Dei* consistentem, et Deum caritate diligere fide creditum in via, et clare visum in patria, sublimia sunt dona ad ordinem pertinentia *superiorem* tota *natura*, quae non alias cognoscendi Deum vires habet nisi *per ea quae facta sunt*, ipsumque ita cognitum amandi. Illa sublimia dona peccati merito amisit omnia primus homo. Sed in ipsis etiam naturalibus detrimentum passus est: vires namque naturae, quae sunt facultas cognoscendi verum, ac Deum amandi potestas per ea quae facta sunt cognitum, aliaque adimplendi naturalis ordinis officia, quae ad mores pertinent, attenuatae manserunt, ut late disserunt Theologi.

Dissonae, et adversae videntur *Bajanae Theses*, quae allatae sunt. In concordiam facili eas negotio redigas, Baji mentem si perspectam habeas. Contendebat ille, *claram Dei visionem* dici oportere finem intrinsecum, et essentialem, ac naturalem rationalis creaturae: adeoque tum *debitam* esse ejusdem rationalis creaturae *ordinationem* ad visionem claram Dei; tum eidem *debita* esse *media* necessaria ad eumdem conducentia finem, fidem scilicet, spem, caritatem. Unum esse peccatum, quo admisso praedicta juste denegari media possint; sed praevio peccato nullo, integrae et innocenti naturae conferri debuisse. Quemadmodum vero eadem media *debentur* integritati naturae, ita non esse dona *proprie gratuita*, sed *naturalia*. Dici autem *Naturalia* eo sensu, quo naturalis est sanitas in corpore bene disposito, et visio naturalis in oculo sano. Homine innocente, quem condidit Deus, in peccatum prolapso, quae dona *naturae integrae debita* erant, effecta esse *omnino gratuita:* et quae *naturalia* dicebantur, effecta esse *supernaturalia*, nonnisi per gratiam Redemptoris obtinenda. Quo posito sistemate, consonas jam vides Theses allatas. Consequitur namque *vanitas distinctionis* illius, quae *naturalem* amorem unum, et *supernaturalem* alterum, *ex objecto* distinguit. Colligitur etiam, hominem ab initio, fide, ac spe, et caritate servientem Deo, dici non debere dono aliquo *supernaturali*, et gratuito, et superaddito exaltatum, sublimatumque *supra conditionem naturae*. Colligitur demum, post Adae peccatum non amplius homini lapso *debitam* esse potestatem amandi Deum, sed ipsum *largitatis divinae dono prorsus indebito* indigere, quo amare Deum valeat: ipsumque amorem dici oportere *supernaturalem*, cum antea *naturalis* foret.

Ab hoc recedit commento sententia Theologorum, qui *cum Dominico Soto* Libro I. de natura, et gratia Capite III. arbitrantur Deum clare visum *finem esse nobis naturalem respectu appetitus: et*

nihilominus, si ejus adsecutionem spectes, positum esse supra vires naturae. Appetitum intelligunt, minime illum quem Scholae *elicitum* vocant; sed *innatum* ab ipsa creata mente indistinctum: ac menti naturalem inclinationem, et pondus naturae inesse ajunt, quibus mens ipsa, nullo etiam lumine fidei praefulgente, suapte natura fertur in Deum *cujusmodi est in se,* veluti suum naturale in centrum. Attamen addunt illi creatam mentem neque finem istum cognoscere, neque illum consequi posse, neque in ipsum fide, spe, et caritate tendere viribus naturae; sed opus esse adjutorio *verae gratiae*, revelatione omnino gratuita, ac supernaturalibus fidei, spei, et caritatis donis, sive *hominem lapsum* consideres, sive *integrum*, et *innocentem.* Hanc ego opinionem in medio relinquo: de qua iterum infra agendum erit.

Baji mentem clarius detegere pergo. Prima inter *Theses*, vulgo *Bajanas*, sic habet: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.* Ratio redditur Libro I. de Meritis Operum Capite IV. *Quia priora illa merita fuerunt primae creationis munera.* Immo *creationem*, et *elevationem* naturae, ac utriusque munera distinguit Augustinus Libro XII. de Civitate Dei Capite IX. Creationis munera fuerunt natura condita, et quae ad naturam pertinent.' Amplior effulsit divina liberalitas: namque simul largitus est *gratiam* Deus, naturam elevando ad superiorem tota natura statum, atque dona supernaturalia conferendo. Hinc et *Angeli*, et *primi hominis* adhuc integri, *merita* vocari debent *gratia:* tum quia ad ordinem natura superiorem spectabant, scilicet supernaturalem: tum quia ex adjutorio ejusdem ordinis, idest ex *adjutorio supernaturali* prodibant. Quaenam fuissent haec divina adjutoria in statu innocentiae, non est hujus loci definire.

Thesis tertia: *Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo permansissent usque ad ultimum vitae, felicitas esset merces, non gratia.* Decerpta est ex Capitibus *secundo*, *tertio*, et *quarto* memorati Libri de Meritis operum. Ordinem *supernaturalem* a *naturali* si rite distinguas; felicitatem ad illum spectantem probe agnoscas, *gratiam* esse, aut supernaturale beneficium, simulque *mercedem* bonis ejusdem ordinis meritis promissam a Deo, ac retributam. Paris argumenti praetermitto Theses *quartam*, et *septimam.*

Vigesima prima: *Humanae naturae sublimatio, et exaltatio in consortium divinae naturae, debita fuit integritati primae conditionis: ac proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis.* Vigesima quarta: *A vanis, et otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia: Hominem ab initio sic constitutum fuisse, ut per dona, naturae superaddita, fuerit largitate conditoris sublimatus, et in Dei filium adoptatus.* Vigesima sexta: *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Haec eadem Thesis *Tituli* loco praefigitur Capiti quarto primi Libri *De prima hominis institutione.* Quae ibidem disserit Bajus, afferre liceat, ut splendidior mens ejus innotescat. „Licet plerique Recentiores, hominem ita initio absque Spiritu sancto creatum putaverint; attamen quia *Divus Thomas*, rei absurditate, et veterum Scriptorum testimonio permotus, ab eorum sententia recessit, docens ipsum cum

Spiritu sancto fuisse conditum; forsitan plerique non difficulter adducentur, ut supradictis Veterum testimoniis adhaerentes, a communi Recentiorum opinione discedant; fatentes hominem sic *initio conditum* esse rectum, ut *justitia, pietate, et caeteris Spiritus sancti charismatibus repletus fuerit*. Caeterum quod haec fuerit *naturalis ejus conditio*, cujus semper necessario sit absentia malum; et non potius *indebita quaedam humanae naturae exaltatio* . . . non facile persuaderi sibi patiantur. Quapropter de hac parte diligentius disserendum est.“ Duplex ille ordo, *naturae* et *gratiae*, *naturalis* et *supernaturalis*, *debitus* et *indebitus*, passim a Bajo rejicitur: ac utriusque ordinis distincta cognitionis, et amoris, et virtutum officia, alia *naturalia*, et alia *supernaturalia*, rejiciuntur. Utrumque agnoscit ordinem *Thomas:* docetque cum Augustino, *conditam naturam*, simulque *collatam* eidem *gratiam*. Hinc *hujus absentia* perperam adseritur necessario *malum quoddam*, et corruptio naturae. Theologorum opinionem, qui Adamum existimant primo conditum cum integritate ordinis naturalis, idest cum amore Dei *per ea quae facta sunt cogniti*, ac deinde evectum ad integritatem supernaturalis ordinis per amorem Dei *gratuita revelatione cujusmodi est in se manifestati*, in medio reliquit sacra Synodus Tridentina Sess. V. Can. I. ubi satius fuit enunciare: primum hominem *in sanctitate, et justitia* (nempe supernaturali) *constitutum fuisse:* deleta voce *Creatus*, qua Canon conceptus, paratusque fuerat.

Alia Baji accipe verba, quae habentur ibidem Capite VIII. „Putantes, primum hominem *ex inferiore quadam conditione*, in qua creatus fuerat, largitate Creatoris *per dona naturae superaddita* fuisse sublimatum, et in Dei filium adoptatum.“ Theologorum opinionem jam memoravimus, qui existimant, in homine primo innocente *integritatem ordinis naturalis* priorem fuisse *collatione gratiae*, qua is in ordine *supernaturali* integer, et rectus constitueretur. Augustinus, et Thomas, ac Theologorum frequentior natio docent, a Deo *naturam conditam*, simulque *gratiam eidem collatam*. Sive ordinem istum gratiae *praecesserit* creatio naturae, sive haec duo *simultanea* fuerint; ordini certe naturae superaddit *dona indebita*, *et supernaturalia* ordo gratiae.

Sequitur Bajus: „Quasi videlicet homo non fuerit *naturaliter* ad hoc conditus, ut *soli Deo serviret*, et postea *beatitudinem possideret*.“ Natura hominis per sese id unum habet, ut Deo *per ea quae facta sunt* cognito serviat, ipsumque hoc modo cognitum diligat, eoque demum per contemplationen perfectissimam fruatur, eique adhaereat amore perfectissimo juxta dirigentis cognitionis perfectionem. Sed hujus amoris, et beatitudinis naturalis (inquit Bajus) *neque locus, neque ratio in Scripturis sacris invenitur; sed a vanis, et otiosis hominibus, juxta Pelagii sensum, ex Philosophia confingitur*. Apostolus Paulus est, qui *naturalem* Dei cognitionem, *per ea quae facta sunt* partam, distinguit a cognitione Dei sublimiori, quae tota pendet ex *gratuita Spiritus revelatione*, qui *profunda Dei* ipsumque Deum *cujusmodi est in se* revelare dignatus est. Duplici cognitioni duplex respondet amor Dei: alter *naturalis*, quo diligitur Deus per ea quae facta sunt cognitus; alter *supernaturalis*, quo diligitur Deus gratuito revelatus *cujusmodi est in se*, per fidem in via, per claram visionem in patria.

Mentem suam, consiliumque suum penitius aperit Bajus ibidem Capite X. „Quando tamen *justitia semel peccato perdita*, secundum dispensationem Sacramenti a seculis a Deo absconditi, *per Christum* nobis misericorditer *redditur;* tunc quod alioqui *naturale* est, non *naturaliter* secundum vires in humana natura sitas, sed *mirabiliter* secundum rationes in Deo absconditas nobis *redditur*." Ad hominis naturam integram refert Bajus colere Deum *fide, spe, caritate,* quibus primi hominis *justitia* constabat. Hanc ille peccati merito amisit: nec ea ipsi redditur, nisi per Christum misericorditer, *secundum dispensationem sacramenti a seculis a Deo absconditi*, itemque *mirabiliter secundum rationes in Deo absconditas.* Factum porro, ut quod erat *naturale* ac *debitum*, evaderet *gratuitum, et supernaturale.* Alia est doctrina Ecclesiae: nimirum *claram visionem Dei*, ejusdemque *ita cogniti amorem*, sive in patria ubi videbimus eum sicuti est, sive in via ubi tam sublimem expectamus beatitudinem, minime ad ordinem naturae spectare, sed esse beneficia supra naturam elevata, sive in homine integro et innocente, sive in homine lapso. Haec vocat Aquinas 1..2. Qu. CXI. Art. I. ad 2. *dona supernaturalia*, quae carent *utroque debito: tum illo quod ex meritis provenit, et refertur ad personam:* tum illo *quod est secundum conditionem naturae; puta si dicamus, debitum esse homini quod habeat rationem, et alia quae ad humanam naturam pertinent.'*

Errorum, quos Lutherus et Calvinus cuderunt, videtur invidiam abs se voluisse Bajum amovere ibidem Capite X. „Hominis *justitia*, sive *ex naturae principiis tamquam efficientibus causis* orta fuerit, sive *a Deo immediate illi collata*, adhuc tamen illi *naturalis* fuit: quia sic *ad ejus integritatem* spectabat, ut sine ea non posset salva consistere, miseriaque carere.". Permittere videtur, ut primi hominis justitiam intelligamus fluentem *ex naturae principiis.* Quod ait, veluti corrigit his verbis: „Non ea tantum *naturalia* dicuntur, quae *ex internis principiis,* tamquam efficientibus causis oriuntur .... sed generaliter *quaecumque ad rei integritatem* pertinent, sic ut sine illis aut omnino esse non posset, aut bene esse non posset, maloque carere." Sed ipsum ad priorem sententiam rediisse, exempla declarant, *visus, auditus, sanitatis corporis, aliarumque qualitatum, quae ad hominis integritatem necessariae sunt.* Quas (inquit) *licet quibusdam natura non contulerit, sed Christi gratia reparaverit; has tamen nemo supernaturales vocat, aut naturales esse negat, sed eorum dumtaxat generationes.* Ex principiis naturae sive *specificae*, sive *individuae*, fluunt sine dubio *visio, auditio, sanitas corporis.* Organa si bene disposita sint, apta sequitur aut visio, aut auditio: ac sanitas corporis habetur, si bene se habeant solida, et fluida. Haec sunt omnia naturalia. Corrumpi contingit organorum, et partium corporis harmonia: hinc coecitas, surditas, infirmitas consequuntur. Priorem aptam dispositionem *mirabiliter* valet reparare Deus: quo casu *supernaturalis* est reparatio, sed naturale donum reparatum. Longissime distat *justitia primi hominis:* quae constabat *ordinatione ad visionem claram Dei* vires omnes naturae creatae excedentem, et amore ipsius Dei clare cogniti in patria, et per fidem in via crediti. *Inferior* attamen distingui *justitia,* aut *rectitudo*, aut *integritas* potest intra ordinem naturalem: quae id unum

exposcit, ut supremum Creatorem *per ea quae facta* sunt cognoscat homo, ipsumque sic cognitum diligat, et glorificet. Haec non habere foret vitium, et malum; non illa sublimiora alia dona. Comperta est Thomae doctrina Qu. IV. de Malo Art. I. ad 14. ubi admonet disertissime: nec miseriam, nec malum homini fore, *qui in solis naturalibus esset, carere visione divina:* solum esse *defectum*, ea *competentem* homini ratione, *quia non habet in se, unde possit ad divinam visionem pervenire:* adeoque homini, *qui in solis naturalibus esset*, non fore vitium carere fide, spe, et caritate, quibus in Deum supernaturale objectum tendimus, clara visione *cujusmodi est in se* conspiciendum in patria.

CAPUT XXXVII.

Eadem sunt Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis commenta, ac Bajana. Visionem Dei, ejusque dilectionem, ac beatitudinem in his consistentem, collocat inter bona naturalia: quae simul vocat supernaturalia. Adversatur Aquinas: non favet Augustinus. Gratuiti, et Debiti nominibus abutitur idem Jansenius: resque significatas confundit. Refellitur. Doctrina ejus paucis delineata. Hanc instaurat Paschasius Quesnellius.

I. Michaelis Baji vestigia premit *Cornelius Jansenius.* Bajanam quamdam Thesim sibi objecerat Libro III. de statu naturae purae Cap. XXII. At *quid ergo* (inquit) *ad propositionem, quam proscripsit Apostolica Sedes? Haereo, fateor.* Quid vero? Bajani commenti vocabula mutat, commentum ipsum tenet. Mentem ejus aperire praestat. Verba primum affero, quae habentur Libro I. de eodem statu purae naturae Cap. III. „Certum esse arbitror (inquit) et etiam apud Scholasticos in confesso, non posse produci a Deo *connaturali modo* creaturam rationalem, quin propter finem suum ultimum connaturalem producatur: ita videlicet, ut ei vero sinceroque amore sua voluntante conjungatur; vel certe, ut a controversiis abstrahamus, ut *talibus subsidiis* instructa sit, ut in eum (finem) suae voluntatis nutum convertere, vel ab eo avertere *possit.*" Jansenio annuimus haec disserenti, quae consona sunt Orthodoxis quibusque Theologis.

„Hic autem (pergit ille) *connaturalis* creaturae rationalis, et *ultimus* finis non est, nec esse potest alius quam *unus et verus Deus,* ut *vero amore* diligendus." Nempe ultimum finem, qui sit rationali creaturae *connaturalis*, ac *proportionatus,* nemo non adserit unum et verum Deum esse, vero amore diligendum: unum scilicet et verum Deum *per ea quae facta sunt* cognitum, ipsumque diligendum ita cognitum.

Adversam gerit Jansenius mentem, quam in fine memorati Capitis aperit his verbis: „Scio equidem, confestim hic Scholasticorum cogitationibus occursuram solemnem illam *distinctionem* suam de amore Dei *naturali*, et *supernaturali.* Deberi siquidem creaturae rationali *naturalem amorem* principii ac finis sui, quo super omnia diligat eum, eumque diligendo naturalia ejus praecepta custodiat; nullo vero modo deberi *amorem* illum qui *naturae vires superet,* et creaturam *ad statum supernaturalem* supponat. Scio haec, sed scio etiam, in universis Operibus *Augustini*, vel cujusquam *antiqui Patris* ... in ullius *Concilii*

Canone, vel doctrina, in ullius *sacri libri* pagina, nullum *hujus distinctionis* esse vestigium, sed Philosophiae humanae viribus esse excogitatum... Satagendum est, ut ostendamus... *amorem illum Creatoris*, sine quo creatura rationalis instituti nequit, non posse in creatura fieri *sine vera, et proprie dicta gratia.*" Vera, et proprie dicta *gratia* ad ordinem spectat natura creata superiorem, idest *supernaturalem*. Hujusce ordinis officia sunt credere Deum, ac *ejus profunda* gratuito revelationis favore patefacta; amare Deum *cujusmodi est in se* fide cognitum in via, et clare visum in patria; ac spe tendere in beatitudinem futuram, in eadem *clara visione* positam. Haec sunt dona *supernaturalia*, quae in creatura fieri non possunt sine *gratia proprie dicta*; idest indebita, tum illo debito quod respicit *meritum personae*, tum alio debito, quod est *secundum conditionem naturae*. At sine beneficiis hujuscemodi extraordinariis institui creatura rationalis a Deo potuit.

II. Gravissimas, quae contra *Baji* doctrinam militabant, vidit *Jansenius* difficultates. Ad examen vocat illas: susque deque miscet omnia. Prima difficultas est, inquit Cap. XV. *utrum sit amor iste, sine quo creatura rationalis institui nequit, naturalis, et quo sensu?* „Mihi videtur (reponit ille) juxta Sancti Doctoris (Augustini) principia, *utrumque* de illo amore Dei, sine quo creatura rationalis recta, et bona esse nequit, citra contradictionem posse dici et *naturalem* esse, et *supernaturalem*. Quod *supernaturalis* sit, nulla inter Catholicos controversia est. Nam uti beatitudo sempiterna, ita et via ad illam, caritas Dei, omnes naturae vires superat." Inter Catholicos nulla utique controversia est, *supernaturalem* esse beatitudinem sempiternam: in illis videlicet consistentem *profundis Dei*, quae *nec oculus vidit, nec auris audivit:* quaeve *in cor hominis non ascendunt* per ea quae facta sunt, a Deo se diligentibus praeparata. *Naturalem* aliam distinguimus beatitudinem, quae Deus est *per ea quae facta sunt*, cognitus, ac bonorum naturalium largitor: ac naturalem alium amorem, quem dirigit praedicta cognitio Dei *per ea quae facta sunt.*

„Et quidem non esse eo sensu *naturalem*, quia sit pars naturae, nimis manifestum est: dilectio enim, sicut et fruitio, hoc est beatitudo creaturae, tam imperfecta, quam perfecta, sunt actiones; unde non possunt esse partes creaturae rationalis. Perinde perspicuum est non esse *naturalem*, quod ex *principiis naturae*, seu facultatibus naturalibus creaturae rationalis fiat. Jam enim diximus, omnes facultates naturae superare. Unde hallucinantur *Lutherus*, et *Calvinus*, qui voluerant justitiam originalem . . . *esse naturale bonum*, quale est *pecudi sanitas*, vel *aquae frigus*, quod ex ipsa naturaliter pullulat."

Justitiam originalem Heterodoxi comparant sanitati naturali, quae apta est nasci ex integro, et bene disposito corpore: itemque comparant visioni, quae oritur ex sano organo visus. Haec bona sunt *naturalia*, tametsi non sint partes essentiales naturae, vel proprietates necessario ortae ex natura; sed actiones fluentes ex facultatibus naturae, aut affectiones quae naturam bene se habentem consequntur. In ordine naturali nihil obstat, quominus detur *cognitio naturalis Dei*, et *amor naturalis ejusdem*, et *beatitudo naturalis:* propterea quod,

tametsi actiones, fluunt attamen ex viribus, et principiis naturae. Ad *sublimiorem ordinem* spectabat primi hominis justitia, caritas per Spiritum sanctum infusa, et beatitudo ejusdem, scilicet *visio clara Dei*. Sunt enim dona supra vires naturae, et supra conditionem, ac integritatem naturae.

„Itaque dicendum arbitror, *dilectionem Dei* dici posse creaturae rationali *naturalem*, primo ex parte rationis; quia ratio naturali lumine dictat, Deum super omnia creata esse diligendum.“ *Naturale lumen* proprie, directe, ac vi sua dictat, Deum per ea quae facta sunt cognitum super omnia *amore naturali* diligendum esse. Altius per sese non adsurgit: et quemadmodum non attingit Deum, *cujusmodi est in se*, ita sub hac ratione diligendum non proponit. Attamen posito naturae ad visionem claram Dei *elevatae* statu, Theologi docent: *lumine* etiam *naturali*, quodammodo *indirecte* dictari, diligendum super omnia esse Deum sub ea quacumque ratione, qua gratuito etiam revelationis favore innotescit. Quae minime Jansenio favet sententia.

„Secundo *naturalis* dici potest iste amor Dei ex *parte appetitus*. Quod ita ostendi potest: Deus enim, quantumvis eum nonnisi per *auxilium supernaturale* sequi diligendo, vel consequi fruendo possimus, est tamen *finis* hominis *naturalis*, quo nec inferior ei, nec superior dari potest.... Quod si Deus, quantumvis *supernaturaliter* videndus, ac fruendus, sit *finis* hominis *naturalis*; et eum homo appetat, ac desideret, et in eum inclinetur *naturaliter* ... certe consequens est, eamdem voluntatem naturaliter inclinari in amorem Dei .... quamvis nec hunc, nec illum assequi naturaliter, sed tantummodo per supernaturalem opitulationem Dei.... Sic ergo patet, quo pacto et sensu *amor Dei* poterit vocari *naturalis* respectu voluntatis .... Et facile intelligitur, longe aliter dilectionem Dei esse creaturae rationali naturalem, quam tantummodo quia ei consentanea est, vel quia ornat ac perficit eam. Est enim *naturalis*, quia natura ipsa dictat, arctissimeque obstrictam se naturaliter sentit, ut eum humillime castissimeque diligat; et quia natura ipsa ad hoc appetendum condita est, et *naturaliter* inclinatur, etsi neque quod dictat, neque quod appetit, sibi ipsa dare possit.“ Communis Theologorum sententia uno frangit ictu Jansenianum systema. Siquidem natura ipsa non alias vires habet, nisi quibus Deum cognoscat per ea quae facta sunt: nonnisi hoc modo cognitum Deum amandum esse, dictat ratio naturalis: ipsumque eodem modo cognitum natura voluntatis appetit, amat, desiderat, veluti suum ultimum finem naturalem. *Sublimior alius* est *ordo*, in quo rationali creaturae finis ultimus praestituitur Deus clare videndus: eique media in hac via parantur fidei, spei, et caritatis, quibus in ipsum tendat, eoque demum fruatur. Haec dona sunt cum natura *minime connexa, omnino gratuita*, et *extraordinaria*, quae *supernaturalia* vocantur. Janseniana allata verba opinionem illam fortius impetere videntur, quae *visionem claram Dei* vocat *finem hominis naturalem*, habito respectu ad ejusdem hominis *appetitum innatum*, ab ipsa voluntate et mente indistinctum: ac nihilominus *quoad consecutionem* ipsum fatetur *supernaturalem*, positumque supra vires naturae. Hac de re Capite superiore num. III. disserentem audivimus *Dominicum*

Soto: qui tamen nullo modo naturalem, aut connexam cum natura, aut naturae debitam vocat sive cognitionem Dei *cujusmodi est in se*, sive dilectionem ejusdem. Adhuc infra hocce de argumento agendum.

Adeo vero beatitudinem in Dei clare visi fruitione positam, atque dilectionem qua in ipsam tendimus, dici oportere *bona naturalia* contendit Jansenius in calce Capitis XV. et insequente Capite XVI. ut doceat: *Non adhaerere Deo ita esse vitium hominis, ut sit naturae contrarium, ut naturae adversetur, ut naturam perimat, atque corrumpat.* Locum affert Augustini Libro XII. de Civitate Dei Cap. I. *Cum vitium oculorum dicitur coecitas* (inquientis) *id ostenditur quod ad naturam oculorum pertinet visus: et cum vitium aurium dicitur surditas, ad eorum naturam monstratur pertinere auditus, ita cum vitium creaturae angelicae* (et rationalis cujusque) *dicitur quod non adhaereat Deo, hinc aperte declaratur ejus natura, ut Deo adhaereat.* „Cujusmodi Augustini doctrina (Jansenii verba sunt loco citato) perspicue declarat, adhaerere Deo non sic esse aliquid *naturae superadditum*, ut ejus privatio sit ablatio perfectionis ornantis tantum, ut Recentiores volunt; sed hujusmodi perfectionis, ut sit vitium rationalis creaturae, contra naturalem institutionem ejus, quae quamdiu creatura rationalis est, mutari nequit... Hinc est, quod ... bono adhaesionis eam privare, sit ipsam naturam dehonestari atque turpari, ipsamque ejus integritatem minui, ipsam salutem ejus auferri, ipsam naturam minui.“ *Lutherus*, et *Calvinus* ampliora non adhibuerunt, nec fortiora verba. Aut illudit lectoribus *Jansenius*: aut *supernaturalitatem* tum visionis clarae Dei, tum dilectionis Dei per fidem in via cogniti, per claram visionem in patria, quam se profitetur admittere, tollit certe, ac evertit: sibique Augustinum favere, jactat quidem, evincet numquam.

III. Naturae rationalis *per sese* sumptae vitium utique contra naturam ejus foret *non adhaerere Deo*, quatenus nativo lumine per ea quae facta sunt cognosci potest. Naturae integritas esset imminuta, cui vires deficerent Deum diligendi eo modo cognitum: ejusque sanitas foret ablata, si hujusmodi dilectione privaretur. *Supra naturam* est cognoscere Deum *cujusmodi est in se*, ipsumque ita cognitum amare: unde utriusque defectus non est vitium naturae, sed ejus conditio: ac utriusque absentia non esset *privatio*, sed perfectionis prorsus indebitae *negatio*. Rem totam luculentissime conficit S. Thomas verbis jam allatis, quae repetere liceat ex Qu. IV. de malo Art. I. ad 14. *Carentia divinae visionis dupliciter competit alicui. Uno modo sic quod non habeat in se, unde possit ad divinam visionem pervenire: et sic carentia divinae visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset, etiam absque peccato. Sic enim carentia divinae visionis non est poena* (et carentia divinae caritatis non est vitium), *sed defectus consequens omnem naturam creatam: quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad divinam visionem. Alio modo potest alicui competere carentia divinae visionis hoc modo, ut habeat in se aliquid ex quo debetur ei, quod careat visione divina: et sic carentia divinae visionis est poena et originalis, et actualis peccati.* Haec Jansenio adversantur ex diametro. Itemque commento ejus repugnant, quae habentur pauca verba ad XI. *Originalis justitia fuit superaddita primo*

homini ex liberalitate divina: sed quod huic animae non detur a Deo (in praesenti naturae elevatae, lapsaeque statu), *non est ex parte ejus; sed ex parte humanae naturae, in qua invenitur contrarium prohibens.*

Num Augustini doctrina repugnet? Minime sane. Possibilem *purae naturae* statum locis in illis, quae a Jansenio allegantur, non expendit, nec expendere Sanctissimus Pater debuerat. Humanam considerat naturam, qualem accepit *primus homo*, sublimatam ad *ordinem supernaturalem*, ordinatam ad *visionem claram Dei*, ac mediis munitam necessariis, quibus in eamdem fide, spe, caritate in via tenderet, ac eam adsequi posset in patria. Hinc vero illud omne, quod primus homo *in sua creatione* acceperat a Deo *simul largiente gratiam*, tametsi dona acceperit supra naturam, *naturale* vocat Augustinus: eademque dona eo sensu in Adae posteris vocat *naturalia*, quod ipsi, primo parente non peccante, *in ipsa* acciperent *nativitate*. Post Adae miserrimum lapsum, *carentia divinae visionis*, quae homini *in solis naturalibus* competeret veluti quidam *defectus* naturae conditionem consequens, poena evasit in praesenti naturae elevatae, et lapsae statu: et *carentia adhaesionis Deo* per caritatem, quae non esset *in solis naturalibus*, nisi perfectionis indebitae absentia, facta est *privatio* perfectionis juxta praesentis providentiae leges debitae: diciturque demum *vitium, et corruptio naturae*, tum quia naturae integritatem, qualem condidit Deus, corrumpit ac violat, tum etiam quod ipsam in naturalibus laedit naturam, viribus nativis attenuatis, quibus diligi Deus auctor naturae, et alia naturalis ordinis officia implere potuissent. Hac de re disserunt egregie Theologi, auxilia divinae gratiae illustrantes.

IV. Difficultatem proponit alteram Jansenius Capite XVII. *An amor ille gratiae sit debitus creaturae rationali innocenti, et quomodo?* Amorem gratiae intelligit, quem *supernaturalem*, simulque *naturalem* dici posse citrà contradictionem jam dixerat. Alteram ut hanc difficultatem expediat, statuit ille: „Non posse creaturam rationalem, nulla omnino iniquitate praeeunte, sine *casto Dei amore* condi: aut certe sine *sufficientissima*, ut Augustinus loquitur, *facultate*, qua possit caste inhaerere Creatori suo.“ *Castum amorem* intelligit, quem Theologi vocant *Caritatem* directam fide, quae credit profunda Dei, clara visione conspicienda in patria: et hanc dilectionem, aut certe sufficientissimam facultatem ad illam, rationali creaturae quae sit innocens ac integra, *debitam* adserit. Debitam fatentur Theologi, quos ille *Scholasticos* appellat, rationali creaturae facultatem, quae valeat Deum agnoscere *per ea quae facta sunt*, ipsumque hoc modo cognitum amare. Supra naturae conditionem est cognoscere clara visione in patria ipsius Dei profunda, eademque in statu viae credere, expectare, amare. Haec sunt sublimia dona, libero et gratuito favore Dei collata: solentque propriissime appellari *gratia*.

Emergentem Jansenius proponit difficultatem Capite XX. *Quomodo jam gratiae ratio cum tanta dandi necessitate cohaerere possit?* Siquidem debitam rationali creaturae statuit facultatem diligendi caritate Deum et sine illa condi a Deo rationalem creaturam non posse contendit: quomodo ergo simul *gratia* fuerit? Haec duo, quae repugnantiam produnt, duplici conciliari posse ratione censet. „Atque

considerandum est primo, (inquit) *gratiae propriissime dictae* non repugnare *debita quaelibet,* seu connaturalitates, decentias, et congruentias, et aequitates, quae oriuntur ex aliis capitibus, quam ex jure creaturae.“ Tot scilicet connaturalitatis, decentiae, congruentiae, aequitatis titulis debitam rationali creaturae facultatem diligendi caritate Deum contendit Jansenius, ut perinde demum sit eam deberi *ex jure ipsius creaturae.* Hanc *integram* non esse ait, nisi *Deo caritate adhaereat*, sive nisi praesto habeat facultatem ad diligendum: hujusce absentiam et *vitium* esse creaturae rationalis, et *poenam peccati:* innocentem illam condi non posse a Deo sine praedicta caritate, aliisque sine mediis et auxiliis quibus adsequi demum valeat claram Dei visionem in patria. Haec jus ipsius creaturae sonant. Pro *vario* ejusdem rationalis naturae *statu* nos etiam debitas fatemur necessarias facultates, quibus pro varia status conditione Deum agnoscat, et diligat. Facultatem sufficientem ad amandum caritate Deum, *debitam aliquo modo* rationali creaturae non inficiantur Theologi: nimirum *praesupposita* ejusdem ad finem supernaturalem *elevatione*, quam omnino indebitam sustinent, ac Deo plane liberam, ut ab illa abstinere potuerit. Haec inficiatur omnia Jansenius. Quam demum in quolibet rationalis naturae statu *rationem debiti* cum admittimus, non ita accipiendam esse animadvertit Sanctus Thomas 1. 2. Qu. CXI. Art. I. ad 2. acsi *debitum* dicatur *propter hoc, quod Deus creaturae obligetur:* immo *potius* debitum dici debet, *inquantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur. Quae* (nempe) *talis est, ut talis natura tales conditiones, vel proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur.* Itaque divina ordinatio est, ut rationalis creatura in eo, in quo conditur statu, valeat pro varia status conditione et agnoscere, et amare Deum, et rationis officia implere. *Unam* Dei ordinationem agnoscit Jansenius, ut rationalis creatura facultate polleat, *Deo adhaerendi fide, spe, caritate,* ipsoque demum fruendi clare viso *cujusmodi est in se.*

Gradum movet ille. „Secundo considerandum, (inquit) *gratiae propriissime dictae* solummodo repugnare *opus creaturae*, (seu meritum personae,) cui illa *debeatur* ... Non veretur Augustinus *meritum gratiae* improprie dictum assignare naturae, (quod alii vocant conditionem, et exigentiam naturae;) dummodo nullum opus ejus, vel voluntas bona gratiam praecedat .... Ex eadem radice saepe docet, etiam *naturam* esse *veram gratiam*, hoc est gratuitum donum, quia nullis operibus retributa est . . . Quod si alicubi *Augustinus* etiam illud improprie dictum naturae meritum a gratia submovere videatur, tunc peculiariter de gratia, non *primae conditionis,* sed *Christi Redemptoris* loquitur: nam gratiae Redemptoris non tantum meritum voluntatis, sed etiam naturae adversatur.“ Ipsissima est *Michaelis Baji* doctrina: *Justitiae dona,* quae in homine primum condito *debita* erant, ac *naturalia,* post ejus lapsum esse effecta *omnino gratuita,* et *supernaturalia*, utpote quae per Christum nobis misericorditer, et mirabiliter reddita.

V. Adversa sunt Sancti Thomae solidissima documenta, quae juvat repetere ex 1. 2. Qu. CXI. Art. I. ad 2. „*Gratia* secundum quod gratis datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi

duplex debitum. Unum quidem *ex merito* proveniens, quod refertur *ad personam*, cujus est agere meritoria opera secundum illud ad Rom. IV. *Ei qui operatur, merces imputatur secundum debitum, non secundum gratiam.* Aliud est debitum secundum *conditionem naturae:* puta si dicamus, debitum esse homini quod habeat rationem, et alia quae ad humanam pertinent naturam . . . . Igitur *naturalia* carent primo debito, non autem carent secundo. Sed dona *supernaturalia* carent *utroque debito:* et ideo *specialius* sibi nomen *gratiae* vindicant.“ Pauca sunt verba, quae totum convellunt *Baji*, et *Jansenii* commentum. Sublimatio naturae ad *visionem claram Dei*, et ad media ad illam adsequendam proportionata, fidem, spem, caritatem, donum est *supernaturale*, quod *utroque debito* caret, tum proveniente ex merito personae, tum ex conditione naturae: unde *specialius* et propriissime *gratia* vocatur. Hanc imminuit *rationem gratiae* Jansenius, qui eo tantum modo *gratiam* vocat, quia *merito personae* non retribuitur: quo utique sensu ipsa etiam natura, et quae ad naturam pertinent, a Deo in creatione collata, dicuntur *gratia.* At enim primo elevatio naturae ad *visionem claram Dei* dicitur gratia, tum quia est *supra conditionem naturae*, tum quia *non retribuitur meritis.* Deinde dona, quae ad hunc ordinem elevationis pertinent, *gratiae* rationem et nomen habent omnia, quia cum naturae conditione nexum nullum habent. Accedit, ex his donis intra praedictum elevationis ordinem, quem *supernaturalem* vocamus, aliqua esse, quae sunt supra conditionem naturae, et nihilominus retribuuntur meritis: ut patet in *ipsa clara visione Dei*, quae superat omnem naturam, et merces est meritis retributa. Sunt alia, quae non dantur ex merito, et supra naturae conditionem attolluntur, ut auxilia divina specialia ad fidem, spem, caritatem. Sunt alia, quae utraque praedicta conditione pollent, sed attamen quodammodo debita dicuntur non ipsi naturae per sese spectatae, sed eidem ad ordinem supernaturalem evectae: quo sensu auxilia intra eumdem ordinem *sufficientia* dici solent quodammodo *debita.* Hinc vero *visio clara Dei*, tametsi retribuatur meritis, adhuc etiam ex hac parte dici speciali ratione debet *gratia*, quoniam ea merita comparantur auxiliis divinis, quae multiplici titulo rationem debiti excludunt, ut satis innuimus. Ipsa demum merita, quae sunt opera fidei, spei, caritatis, *gratia* dicuntur, quoniam ad ordinem gratuitum naturae superadditum spectant, ac opitulatione divinae gratiae fiunt. Diligentiore calamo haec alibi explanantur.

VI. Jam patet, doctrinam *Lutheri*, et *Calvini*, et *Baji* recudisse Jansenium: ejusque invidiam ut declinaret, germanam vocum significationem immutasse. *Justitiam originalem*, quae caritatem Dei veluti viam complectitur per sese ducentem ad sempiternam ipsius fruitionem in patria, *naturalem* simul appellat, et *supernaturalem*, itemque *debitam*, et *gratiam* seu gratuitam. Nempe *gratuitam* vocat per solam exclusionem meriti praecedentis: quo etiam sensu ipsa natura a Deo condita dicitur *gratia.* Vocat autem *supernaturalem*, quia tametsi pluribus nominibus ac titulis, et *naturalis* censenda sit, et *debita secundum conditionem naturae*, haberi tamen non potest *sine auxilio Dei.* Quid vero fuerit juxta Jansenii doctrinam divinum hujusmodi auxilium? Docet 1. necessarium esse ad castum Dei amorem obtinendum.

Docet 2. consequens esse, ut illud innocenti rationali creaturae teneatur Deus impertiri, ne ipsa creatura praeceptum sine culpa non implendo vitium incurrat corruptionemque, et ne ipse Deus jubendo in eamdem creaturae culpam cadat. In hanc a Jansenio prolatam doctrinam Theologi animadvertunt, perperam ex ea rationem *supernaturalitatis* colligi, in casto Dei amore elucentem: siquidem par esset in ipso naturali etiam ordine necessitas auxilii innocenti creaturae a Deo conferendi, ad ipsum cognoscendum Deum per ea quae facta sunt, et amandum ita cognitum. Dilucide, ac verissime *supernaturale* ab Aquinate opponitur *debito secundum conditionem naturae: puta si dicamus, debitum esse homini quod habeat rationem, et alia quae ad humanam pertinent naturam.* Unde colligitur demum *debitum* non esse naturae humanae, neque ulli naturae creatae, quod sit *elevata ad visionem claram Dei* in patria, quodve proportionatas habeat vires, ac media proportionata, quibus ad eamdem tendat, fide nempe, spe, caritate, et auxiliis ejusdem ordinis.

Propria vocum retenta notione, idem procuderat commentum *Bajus:* Justitiam scilicet *originalem*, castamque Dei dilectionem, aut potestatem diligendi Deum caritate, sicuti *debitam* integritati naturae, ita *naturalem* fuisse: eamdemque post hominis lapsum *indebitam* factam esse naturae corruptae, adeoque *gratiam*, sive *gratuitam:* atque demum *supernaturalem*, utpote quae nonnisi per Christum *misericorditer*, ac *mirabiliter* secundum rationes in Deo absconditas, nobis reddatur.

VII. Ab hisce magistris non discedit discipulus eorum, *Paschasius Quesnellius.* Mentem ejus prodit Thesis XXXV. in Constitutione *Unigenitus* a Clemente XI. lata anno 1713. *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturae sanae, et integrae.* Duplicem ordinem, *naturalem*, et *supernaturalem*, cum donis et auxiliis pro utriusque ordinis diversitate inter se differentibus, inficiatur Quesnellius.

In ordine *naturali* vires praesto forent naturae, quibus Deum cognoscere *per ea quae facta sunt*, ipsumque hoc modo cognitum amare, eoque demum tamquam beatitudine naturali frui posset. Ipsius creationis dici *sequela* potest divinum auxilium, ad ea naturalia praestanda officia necessarium: quod utique *auxilium*, tametsi *quodammodo gratiae nomine*, quemadmodum et *ipsa natura*, insigniri queat ea ratione, quod *ex praevio merito* non proficiscitur, revera ac propriissime *naturale* dicendum est, naturae scilicet proportionatum. Adamum condidit Deus, tum ejus *naturam creando*, tum simul etiam *largiendo gratiam.* In uno eodemque Adamo ordines duo, *naturalis*, et *supernaturalis*, conjuncti fuerunt: eidemque collata sunt dona *naturae*, et dona *supra naturam.* Inter haec posteriora collocamus *elevationem* ad visionem claram Dei, ac sublimia dona fidei, spei, caritatis, itemque *supernaturalia auxilia divina*, quae dici possunt sequela, non *creationis*, sed *elevationis* naturae gratuito favore Dei factae.

Rem hanc, tot aliis documentis jam confectam, luculentissimis adhuc Thomae Aquinatis verbis illustrare praestat. Ait enim 1. 2. Qu. V. Art. V. „*Beatitudo imperfecta*, quae in hac vita haberi potest,

(quaeve unica ut homini praestituta a Deo foret, nulla est repugnantia,) potest ab homine acquiri *per sua naturalia*, (sive insitas vires consideres, sive necessarium Dei Creatoris adjutorium inter dona naturalia computandum,) eo modo, quo (potest ab homine acquiri per sua naturalia) et virtus, in cujus operatione consistit (beatitudo naturalis.) Sed beatitudo hominis perfecta (ad quam gratuito Dei favore sublimatam credimus naturam humanam) consistit in *visione divinae essentiae*. Videre autem divinam essentiam est supra naturam non solum hominis, sed etiam omnis creaturae. Unde nec homo, nec aliqua creatura potest consequi beatitudinem ultimam per sua naturalia." Quemadmodum vero ad ordinem natura superiorem, seu *supernaturalem*, pertinet visio clara Dei; ita *supernaturalia* requiruntur media ad eam adsequendam, quae sunt gratiae supernaturalis auxilia, et opera ac merita fidei, spei, caritatis divino supernaturali adjutorio elicita, et comparata. Splendida haec est Thomae doctrina 1. 2. Qu. CIX. Art. V. „Actus *perducentes ad finem*, oportet esse *fini proportionatos*. Nullus autem actus excedit proportionem principii activi: et ideo videmus in rebus naturalibus, quod nulla res potest per suam operationem perficere effectum, qui excedat virtutem activam; sed solum potest producere per operationem effectum, suae virtuti proportionatum. *Vita* autem *aeterna* est finis *excedens* proportionem naturae humanae: et ideo homo *per sua naturalia* non potest producere opera meritoria, *proportionata vitae aeternae;* sed ad hoc exigitur altior virtus, quae est *virtus gratiae*." Hanc scilicet gratiam intellige, quae tum *personae merito* praecedenti non debetur, tum ipsi etiam *naturae* debita non est secundum conditionem naturae, ut saepe docentem induximus Aquinatem.

CAPUT XXXVIII.

Theologorum opinio expenditur, qui claram visionem Dei vocant finem naturalem hominis quoad appetitum, minime quoad consecutionem. Status purae naturae, quae ad solam naturalem beatitudinem ordinaretur, possibilis est, tum Dei omnipotentia per sese spectata, tum etiam ut conjuncta cum aliis divinis attributis. Potentiae Dei absolutae et ordinatae, ordinariae et extraordinariae, genuinae notiones explanantur. Duplex purae naturae status.

I. Theologorum opinionem Capite XXXVI. num. III. memoravimus, qui Deum clare videndum in patria existimant, *finem esse, ac dici oportere nobis naturalem respectu appetitus: et nihilominus, ejus adsecutio si spectetur, positum illum supra vires naturae.* In eam diligentius hoc loco inquirendum. *Bellarminus* Tomo IV. in Libro de Gratia primi Hominis Capite VII. in fine sic habet: „Non parva quaestio est, sit-ne sempiterna beatitudo, quae in *visione Dei* sita est, finis hominis *naturalis*, an *supernaturalis?* ... Admissa parte affirmante, respondeo: Beatitudinem finem hominis naturalem esse *quoad appetitum*, non *quoad consecutionem*. (Dominici Soti, aliorumque sententia haec est.) Neque est aut novum, aut hominis natura indignum, ut *naturaliter* appetat, quod nonnisi *supernaturali auxilio* consequi valeat. Non est, inquam, novum: siquidem animae hominum solutae

corporibus naturalem habent ordinem, et propensionem ad corpora, quorum formae fuerunt; nec tamen iterum conjungi corporibus sine *supernaturali* auxilio poterunt. Non est autem natura humana indignum, sed contra potius ad maximam ejus pertinet dignitatem, quod ad sublimiorem finem condita sit, quam ut eum solis naturae suae viribus attingere possit."

„Dicet fortasse quispiam. Esto, egeat homo *supernaturalibus* mediis; tamen id sequetur, ut non potuerit sine mediis illis creari, ac per hoc non potuerit *talis creari, qualis nunc nascitur:* neque enim ad finem inferiorem condi potuit, nisi natura ejus mutaretur, neque negari media potuerunt ad finem naturalem obtinendum. Respondeo: aequum omnino fuisse, ut Deus homini, ad finem tam sublimem ordinato, media necessaria non negaret; tamen nihil absurdi sequuturum, si negasset. Nam tametsi illa beatitudo sit *finis hominis naturalis,* tamen est finis *improportionatus:* et praeter eum, habet homo alium finem *naturalem* sibi omnino proportionatum, qui est ratiocinando inquirere veritatem. Quare potuit Deus hominem per naturalia media ad finem naturae suae proportionatum perducere: nec altius evehere."

Quam longe a *Bajanis,* et *Jansenianis,* atque *Quesnellianis,* ac sine dubio *Lutheri et Calvini* commentis haec Theologorum opinio distet, satis patefacit Bellarmini animadversio. Utut *visio clara Dei* dici *naturalis* mentis creatae finis *quoad appetitum* queat; minime tamen *consecutio ejusdem* per media naturalia, atque naturae debita, obtineri potest. Hinc ad *ordinem* natura *superiorem* pertinent fides, spes, caritas, atque divina auxilia ad hujusmodi virtutum actus exserendos necessaria. Quin etiam *visio clara Dei,* atque Dei clare visi fruitio, tametsi naturalis dicatur mentis creatae finis, intelligi tamen debet *finis* ejusdem *improportionatus:* ut nonnisi demum *latiore quodam sensu* naturalis appellari queat. Ac sane adeo *improportionatus* est, ut praeter eum habeat homo alium *finem naturalem* sibi omnino proportionatum, qui est ratiocinando inquirere veritatem, maximeque Deum et ea quae Dei sunt cognoscere et contemplari *per ea quae facta sunt:* adeoque rursum *improportionatus* est, ut hominem Deus potuerit per naturalia media ad finem naturae suae proportionatum perducere, neque ipsum *altius evehere.* Haec inficiantur omnia heterodoxi homines, *Bajus* etiam, *Jansenius,* et *Quesnellius.*

Ad ipsam quod attinet opinionem, plura mihi videntur praesto esse, quae illam rejiciunt. Minime apta est comparatio, desumpta ex *anima corpore soluta,* quae naturalem ad ipsum corpus retinere dicitur propensionem, tametsi *reunio* absque viribus supernaturalibus haberi nequeat. Egregie admonentem audivimus Aquinatem: *Resurrectionis principium activum non esse quidem naturam, sed ad vitam nihilominus naturae terminari.* Quid ergo mirum, animam solutam corpore, naturali quodam appetitu ferri in vitam naturae! At *visio clara Dei* vires naturae superat, quia ipsa per sese naturam omnem creatam excedit: unde mirum foret, immo absurdum, *naturalem* ad ipsam dari *appetitum.*

Num *elicitum,* ut vocant, *appetitum,* qui cognitione dirigitur, intelligas? At naturalis elicitus appetitus naturali dirigitur cognitione,

quae minime ad cognoscendum Deum *cujusmodi est in se* pertingit. Quemadmodum vero valet ipsa adsurgere in notitiam Dei *per ea quae facta sunt*, ita valet appetitum excitare ejusdem Dei per ea quae facta sunt cogniti. Unde naturalis finis *quoad istum appetitum* dici nequid visio clara Dei. Alius est *elicitus appetitus*, qui naturaliter ac necessario menti creatae inest, a Deo naturae conditore impressus. Mens creata hujusmodi appetitu, veluti pondere quodam, in Deum conditorem suum, suumque finem fertur: sub ratione scilicet *boni communis*, et *beatitudinis*, et *felicitatis*, ut Sancti Thomae, et Theologorum documentis, ac intima quoque experientia constat. Jam ergo commentum fuerit, *visionem claram Dei*, aut Dei clare visi fruitionem, *quoad istum appetitum*, appellare finem naturalem.

Inquiunt nonnulli, *innatum appetitum* intelligendum esse, ab ipsa creata voluntate, aut mente non distinctum: quo mens ipsa creata, nullo praevio lumine, suapte natura, tendit in Deum cujusmodi est in se. Difficillima proferuntur, quae vix intelligi queant. Quid enim fuerit *coecus iste appetitus?* Num ipsius mentis *capacitas?* Alia est *activa naturalis*, qua mens per intellectum, et voluntatem valet cognoscere Deum *per ea quae facta sunt*, ipsumque ita cognitum amare. Praesidium nullum haec adversariis capacitas affert. Alia est *capacitas passiva*, vel etiam *activa obedientialis potentia*, ut vocant, qua mens creata tum a Deo *recipere* potest lumen superius gratuitae revelationis, quo deinde Deum cognoscat *cujusmodi est in se;* itemque superiores recipere vires, queis ipsum Deum revelatione manifestum diligat. Quae utique *capacitas*, seu *potentia obedientialis*, vel nomine *innati appetitus* insigniri non potest, vel *latiore et improprio quodam sensu* appetitus dicitur: ut visionem claram Dei, appellari demum *finem naturalem*, si ad *istum* comparetur *appetitum*, ineptum sit et absurdum. Vocibus ego, non reipsa hanc putaverim differre opinionem a communiore, quam Scholae docent.

At *innatus*, quocumque demum intelligas modo *appetitum*, id unum praestare potest, ut suapte natura, ac vi inclinet homines mentesque creatas in *bonum commune*, *communemque beatitudinem*, sive etiam in ipsum Deum sub *confusa boni communis*, et *communis beatitudinis* notione. Ad *rationis discretionem* pertinet, docente Aquinate, ut ipsa, si recta sit, *adjuta lumine gratiae*, in *Deo clare viso* rationem boni, et beatitudinis collocet: eademque, si pariter recta sit, ac *solo nativo lumine consulto*, bonum suum, suamque beatitudinem constituat in Deo *per ea quae facta sunt cognoscendo*. Errare creata ratio potest: ipsamque beatitudinem, aut boni rationem ibi statuit, ubi revera non est, in delectationibus creatis. Egregia Thomae documenta recole, quae Capite XXXIV. allata sunt.

Theologorum doctrinam, quae nobis minus placet, et hactenus refutata est, ad ipsum saltem quod attinet loquendi modum, forte spectabat Sanctus *Franciscus Salesius*, qui Libro I. de amore Dei Capite XVI. amorem Dei super omnia in originalis Justitiae statu *naturalem* vocat, simulque *supernaturalem:* inesse homini innocenti *naturalem* docet *inclinationem* ad eumdem Dei super omnia amorem, et hanc non prodire in actum sine divino auxilio: quod *naturale*

demum vocat, utpote naturali inclinationi consentaneum, ac etiam *supernaturale*, cum eidem justitiae originali conveniat, quae *qualitas est*, ut ait, *supernaturalis*. Sed hanc *Salesii* Theologiam, quin ullum ejus doctrinae ac sanctitati praejudicium irrogetur, minus accuratam pronunciat *Jacobus Benignus Bossuet* in Praefatione *sur l'Instruction Pastorale donnee a Cambrai le 15. de Septembre 1697.* num. CXXVII. Theologica documenta opponit ipse, quae nos hactenus adhibuimus: nimirum praecipuum amorem Dei in statu justitiae originalis ordinatum fuisse gratuito Dei favore *in visionem beatificam:* et hanc *ita supernaturalem esse*, positamque super omnem naturae inclinationem, *ut ex illa* veluti ex fonte *supernaturalitatem actionum promant praestantissimi Theologi.*

II. Sunt vero Theologorum nonnulli, qui visionem claram Dei tametsi vere *supernaturalem* fateantur, et agnoscant; possibilemque tametsi admittant statum *naturae purae*, quae ad beatitudinem clara Dei visione inferiorem ordinata foret, de *potentia Dei absoluta*, quam etiam *extraordinariam* vocant; hunc attamen *convenientem* inficiantur, ac inficiantur possibilem *de potentia Dei ordinata*, vel *ordinaria*. Subtilem alii inter omnipotentiam Dei invehunt distinctionem, ac ejus caetera attributa: docentque, *sola spectata omnipotentia divina*, possibilem fore purae naturae statum; non esse possibilem, eadem *omnipotentia* si consideretur, *ut conjuncta cum attributis sapientiae, bonitatis, et justitiae.*

Hujuscemodi distinctiones nec ipse praetermisit Jansenius, ut suum, a quo alii Theologi recedunt, commentum proveheret. Verba ejus accipe, quae habentur Libro I. de statu purae naturae Capite XX. „Primo *gratiae propriissime dictae* non repugnant *debita quaelibet*, seu connaturalitates, *decentiae*, et *congruentiae*, et *aequitates*, quae oriuntur ex aliis capitibus quam ex jure creaturae . . . Nihil *congruentius, decentius, aequius respectu Dei*, quam ut innocenti imagini, quae ad Deum velut ad finem suum naturalem ordinata est, *gratia* ad assequendum detur. Saepe namque contingit ut *aliquid sibi ipsi, suisque attributis Deus debere* dicatur, non solum *justitiae*, sed etiam *clementiae, fidelitati, magnificentiae, sapientiae*, caeterisque attributis omnibus, ipsi denique *misericordiae*, et *liberalitati*, quae quam maxime sunt gratuitae operationes. Subinde namque *secundum immutabiles rationes divinae sapientiae* contingit ut *omnino deceat*, et aequum sit Deum clementer, et magnifice, et misericorditer cum creaturis suis agere: quod si non faceret, nihil omnino faceret *contra jus justitiae* in creatura, sed *contra sapientiam suam;* quam Deus non minus, quam justitiam suam praeterire non potest . . . Quando igitur istis modis vel sibi, vel sapientiae suae, vel aliis attributis Deus quidpiam debet, ne videlicet alioqui *inconvenienter, vel insipienter agat;* nihil omnino de *gratiae ratione* tollit. *Sapientiam* autem suam inseparabiliter in omnibus Deus sequi debet: hoc autem debitum tam arctum est, ut non magis immutari possit, quam ipse Deus . . . *Impossibile* est enim Deum *inconvenienter, indecenter, insipienter, contra rationem, inclementer, immisericorditer* agere. Quod si ex hujusmodi *attributorum decentia* cadat effectus aliquis in creaturam, nihil omnino de *ratione gratiae* decedit.

Verissimis Theologorum omnium documentis abutitur Jansenius. Dubium nullum, *sibi*, suaeque *sapientiae*, ac *caeteris attributis* debere Deum, ut rationalis creatura, quocumque in ordine constituatur, finem ultimum habeat ipsum Deum; ac illi potestas praesto sit, qua ipsum cognoscat, in eumque tendat per amorem, ac eo demum frui valeat. At *duplicem* nos *finem ultimum* distinguimus, Deum scilicet *per ea quae facta sunt* cognitum, ipsumque *clara visione* cognoscendum: itemque amorem duplicem, *naturalem* Dei per ea quae facta sunt cogniti, et *supernaturalem* ipsius fide crediti in via, clare videndi in patria: ac demum vires et auxilia *duplicis ordinis* pro varia utriusque cognitionis Dei, ejusque amoris conditione. Primum vocamus *ordinem naturae;* alterum, *ordinem naturae elevatae.* Naturae rationali priore modo acceptae *debitam* esse Thomas Angelicus docet ordinationem ad *finem naturalem,* debitasque vires ad illum cognoscendum, amandum, adsequendum, ac debita etiam divina auxilia: non eo debito, quod *ex merito personae* proficiscitur, sed eo debito quod est *secundum conditionem naturae.* Hujusce vero *amoris naturalis* quaenam in eo statu perfectio foret, et quisnam perfectionis gradus, non est quod hoc loco enarrem, ac definiam: eamque proinde auxiliorum Dei, quae forent necessaria, distinctionem praetereo, quorum alia dicuntur *communia,* et *ordinaria,* et alia intra ipsum naturae ordinem *specialia.* Hac de re inferius diligentiore studio disserendum Capite LII.

Verum enim vero addit Aquinas, naturae per sese spectatae *utroque modo* indebita esse *dona gratiae,* et *gloriae,* visionem claram Dei, fidem quae credit illam, spem quae eam in futura vita expectat, ac amorem denique Dei fide crediti in via, clare visi in patria. At eidem rursum naturae, ut *elevatae* ad sublimiorem praedictum finem, debitas fatentur Theologi vires, aut debita necessaria auxilia ad illum et diligendum, et adsequendum: non eo iterum debito, quod est *ex meritis personae,* sed quod est *secundum conditionem,* quam *exigentiam* vocant, *elevationis.* Quod attamen *debitum* proprie dici nequit *jus creaturae* erga Deum creatorem, et largitorem gratiae, Thoma animadvertente 1. 2. Qu. CXI. Art. I. ad 2. acsi *Deus* ullo modo *obligetur creaturae:* cum potius debitum dici debeat, *inquantum creatura debet subjici Deo, ut in ea divina ordinatio impleatur. Quae quidem* (ordinatio) *est ut talis natura* (pro eo statu, in quo sita reperitur,) *tales conditiones, et proprietates habeat, et quod talia operans talia consequatur.* Quod etiam postremo dici debitum potest, quod aliquid sibi, suisque attributis debet Deus, ut egregie expositum ab Aquinate legimus I. P. Qu XXV. Art. V. ad 2. *Deus non debet* (inquiente) *aliquid alicui, nisi sibi. Unde cum dicitur, quod Deus non potest facere nisi quod debet; nihil aliud significatur, nisi quod ei est conveniens, et justum.* Quo demum in ordine sublimiori, qui *supernaturalis* dicitur, tum *ordinaria* supernaturalia, tum *specialia* quoque divinae gratiae auxilia distinguunt Theologi in praesenti *lapsae naturae* statu.

Jam vero quae mota agitur quaestio, in eo versatur: num supremum Numen rationalem condere creaturam potuerit, quae aeternum caritura esset visione clara Dei, ordinata tamen foret *ad beatitudinem*

naturalem, ipsa clara Dei visione inferiorem? Hunc statum, *spectata sola omnipotentia Dei*, possibilem tuentur nonnulli Theologi: possibilem inficiantur, si *omnipotentia* consideretur *cum caeteris attributis conjuncta.* Qua utique in quaestione Jansenium video, rem eo provexisse, ut praefatum statum *absolute*, et omnino *impossibilem* esse, concludi debeat. Ait enim, *impossibile esse Deum indecenter, inconvenienter, insipienter, contra rationem agere:* quae fulgentissima veritas est, dubio procul omni intelligenda de omnimoda, et absoluta impossibilitate. Adsume cum Jansenio, *inconvenienter, vel insipienter acturum* Deum, si non ageret *id quod sapientiae suae, vel aliis attributis debet.* Adsume rursum cum ipso, *sibi Deum, suaeque sapientiae et attributis debere*, ut innocens imago ad *claram Dei visionem* ordinetur, habeatque *gratiam* qua valeat eam adsequi. Hinc pronum est ut colligatur 1. *insipienter* acturum Deum, si creaturam innocentem ad *claram sui ipsius visionem* non ordinaret, ac insipientius acturum, si gratiam eidem non largiretur, qua finem praedictum adsequi posset. 2. *absolute* et omnino proinde *impossibile* esse, rationalem condi creaturam quae ad claram Dei visionem ordinata non foret, gratiamque non haberet ad eam adsequendam.

Alia sunt, quae invectam illam inter *omnipotentiam per sese spectatam*, eamdemque *ut conjunctam cum caeteris attributis*, distinctionem convellunt. Id efficitur primum brevi Apostoli Pauli sententia in Epistola II. ad Timotheum Capite II. v. 13. *Deus*, inquientis, *seipsum negare non potest.* Sensus est, Deum omnipotentem, sapientem, bonum, et justum, *seipsum* sive in eo quod facit, sive in eo quod facere potest, *negare non posse:* seque ipsum sicuti omnipotentem, ita semper ostendere sapientem, bonum, et justum. Insignis accedit locus Thomae Aquinatis I. P. Qu. XXV. Art. V. ad 1. „Dicendum, quod in nobis, in quibus est aliud *potentia*, et *essentia* a *voluntate* et *intellectu*, et iterum intellectus a sapientia, et voluntas a justitia; potest esse aliquid in *potentia*, quod non potest esse in *voluntate justa*, vel in *intellectu sapiente.* Sed in Deo est *idem* potentia, et essentia, et voluntas, et intellectus, et sapientia, et justitia: unde nihil potest esse in *potentia divina*, quod non possit esse in *voluntate justa*, et in *intellectu sapiente* ejus.“ Statum igitur naturae, quae ad visionem claram Dei non esset ordinata, possibilem inficiari *secundum omnipotentiam Dei cum caeteris attributis conjunctam*, perinde est ac illum absolute et omni prorsus modo possibilem denegare.

Purae naturae partem illam hoc loco expendimus, quae foret utique sine *filiatione adoptiva*, et *amore amicabili*, et *clara visione Dei;* ipsius tamen naturae destinationem ad *finem naturalem* complecteretur, cum viribus ad eum consequendum idoneis. Occurrit vero nihil in hocce statu, quod omnipotentiam Dei non deceat cum caeteris conjunctam attributis. Natura quippe *non habet in se,* (Thoma animadvertente Qu. IV. de Malo Art. I. ad 14.) *unde possit ad divinam visionem pervenire:* immo haec pendet ex gratuita *revelatione Spiritus,* ut ait Apostolus in Epistola I. ad Cor. Capite II. v. 10. *qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Cur ergo visionem hanc claram Dei, cum caeteris hujus ordinis extraordinariis beneficiis, non potuerit

Deus titulo summae independentiae, dominii supremi, liberrimae voluntatis, indebiti beneficii denegare? Haec vero visionis clarae Dei carentia *competeret ei, qui sic esset in solis naturalibus, absque peccato,* ut loco citato ait Aquinas: unde *non esset poena, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad divinam visionem.* Neque *vitium* praeterea dici posset carentia amoris amicabilis; sed *conditio creaturae*, quae per sese serva est sui Creatoris: ut nihil jam eo in statu occurrat, quod non deceat sapientiam Dei, ejusque bonitatem, ac justitiam; aut illis repugnet, aliisque attributis.

Ad rationalem tamen creaturam spectat, posse *per seipsam, per ea quae facta sunt,* Creatorem suum agnoscere, ipsumqne ita cognitum amare. Haec in illo statu praesto foret potestas, ac adessent auxilia divina naturali praedicto fini, ac naturali ejusdem finis amori proportionata: quibus homo naturales virtutes excoleret, ac diligeret Deum *auctorem naturae*, ac legis naturalis praecepta servaret, atque his demum mediis, aut meritis beatitudinem adsequeretur. Haec scilicet foret *perfectissima Dei contemplatio* per ea quae facta sunt, ac ejusdem ita cogniti dilectio: utraque *continua*, et *aeternum mansura*, cum errorum immunitate, ac securitate non labendi. Recole, quae latiore calamo exposita sunt Capite XXXIV. num. IV. Nihil vero dictum, quod aut repugnantiam involvat, aut non conveniat divinis *justitiae, sapientiae, bonitatis* attributis. Quemcumque pro suo nutu elegerit Deus rerum ordinem, rationes divinae menti afforent, quae universa ejus attributa maxime condecerent. Solidissimum offert argumentum Aquinas Qu. I. de Potentia Art. V. *Finis naturalis divinae voluntatis* (inquiens) *est ejus bonitas, quam non velle non potest. Sed fini huic non commensurantur creaturae, ita quod sine his divina bonitas manifestari non possit: quod Deus intendit ex creaturis. Sicut enim manifestatur divina bonitas per has res quae nunc sunt, et per hunc rerum ordinem; ita potest manifestari per alias creaturas, et alio modo ordinatas. Et ideo divina voluntas absque praejudicio bonitatis, justitiae, et sapientiae potest se extendere in alia, quam fecit.* Pauca, sed luculentissima sunt verba ad 3. *Sapientia divina non est determinata ad unum, sed se habet ad multa facienda.*

Hisce argumentis alia convellitur invecta distinctio, quae verbis, non substantia differt ab ea, quam hactenus refutavimus. *Possibilem*, inquiunt, purae naturae statum esse; minime *convenientem.* Cur vero? In eam recidunt, ut inquiebam, jam evulsam distinctionem: quia status ille, cum *Omnipotentia* comparatus, repugnantiam nullam exhibet: non *decet* vero, aut *dedecet alia divina attributa.* Si res ita se habeat; reponam ego, statum illum *absolute impossibilem* dici oportere; propterea quod *absolute impossibile* censendum est, quidpiam moliri aut facere posse Deum, quod suis attributis, quod uni etiam attributo non conveniat. Adversatur sine dubio Doctor Angelicus I. P. Qu. XXV. Art. V. ad 2. „Dicendum, quod Deus non *debet* aliquid alicui, nisi sibi. Unde cum dicitur, *quod Deus non potest facere, nisi quod debet;* nihil aliud significatur nisi quod Deus *non potest facere, nisi quod ei est conveniens, et justum.* Sed hoc quod

dicitur *conveniens*, *et justum*, potest intelligi dupliciter. Uno modo sic, quod hoc, quod dico *conveniens, et justum*, prius intelligatur conjungi cum verbo *est*: itaquod restringatur ad standum pro praesentibus; et sic referatur *ad potentiam*. Et sic falsum est, quod dicitur: est enim sensus, *Deus non potest facere*, *nisi quod modo conveniens est*, *et justum*. Si vero prius conjungatur cum hoc verbo, *potest*, quod habet vim ampliandi; et postmodum cum hoc verbo *est*; significabitur quoddam praesens confusum. Et erit locutio vera, sub hoc sensu: *Deus non potest facere nisi id, quod si faceret, esset conveniens, et justum.*" Convenientiae, ac decentiae, et justitiae rationes praesto, ut ita loquar, *divinae sapientiae* erant: quibus divina voluntas permota decrevit, ac effecit divina omnipotentia praesentem rerum ordinem, in quo rationalis natura *finem* habet *supernaturalem*, Deum clare visum, habetque media proportionata ad finis adsecutionem. Ordo *inferior*, in quo rationalis ipsa creatura ordinaretur ad *naturalem finem*, Deum cognoscendum per ea quae facta sunt, cum nullam implicet repugnantiam, possibilis est: ipsumque *si faceret* Deus, *esset conveniens et justum*. Aut ergo possibilitatem ejus deneges, aut ejusdem convenientiam fatearis.

Num *possibiles* alias *convenientiae*, et *justitiae rationes* denegaveris? Contra insurgit Doctor Aquinas loco citato: *Quia voluntas divina non determinatur ad haec vel illa, nisi forte ex suppositione; neque sapientia Dei*, *et justitia determinatur ad hunc ordinem: nihil prohibet esse aliquid in potentia divina*, *quod* (Deus) *non vult*, *et quod non continetur sub ordine*, *quem statuit rebus*. Praeter ordinem rebus constitutum, alii sunt ordines in *potentia divina*. Et hanc intellige cum *caeteris attributis conjunctam*: quia sicut *voluntas divina non determinatur ex necessitate ad haec vel illa*; ita *neque sapientia, et justitia determinatur ad hunc ordinem*. Pares textus paullo superius luculentissimos attulimus.

III. Distinctio sequitur *potentiae Dei absolutae*, *et ordinatae*. Utramque amplectimur, ac statum purae naturae, non *ordinata potentia*, sed *potentia absoluta* possibilem fatemur. Num sola potentia *ordinata* convenientiam afferat, habeatque secum conjuncta *sapientiae*, et *bonitatis*, et *justitiae* attributa? Commentum esset absurdissimum. Genuinam utriusque expositionem Thomas affert loco citato: „Et quia (inquiens) *potentia* intelligitur *ut exequens*, voluntas autem ut imperans, et *intellectus et sapientia*, ut *dirigens*; quod attribuitur *potentiae secundum se consideratae*, dicitur Deus posse *secundum potentiam absolutam*: et hujusmodi est omne illud, in quo potest salvari ratio entis. Quod autem attribuitur *potentiae* divinae, *secundum quod exequitur imperium voluntatis suae*; hoc dicitur Deus posse facere *de potentia ordinata*." Ordinatam ergo potentiam intellige, cum iis decentiae rationibus conjunctam, quas in praesenti rerum ordine excutioni mandato, sibi Deus praefixit: *absolutamque* intellige, ab iis quidem sejunctam decentiis, at dubio procul omni *cum aliis* conjungendam, si alium ordinem faceret Deus. Hinc fictitium, cum agitur de Deo, commentum semper obtruditur: sive *potentia divina* a caeteris sejungatur *attributis*, sive *possibilitas* adseratur sine *convenientia*.

Potentiam *ordinariam* distinguunt alii, et *extraordinariam*. Hanc intelligunt, quae ad miracula spectat; illam, quae causis utitur ad proportionatos effectus destinatis, quovis in ordine, sive naturali, sive supernaturali. Hoc sensu tum *naturae purae statum*, tum etiam *statum naturae elevatae*, possibilem dicimus *potentia ordinaria:* ac primum quidem possibilem dumtaxat, reipsa praeterea conditum alterum. *Ordinariam* alii vocant potentiam, quam Thomas appellat *ordinatam:* et *extraordinariam*, quae dicitur *absoluta*. Quo sensu praesens rerum ordo ad *potentiam ordinariam* spectat; ad *extraordinariam* status purae naturae. At *utraque* demum potentia regitur convenientiae, ac decentiae rationibus, altera *possibilibus*, *actualibus* altera: ac utraque consensionem habet cum caeteris divinis attributis. Egregia praesto est ad rem confirmandam Thomae doctrina I. P. Qu. XXV. Art. V. „Alii dixerunt, quod *potentia divina* determinatur *ad hunc cursum rerum* propter *ordinem sapientiae*, *et justitiae divinae*, sine quo Deus nihil operatur. Cum autem *potentia Dei*, quae est ejus essentia, non sit aliud quam *Dei sapientia;* convenienter quidem dici potest, quod nihil sit in *potentia Dei*, quod non sit *in ordine divinae sapientiae:* nam divina sapientia totum posse potentiae comprehendit.“

Quae sequuntur ibidem, dignissima sunt animadversione: ac sane refellunt superius allatas distinctiones. „Sed tamen *ordo a divina sapientia rebus inditus*, in quo *ratio justitiae* consistit, *non adaequat divinam sapientiam;* sic ut divina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est autem quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est proportionatus rebus propter finem factis, sapientia facientis limitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed *divina bonitas* est finis *improportionabiliter excedens res creatas:* unde divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem rerum, ut non possit alios cursus rerum effluere.“ Jam collige, praeter *convenientiae*, ac *decentiae* rationes, quas in praesenti naturae elevatae statu supremum Numen inspexit, *possibiles alias* negari non posse quae creationem *purae naturae,* quam adversarii possibilem fatentur, suaderent.

Rem luculentius confirmare liceat, exemplo in medium adducto, quod eisdem favere videtur adversariis. Theologi sunt, qui ea ratione *inficiantur, potuisse Deum creare mundum sine creaturis rationabilibus:* quia summa, et *sapientissima* bonitas non potest se effundere, nisi eo modo, quo ipsam *decet*. Sed non decet summam bonitatem, facere bona quibus nemo possit frui, facere vera quae nemo possit cognoscere, facere pulcra quae nemo possit contemplari, facere repraesentativa quae nemini possint repraesentari. Haec autem omnia sequerentur ex productione mundi sine creatura rationali. Quod isti Theologi docent, in medio relinquam ego. Num vero sic oppinantes illi, possibilem *spectata Dei omnipotentia*, mundum denegaverint, rationali mente carentem? Id dixerit nemo. Cur eadem doctrina, et argumentatio accommodari statui *purae naturae* non debeant? Haec vero adversariis favere primo aspectu videntur.

Minime: quinimmo Theologi illi, sicuti mundum sine creatura rationali *convenientem* denegant, ita *revera possibilem* inficiantur. Aequi-

vocationem omnem, quae latet, patefacit, ac elidit *Joannes a S. Thoma* in Cursu Theologico Tomo II. Qu. XXVI. Disput. XI. Art. III. num. 3. *Potentiam divinam* considerandam proponit tum *secundum nostram considerationem*, tum maxime prout *ipsa est in re*. „Et quidem (inquit) *in re* potest absolvi *a modo ordinario operandi*, ut cum facit miraculum (atque tunc vocatur *potentia extraordinaria*, non *ordinaria)*. Sed non potest *in re* esse absoluta *ab omni ordine sapientiae divinae*; sed si relinquit unum ordinem, assumit alium." Quatenus nempe, sive *ordinaria* consideretur, sive *extraordinaria*, actu quidpiam exequitur, *ordinata* appellatur ab Aquinate: sequiturque praesentem sapientiae dispositionem. Quatenus vero a praesenti sapientiae dispositione *absoluta*, aut sejuncta consideratur, intelligi tamen non potest *in re* absoluta ab alia sapientiae dispositione, quam adsumeret. „Potest tamen *secundum nostram considerationem* intelligi *potentia* executiva *secundum se*, ut infinitae virtutis est, *sine aliquo ordine ad regulas divinae sapientiae:* sed hoc solum fit *per intellectum*. In re enim non potest ab omni ordine praescindere. Dicitur tamen Deus aliquid posse facere *secundum potentiam absolutam*; idest, non *ordinario modo* operantem, sed *absolutam a legibus communibus*; (vel absolutam ab hoc, vel illo, non ab omni sapientiae ordine)."

Itaque ex omnipotentia divina *secundum se* per intellectum considerata denominari quidpiam potest quodammodo *possibile metaphysice*; at vera possibilitas rerum in re sumitur ex *omnipotentia* divina, *cum ordine sapientiae divinae*, *caeterisque cum divinis attributis conjuncta*. Mundum *sine rationali creatura* (ut ad superius exemplum sermo redeat) possibilem priore modo constituunt laudati Theologi, non posteriore: statum *purae naturae* utroque modo possibilem, rationum momenta evincunt. Oppositarum Thesium accedit damnatio, quam tulere Romani Pontifices, *Pius V.* anno 1567, *Gregorius XIII.* anno 1579, *Urbanus VIII.* anno 1641. Id unum enim ex his confici Thesium censuris posse, ut *purae naturae* status possibilis habeatur, *omnipotentia divina per intellectum spectata secundum se*, non ita facile crediderim.

IV. Quaenam intelligi demum debeat haec *pura natura*, et *quotuplex* ejusdem distingui *status*, latiore jam sermone disserendum. Intelligi *pura natura* primum potest per exclusionem doni cujusque ad *ordinem supernaturalem spectantis:* ac intelligi deinde potest per exclusionem tum doni revera supernaturalis, tum doni quocumque modo intra ordinem naturalem indebiti. Haec *absolute*, et omnino *pura natura* appellatur; illa vocari solet *natura integra* intra ordinem naturalem.

Utriusque status picturam delineat Joannes Baptista Gonet Tomo II. Tractatu VIII. Disputatione VI. Art. I. §. I. aptissimis verbis. „Status *purae naturae* duo importat, seu requirit, *unum positivum*, et *alterum negativum*. In eo est *positivum*, quod natura humana habeat quidquid est ei connaturale, seu debitum ex essentiae suae principiis, puta suas omnes proprietates, habilitates, et facultates naturales, et concursum atque providentiam Dei sibi naturaliter debitam. *Negativum* in eo est, quod nihil habeat indebitum, sive quod ab intrin-

seco non postulet, sive malum, sive bonum; hoc est, ut neque peccatum habeat originaliter sibi annexum; neque etiam affecta sit aliquibus donis, aut perfectionibus naturae indebitis. Dixi: *ut non habeat peccatum originaliter sibi annexum:* quia (caeteroqui) sicut infirmitas corporis et morbi qui sequuntur ex naturali conditione, non excluduntur a statu naturae purae; ita neque morbi animi, qui propter naturalem fragilitatem, aut libertatis usum contrahuntur, ab eodem statu excludendi sunt. *Duo* ergo dicit status *naturae purae*, nempe *naturam*, et ejus *puritatem*. Natura includit essentiam, et quae debentur connaturaliter ratione essentiae. *Puritas* excludit omnia indebita, seu ab essentia connaturaliter non postulata; vel, ut alii dicunt, omnia dona gratuita, quae sunt duplicis generis: quaedam enim perficiunt hominem in ordine ad finem ipsi connaturalem, et operationes ordinis naturalis, ut *donum integritatis* (de quo mox agendum) alia in ordine ad finem supernaturalem, et operationes ipsi proportionatas, ut *dona gratiae stricte sumptae.*"

Statum *naturae integrae*, quem frequentius Theologi admittunt, his idem Gonettus verbis describit ibidem Disput. III. Articulo unico. „Talis naturae status addit supra naturalia *vigorem rationis* (ut ait Cajetanus 1. 2. Qu. CIX. Art. II.) seu *superioris partis animae*, ad conservandum statum rationi in nullo dissonum." Intellige *perfectam subjectionem* appetitus sensitivi sub rationali, in eo consistentem, ut appetitus sensitivus sua operatione *non praeveniat* imperium voluntatis; nec postquam operari coepit, in ea persistat, voluntate repugnante; sed pro voluntatis nutu, et arbitrio adplicetur ipse appetitus ad suos proprios actus, qui *passiones* vulgo appellantur, quemadmodum facultas motrix adplicari solet ad motum progressivum. „Hunc autem *vigorem* dicit Cajetanus, non esse *naturae simpliciter*, quia non fluit ex natura: nec *simpliciter gratiae*, quia ad nihil se extendit nisi ad bonum *naturae rationali proportionatum*, scilicet vivere secundum rationem: sed esse quodammodo *gratiae*, et quodammodo *naturae;* pro quanto homo numquam habet, nec habere potuit ex naturalibus *hunc vigorem;* sed advenit ei ex conjunctione ad justitiam originalem (intra naturae ordinem)... Haec appellari perfectio solet *integritas naturae*. Et hujus impositionis haec videtur ratio: quoniam natura humana, sine illo dono est quasi regnum in se divisum, affectibus nimirum partis inferioris ad diversa tendentibus... Unde quae perfectio huic dissensioni, seu divisioni naturae humanae medetur, et a qua pacem et concordiam recipit, eam quasi unire, perficere; et integrare censetur; ut convenienter in suis motibus, et affectibus progredi possit. Subindeque unio, seu *integritas naturae* dicitur: et status, qui per eam constituitur, *status naturae integrae* non incongrue appellatur."

Utrumque statum, qua parte excludit naturae humanae destinationem *ad claram visionem Dei*, atque media ad eam conducentia, fidem, spem, caritatem, et gratiae supernaturalis auxilia; solumque exprimit ejusdem naturae ordinationem ad *Deum per ea quae facta sunt cognoscendum*, ipsumque sic cognitum colendum et amandum, quaeve a Deo naturae Auctore procedunt necessaria adjutoria, hactenus *possibilem* juxta possibiles convenientiae, et decentiae rationes,

quae Numini supremo in rerum creatione liberrimo, et sapientissimo praesto forent, lato jam calamo ostendimus. Quae praeterea cum utroque statu connexa indicavimus, aeque possibilia censet, tueturque frequentissimus gravissimorum Theologorum chorus: ac nos eadem sequentibus capitibus, diligentiore cura difficultatibus eliminatis, si quae sunt, illustramus. Vide Caput LII. num. II. et III. ubi duplicem ipsum *naturae* statum, quem delineat Gonettus, diligentius expendimus.

CAPUT XXXIX.

Praecipua Augustinianae doctrinae capita duo exponuntur: ac primo quomodo Jesu Christi gratia instauretur in nobis imago primi hominis. Ejusdem primi hominis justitia originalis duplicem complectebatur rectitudinem, naturalem, et supernaturalem. Tres Theologorum opiniones. Donis proprie supernaturalibus ante lapsum Adamus ornatus fuit, cum dono immortalitatis, ac pleno mentis imperio in appetitum sentientem. Primi peccati merito tum ipse, tum posteri spoliati sunt donis gratuitis; itemque laesi in naturalibus.

I. Frequentissimam in *Augustini Operibus* doctrinam illam, qua in nobis *per Jesu Christi gratiam instaurari dicitur imago primi hominis*, ita *Bajani*, *Janseniani* intelligendam proponunt; acsi munera suprema, quae Adamo innocenti collata sunt, *naturalia* dici debeant, ac *sequela creationis*; indebita *post peccatum* facta fuerint, ac nonnisi misericordia Dei, et Jesu Christi gratia instaurari queant, et hac ratione locum habeant inter *supernaturalia* dona. Augustini testimonia, quae plura sunt, recensere omnia pretium operae non est. Illud satis fuerit, quod habetur de spiritu, et littera Cap. XXVII. Inquit vero Sanctissimus Pater: *Nec moveat, quod* (Apostolus) *naturaliter dixit eos quae legis sunt facere: non spiritu Dei, non fide, non gratia. Hoc enim agit spiritus gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est: quod utique sanat gratia.*

Longe abest a commentis invectis Augustiniana sententia. Gentes, quae juxta Apostolum ad Romanos Cap. II. v. 14. *naturaliter faciebant, quae legis sunt*, intelligit eo loco Augustinus jam *fide credentes*, collatoque dono gratiae sanctificantis gratas Deo, atque justas. In his itaque *imaginem Dei, in qua naturaliter* in Adamo innocente *facti sumus*, ipsa Dei gratia *instauratam* docet. Quomodo vero? Nimirum, primum fecit hominem Deus in utroque, *naturali*, et *supernaturali*, ordine rectum: ordinatum scilicet ad finem naturalem, *condendo naturam:* ordinatumque ad finem supernaturalem, *largiendo simul gratiam.* Primi peccati merito tum ipse Adamus, tum posteri ejus ab *utroque fine* adversi facti sumus. Hanc aversionem, nonnisi *gratia Dei* tollere valet: atque gratiae opus est *instauratio prioris*, quae inerat, *conversionis ad Deum.* Haec est vero *imaginis Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauratio per spiritum gratiae.* Gratiae dono, quod Jesus Christus promeruit, instauratur primo conversio ad *Deum finem ultimum supernaturalem*, diffusa supernaturali caritate in cordibus nostris: quae tametsi amplissimum sit supra naturam donum, in ea tamen *naturaliter facti* esse dicimur, utpote quam simul

Deus largitus fuerit in ipsa conditione naturae. Quod si *imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus*, ipsam etiam intelligamus naturalem conversionem in *Deum finem ultimum naturalem;* eadem in lapso homine peccatore, nonnisi gratiae beneficio instaurari potest.

Hanc *naturalis imaginis Dei*, seu naturalis conversionis ad Deum Auctorem naturae *instaurationem*, effici gratia Jesu Christi, exponunt duplici modo Theologi. In hoc *praesenti naturae statu*, quam non modo ordinatam ad *finem naturalem*, sed etiam ad *supernaturalem* elevatam credimus, satis esse nonnulli arbitrantur diffusionem *supernaturalis caritatis*, ut rationalis creatura in utroque, *naturali*, et *supernaturali*, ordine recta dicatur. Rem hanc attigimus Cap. XXXIII. num. III. Quandoquidem ea est *supernaturalis caritatis* perfectio, ut ea diffusa in cordibus nostris ita comparati simus ad diligendum Deum, ut ipsum diligamus, tum veluti *finem supernaturalem*, seu quatenus gratuita revelatione innotescit, *sicuti est in se:* tum etiam diligamus ipsum, veluti *finem ultimum naturalem*, seu naturae auctorem, et quoad omnes bonitatis rationes, quae nativo etiam lumine cognosci possunt.

At repugnat sane nihil, quominus in hoc ipso *naturae elevatae* statu, praeter *supernaturalem* dilectionem, *naturalis* etiam amoris Dei actum exerceamus. At in ipsum prodire lapsus homo non potest, nisi prius aversione a Deo fine supernaturali per supernaturalem gratiam Jesu Christi sublata. Quomodo enim fieri potest ut mens nostra, quae a Deo *fine supernaturali* aversa foret, toto corde in ipsum tenderet *finem naturalem?* Haec est Augustini doctrina, quam verissime Thomas Aquinas exprimit 1. 2. Qu. CIX. Art. III. *Homo in statu naturae integrae* (integritatem intellige in ordine naturali, superiore Capite num. IV. delineatam) *dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei, sicut ad finem; et similiter dilectionem omnium aliarum rerum; et ita Deum diligebat plus quam seipsum, et super omnia* (cum eodem in statu nulla foret aversio a Deo). *Sed in statu naturae corruptae homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quae propter corruptionem naturae* (maxime positam in aversione a Deo) *sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam. Et ideo dicendum est, quod homo in statu naturae integrae non indigebat dono gratiae, superadditae naturalibus bonis, ad diligendum Deum naturaliter super omnia; licet indigeret auxilio Dei* (intra ordinem naturae) *ad hoc eum moventis. Sed in statu naturae corruptae indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis.* Corruptionem naturae sanat, seu *aversionem a Deo* tollit supernaturalis gratia Jesu Christi meritis collata: quae corruptio naturae sanatur, tolliturque aversio a Deo, *perfecte* quidem per *supernaturalem gratiam sanctificantem*, et *inchoate* per *supernaturalia gratiae auxilia.* Haec alibi ampliore tractatu exponunt Theologi.

Verba illa Augustini praeterire non licet, quae loco citato habentur, quibusve abutuntur Bajani, et Janseniani: *vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia.* Quod si *vitium contra naturam* sit defectus caritatis, aut certe facultatis diligendi Deum; *caritatem ipsam* colligunt illi, rationali creaturae innocenti *debitam esse.* Amorem Dei distingue: alterum *naturalem* ipsius Dei auctoris naturae,

supernaturalem alterum ipsius Dei auctoris gratiae. Hanc superioribus capitibus accuratissime exposuimus distinctionem. Defectus *amoris naturalis*, aut facultatis diligendi Deum amore naturali, utique *vitium* foret contra naturam, seu privatio boni naturalis, naturae innocenti rationali debiti: ejusdem etiam naturae, divina ordinatione ad *finem supernaturalem elevatae*, vitium foret dilectionis supernaturalis, aut facultatis diligendi Deum caritate defectus: at eadem rationalis creatura si consideretur intra limites *naturalis ordinis* constituta, minime vitium contra naturam dici potest ejusdem supernaturalis dilectionis carentia. Eo in ordine *naturali*, quem *possibilem* fuisse ostendimus, Deum diligeret, aut posset diligere amore naturali rationalis creatura: unde nonnisi propria culpa, non diligendo Deum, aut decidendo a Dei dilectione, vitium contra naturam incurreret. Non esset vero eodem in ordine conversa ad Deum finem supernaturalem, sed neque aversa foret: solumque careret perfectione superioris ordinis indebita. Solidissimam recole Sancti Thomae doctrinam *de carentia divinae visionis:* quam vocat *defectum, consequentem omnem naturam creatam, in eo qui in solis naturalibus esset:* docetque esse *poenam in eis*, qui cum pertineant ad statum naturae, ad *visionem Dei ordinatae*, ab ea decidunt *originali, vel actuali peccato.*

II. Doctrinae, quam hactenus tradidimus, ac pergimus illustrare, postulat ratio, ut *justitiam originalem* primi a Deo conditi hominis luculentiore sermone exponamus. Picturam optime delineatam offert S. Thomas in Compendio Theologiae Capite CLXXXVI. et insequente: „Homo (inquiens) in *sui conditione* taliter institutus fuit a Deo, ut *corpus omnino esset animae subjectum:* rursumque inter partes animae, *absque repugnantia inferiores vires subjicerentur rationi:* et ipsa *ratio hominis esset Deo subjecta.* Ex hoc autem quod *corpus erat animae subjectum*, contingebat quod nulla passio in corpore posset accidere, quae dominio animae super corpus repugnaret: unde nec *mors*, nec *infirmitas* in homine locum habebat. Ex *subjectione* vero *inferiorum virium ad rationem* erat in homine omnimoda *mentis tranquillitas*, quia ratio humana nullis *inordinatis passionibus* turbabatur. Ex hoc vero, quod *voluntas hominis erat Deo subjecta*, homo referebat omnia in Deum, sicut in ultimum finem: in quo ejus *justitia*, et *innocentia* consistebat. Horum autem *trium* ultimum erat causa aliorum.“ De *prima*, et *secunda* justitiae originalis parte uberius agendum infra. Satis fuerit hoc loco adnotare, utrumque donum, *impassibilitatem*, et *immortalitatem corporis*, atque *plenum rationis dominium in appetitum*, tametsi ex principiis naturae minime fluant, neque naturae ex animo et corpore compositae debeantur, intra limites attamen *naturalis ordinis* consistere: non esse dona Dei Auctoris gratiae, sed Dei conditoris naturae, ut superiore Capite num. IV. indicavimus.

Pars tertia justitiae originalis, eademque *praecipua*, diligentiore studio illustranda est. Consistit ea in *mentis rectitudine*, qua homo subjiciebatur Deo: et hanc rectitudinem efficiebant *cognitio*, et *amor ipsius Dei*, aliarumque virtutum apparatus. Duplicem esse Dei tum cognitionem, tum dilectionem, hactenus docuimus: *naturalem* scilicet ejus cognitionem, per ea quae facta sunt acquisitam, naturalemque

ejusdem Dei ita cogniti amorem: ac praeterea *supernaturalem* cognitionem, innixam gratuita ipsius Dei *cujusmodi est in se* revelatione, quae est *visio clara in patria*, et *fides in via*, amoremque supernaturalem inde prognatum. Hinc vero quaestio insurgit, num rectitudinem primi hominis, qua ille subjiciebatur Deo, efficerent prior naturalis Dei cognitio, et amor: an vero supernaturalis? Licuit, licetque Theologis rem hanc in disputationem vocare: cum *secundum principia fidei* (admonente Sancto Thoma Libro IV. contra Gentes Capite LII.) id unum *poni* debeat, *hominem a principio taliter esse institutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta; et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale: Deo, et sua gratia* (seu libero gratuito favore) *supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat.*

III. Itaque *quidam dixerunt,* (verbis utor Annibaldi in II. Sent. Dist. XXIX. Art. I.) *quod homo ante peccatum gratiam non habuit, nec virtutes gratuitas; sed naturam habuit integram, quae fuit per peccatum corrupta .... Alii dicunt, quod homo ante peccatum gratiam adeptus fuit; non tamen est in gratia conditus.* Verum *dicendum est, quod homo in gratia creatus fuit.* Tres easdem Doctorum opiniones recenset Aquinas in eadem Dist. XXIX. Quaest. I. Art. II. Sed priore praetermissa, duas quae sequuntur, ad examen vocat I. P. Quaest. XCV. Art. I. Statum naturae *intra ordinem naturalem integrae*, quem superiore Capite num. IV. cum *Joan. Baptista Gonetto* delineavimus, reipsa exstitisse in Adamo, *prima* statuit *opinio*, toto tempore peccatum praecedente: aliquo saltem tempore admittit *opinio altera*, ante gratiae infusionem. Haec tribui solet *Hugoni de Sancto Victore*, *Magistro Sententiarum*, *Alexandro Alensi*, Sancto *Bonaventurae*, aliisque.

Opinioni primae affinis est ea sententia, quae legitur Quaest. CXXIII. in Libro quaestionum Veteris, et Novi Testamenti. Exstat opus inter opera Sancti Augustini, quod olim eidem tribuebatur. Dona gratiae, quae *supernaturalia* vocamus, distinguit Auctor a *donis naturae:* docetque, homini primo ante lapsum haec fuisse collata, eidemque post peccatum reservata priora per Jesu Christi meritum. Quaerit nempe, *utrum Adam Spiritum sanctum habuerit?* Intelligenda videntur dona *fidei, spei, caritatis* per Spiritum sanctum diffusae in cordibus nostris. Nonnullorum, quos appellat *simplices*, opinionem profert. „Comperi, quosdam e Fratribus nostris, non plene discussisse Scripturas; sed *simplicitate animi* adseverare, quod Adam factus *Sanctum accepit Spiritum*, quem peccans amisit: sicut nunc datur credentibus. Hac ducti ratione, qua solet adseverari a plurimis, quia per fidem (spem, et caritatem) *instauratus est homo:* itaut ad pristinum redditus statum, hoc omne acciperet, quod inter initia Adam fuerit consecutus. Et quia *perfectus homo* factus dicebatur: qui si non habuit, inquiunt, Spiritum sanctum, *imperfectus* fuit.“ Utramque rationem post Sanctos Ecclesiae Patres adhibent illi, qui *secundam*, et *tertiam* opinionem tuentur. Laudatus Auctor sic opponit: „Quoniam putant, perfectionem Adae *instaurari* credentibus; videamus, si haec instauratio nihil

ultra doni habeat divini, quam fuerat consecutus Adam. Factus enim Adam, positus est in paradiso ut *operaretur ibi*, et *custodiret:* hoc est, ut coleret terram, et custodiret praecepta Dei, per quae sciret sic se dominium cunctorum accepisse, ut ipse tamen sub lege viveret Creatoris, ne dominatio extolleret eum, et inflatus superbia immemor fieret sui Conditoris. Positus ergo est, ut cibis sustentaretur vita ejus. *Per Christum* autem hoc concessum est, ut resurgentes non egerent aut cibo, aut potu: quia quod mortale est hominis, convertitur in vitam. Factus est Adam, ut habitaret in terra; fides autem largiri dignata est, ut in caelis sit habitatio nostra. Scriptura ipsa testatur (I. ad Corinth. Capite XV. v. 45.) *quia factus est*, (inquit) *primus homo Adam in animam viventem, secundus autem homo in spiritum vivificantem: primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni: qualis caelestis, tales et caelestes.* Quid tam apertum, quam quod Adam *non habuit Spiritum sanctum?* Factus est enim in animam viventem: *per Christum* autem in animam vivificantem, ut homo in aliquo similis sit Creatori, quem credit... *Per Spiritum sanctum* dicimur filii Dei, quod minime Adam probatur vocatus: terrenus enim vocatus est. Filii autem Dei, non carnaliter, sed spiritaliter nati, caelestes dicuntur esse.“

Vanissimam Paulinae sententiae interpretationem, quaeve inde colliguntur consectaria, paucis verbis refellit, ac elidit S. Thomas loco citato primae Partis ad 1. *In verbis Apostoli non habetur, quod Adam non fuit spiritualis secundum animam; sed quod non fuit spiritualis secundum corpus.* Agit scilicet Apostolus de resurrectione Christi, et mortuorum: ejusdemque Jesu Christi corpus post resurrectionem gloriosum comparat cum corpore Adami. Adam enim, tametsi corpus habuerit dono quodam immortalitatis ornatum, nihilominus *factus fuit in animam viventem*, corpus gestans animale, alendum cibo, potuque: at Christus *factus fuit in spiritum vivificantem*, quatenus gloriosa ejus anima ita corpus post resurrectionem vivificaret, ut instar spiritus nec cibo indigeret, nec potu. Hinc etiam *primus homo de terra terrenus: secundus homo de caelo, caelestis.* Nempe primum hominem intellige de terra factum, qui peccando potuit mortalis fieri, et corruptibilis: Christum vero intellige in resurrectione donatum corpore glorioso, quod quatuor illis potiebatur dotibus, claritatis, agilitatis, subtilitatis, impassibilitatis. *Et in hoc differt impassibilitas, et immortalitas, quam primus homo habuit,* (verba sunt Sancti Thomae in compendio Theologiae Capite CLXXXVI.) *ab ea quam in resurrectione Sancti habebunt: qui numquam poterunt nec pati, nec mori, voluntate eorum omnino confirmata in Deum:* ab ea vero decidere potuit, ceciditque Adamus peccando. Laudati operis Auctorem *Sanctus Thomas* putabat *Augustinum:* unde pro ea, qua par est reverentia, ita ipsum exponebat I. P. Qu. XCV. Art. I. ad 2. „ut non negetur, quin aliquo modo *fuerit in Adam Spiritus sanctus,* sicut et in aliis justis; sed quod non sic fuerit in eo, sicut nunc est in fidelibus, qui admittuntur ad perceptionem hereditatis aeternae statim post mortem.“ Suppositium opus tam benigna interpretatione donare, non est opus.

Ad eas, quae memoratae sunt, tres Doctorum opiniones redeo: *quarum* quidem *quaenam verior sit,* (ut ait Aquinas in II. Dist. XXIX.

Quaest. 1. Art. 2.) *multum efficaci ratione probari non potest: sicut nec aliquid eorum, quae ex voluntate Dei sola dependent.* Attamen opinio prima jam exulat e Scholis: eamque in *prima Parte*, ut adnotavimus, praetermisit, ac insuper habuit Aquinas. Opinionem alteram ita intellige, ut primo *Adamus* rectitudinem mentis, ac integram naturam *intra naturalis ordinis limites* acceperit a Deo: tum beneficio *gratiae actualis* sese disposuerit ad *supernaturalem gratiam sanctificantem*, ipsumque Deum finem supernaturalem caritate diligeret: qua supernaturali rectitudine id efficiebatur, ut homo in utroque, *naturali*, et *supernaturali*, ordine subjiceretur Deo: in qua demum subjectione *quamdiu homo persisteret*, tamdiu *corpus immortale* foret, ac *sentientis appetitus vires plene rationis imperio* deservirent. *Sed istud* (inquit Sanctus Thomas loco proxime citato) *non videtur convenire dictis Sanctorum, et Doctorum, qui de statu innocentiae, quasi de uno statu, non distincto, loquuntur.* „Quod etiam fuerit conditus in gratia, (ejusdem verba sunt I. P. Qu. XCV. Art. I.) videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud Ecclesiastis (Capite VII. v. 30.) *Deus fecit hominem rectum.*“ Accedit, immortalitatem corporis, ac plenam subjectionem appetitus non fuisse naturales conditiones hominis, homini debitas secundum principia naturae; sed homini datas, *secundum supernaturale donum gratiae*, quod intelligi saltem debet *specialis Dei favor* intra naturalem ordinem. Itaque rectitudinem mentis, ex qua profluebant, veluti ex radice, corporis immortalitas et subjectio appetitus, non efficiebat solus amor naturalis Dei, homini innocenti debitus; sed eam dicendum est, ex supernaturali amore Dei profectam esse: *nec enim potest fieri quod effectus sit potior quam causa.* Hactenus Doctor Aquinas.

IV. Doctrinam ejus uberius confirmare praestat. Ac primo constitutum maneat, Adamum *antequam laberetur*, dona *supernaturalia* habuisse *fidei*, *spei*, *caritatis*, *gratiae sanctificantis*, quibus ad finem supernaturalem adsequendum tenderet, *visionem claram Dei.* Synodi Tridentinae Patres Sess. V. in Decreto de peccato originali anathema ferunt in eos, *qui non confitentur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse.* Sanctitatem, et justitiam intelligunt dona, quae memoravimus, *supernaturalia.* In his primum hominem fuisse *constitutum* ajunt, Scholasticorum varia placita declinantes: id vero decernentes, ut sin minus Adamus in sanctitate, et justitia *creatus* fuerit, in eisdem ante lapsum *constitutus* dici debeat. Divinae Scripturae favent. Ad homines, Adami lapsi posteros, scribit Paulus Apostolus in Epistola ad Ephesios Capite IV. v. 23. *Renovamini spiritu mentis vestrae: et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est (κτιϑέντα) in justitia, et sanctitate veritatis.* Itemque in Epistola ad Colossenses Capite III. v. 10. *Induentes*, inquit, *novum eum* (hominem) *in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Sensum habes planum, ac pervium: *lapsum hominem* peccatorem per Jesu Christi gratiam renovari *secundum imaginem primi*, quem Deus *condidit* hominem. Renovationem nostram certum est compertumque, sitam esse in diffusione fidei, spei, caritatis: quae dona sunt *supernaturalia*, complenturque visione clara Dei, et amore beante in patria.

Patrum Ecclesiae una vox est, naturam humanam in Adamo in ordinem sublimem gratiae exaltatam fuisse: gratiam istam a natura sejunctam esse, ac naturae indebitam: hominemque lapsum erigi per largitionem supernaturalium donorum, quae primus homo habuit, sibique amisit suisque posteris. Hanc *instaurationis gratiam* coarctatam ad ea dona intellige, quae *mentis rectitudinem* primo in homine efficiebant. Consilio Dei, ejusque supremae voluntati id unum placuit. Adamum post lapsum inducit loquentem *Irenaeus* Libro III. contra Haereses Capite XXIII. num. 5. alias Capite XXXVII. *Eam, quam habui a Spiritu, sanctitatis stolam amisi per inobedientiam.* Docuerat Capite XVIII. alias XX. num 1. *Quod perdideramus in Adam, idest secundum imaginem, et similitudinem esse Dei, hoc in Christo Jesu nos recipere.* Docet demum Libro V. Capite VI. Hominem carne, et anima in ordine physico compositum, fieri *perfectum* in ordine morali *per effusionem Spiritus*, nempe sancti. Haec alludebat, inficiabaturque laudatus Auctor *quaestionum Veteris et Novi Testamenti.*

Cyprianus in Libro de bono patientiae: *Estote*, inquit, *vos perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est. Sic perfectos dixit fieri Dei filios; sic consummari ostendit, et docuit caelesti nativitate reparatos, si patientia Dei Patris maneat in nobis: si similitudo divina, quam peccato Adam perdiderat, manifestetur, et luceat in actibus nostris.* An adoptio in filios Dei, Adamo concessa, Adae peccato perdita, per Christum reparata in nobis, *supernaturale* negaveris *donum?* Luculentissima accipe verba *Athanasii* in Oratione contra Gentes num. 2. *Mundi opifex, et omnium moderator Deus ... humanum genus ad propriam imaginem fecit ... Propriae etiam aeternitatis cogitationem, et cognitionem eidem impertivit: ut videlicet hac conservata similitudine, numquam cogitationem a Deo averteret, neque a Sanctorum convictu discederet: sed datam Dei gratiam, et propriam ex paterno verbo vim infusam retinens exultaret, et cum Deo familiariter viveret, securamque, ac vere beatam immortalem vitam duceret.* Haec sublimia dona sunt, quae vires naturae non habent.

Egregia profert S. *Basilius* Libro de Spiritu sancto ad Amphilochium Capite XV. *Dei et Servatoris nostri circa hominem dispensatio est revocatio a prolapsu, reditusque ad Dei contubernium ab alienatione, quam induxit inobedientia. Hanc ob causam fuit adventus Christi in carne ... ut homo qui salvus fit per imitationem Christi, veterem illam adoptionem, qua in jus filiorum adscitus fuerat, recipiat.* Et infra: *Per Spiritum sanctum datur in paradisum restitutio, in regnum caelorum reditus, in adoptionem filiorum reversio.* Hunc sublimem gratiae gradum describit *Nazianzenus* in Oratione XXXVIII. in Christi Nativitatem: ubi hominem a Deo conditum repraesentat, velut *Angelum alium, caelestem hominem, spiritum per gratiam, cultoremque divinarum cognitionum.* In oratione I. docet: redemptionis humanae mysteria, quae Verbum Dei, homo factus, implevit, *cujusdam erga nos disciplinae loco fuisse: infirmitatisque nostrae velut medicinam quamdam, veterem hominem unde exciderat, reducentem.* Homini primo insidiatum esse Diabolum, tradit *Chrysostomus* Homilia XVI. in Genesim: ut ipsum *gratia Dei privaret; et ingratum factum tantis bonis, per divinam boni-*

tatem ipsi concessis, nudare posset. Paria scribit *Cyrillus Alexandrinus* Libro II. in Joannem Capite III. *Ad imaginem* scilicet, *et similitudinem veri Dei factum hominem:* eumdemque *Spiritu Dei ad imaginem divinam sigillatum:* perstitisse in paradiso, *quousque gratiam Creatoris, Spiritu sancto inhabitante servavit:* gratia demum per peccatum amissa, *characterem similitudinis Dei non ita expressum* remansisse; at *misericordia Dei ad priscam imaginem per Spiritum revocatam esse naturam humanam.*

Rem validissime confirmat Sancti *Ambrosii* expositio parobolae, quae ad Samaritanum spectat, Libro VII. in Lucam num. 73. *Hiericho figura istius mundi est, in quam de paradiso, hoc est de Jerusalem illa caelesti ejectus Adam, praevaricationis prolapsione descendit: hoc est, de vitalibus ad infirma demigrans; cui, non loci, sed morum mutatio naturae suae fecit exilium. Longe enim mutatus ab illo Adam, qui inoffensa beatitudine fruebatur; ubi in saecularia peccata deflexit, incidit in latrones. In quos non incidisset, nisi his mandatis caelestis devius, se fecisset obnoxium. Qui sunt isti latrones, nisi Angeli noctis, et tenebrarum? Qui se nonnumquam transfigurant in Angelos lucis, sed perseverare non possunt. Hi autem despoliant, quae accepimus indumenta gratiae spiritalis: et sic vulnera inferre consuerunt .... Cave ergo, ne ante nuderis, sicut Adam ante nudatus est, mandati caelestis custodia destitutus, et exutus fidei vestimento.*

Innumeras *Augustini* sententias afferre non vacat. Doctrinam memoro, quam de Angelis tradit, homini primo convenientem. Ait scilicet Libro XII. de Civitate Dei Cap. IX. num. 2. *Istam* (bonam voluntatem, quae illos rectos efficiebat) *quis fecerat, nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit: simul eis et condens naturam, et largiens gratiam.* Hanc a natura omnino sejunctam gratiam docet Libro II. alias III. contra Maximinum Arianum Cap. XV. num. 2. *Homo ad Dei similitudinem factus est; tamen quia non est unius ejusdemque substantiae, non est verus filius: et ideo fit gratia filius, quia non est natura.* Haec alia ejus verba Thomas adhibet I. P. Qu. XCV. Art. I. „Augustinus dicit Libro XIII. de Civitate Dei (Cap. XIII.) quod *posteaquam praecepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt: senserunt enim motum inobedientis carnis suae, tamquam reciprocam poenam inobedientiae suae.* Ex quo datur intelligi, si *deserente gratia,* soluta est obedientia carnis ad animam; quod *per gratiam* in anima existentem inferiora ei subdebantur." Accedit *Prosper* in responsione ad octavam objectionem Gallorum. *Haec dona* (scilicet totius humani generis adsumptionem, adoptationemque filiorum Dei) *non ita ex Deo esse opinemur, ut quia ipse naturae nostrae est auctor, per conditionem jam haec contulisse videatur: quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem; sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccavimus.* Patet splendidissime, praeter ea quae ad naturam a Deo conditam spectant, alia hominem primum accepisse dona sublimia a Deo largitore gratiae, peccato deinceps amissa.

Synodi Arausicanae II. addo Canonem XIX. ubi haec habentur: *Natura humana, etiamsi in illa integritate in qua est condita, permane-*

ret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret: unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit; quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit? Reparatur in nobis sanctitas, quae consistit in *filiatione Dei adoptiva*, ejusque amore per gratuitam divinam revelationem cogniti: hanc igitur habuit Adam, quam servare sine gratia supernaturali non poterat. His adde superius allatum *Synodi Tridentinae* decretum: ac *Bajanas* demum, *Jansenianas*, et *Quesnelianas* adde theses, quas damnatas recensuimus, et expendimus: confectumque sane erit, hominem primum *donis supernaturalibus*, antequam laberetur, praeditum fuisse, ornatumque.

Immo quo diligentiore mentis indagine hactenus allata Scripturarum, et Patrum testimonia ponderentur; eo verosimilior apparet opinio, quam *Doctor Aquinas* tuetur: primo suae creationis instanti supernaturalia praedicta munera accepisse primum hominem, *simul naturam condente, et largiente gratiam Deo:* quae luculentissima *Augustini* sententia est. Scripturae divinae docent, *factum* hominem a Deo *rectum:* nostramque per Christum reparationem fieri instar primi hominis, qui secundum Deum *creatus* est in justitia, et sanctitate veritatis. Primam ejusdem hominis conditionem nuspiam Ecclesiae Patres distinguunt a reliquo usque ad peccatum tempore: docentque *Spiritum Sanctum inhabitantem* habuisse, *in filium Dei* adoptatum, cum Deo familiariter conviventem, adhaerentem illi *casto amore*, ornatum *indumentis gratiae spiritalis*: et haec habuisse sublimia munera *ab initio.*

Quomodo vero supernaturalem justitiam, aut sanctitatem primus homo *acceperit* a Deo *ab initio*, dissident Theologi. *Dominicus Soto* Libro I. de natura et gratia Cap. V. existimat, Adamo gratiam sanctificantem in primo instanti collatam a Deo fuisse *per modum naturae*, absque ulla liberi arbitrii cooperatione: in qua tamen, arbitrio libero divinae gratiae auxiliis munito, perseverare posset, ac deberet. Nihil obstare cum *Aquinate* frequentior Theologorum chorus arbitratur, quominus primo in instanti voluntas a Deo creatore condita, et a Deo auctore gratiae instructa auxilio supernaturali, in *liberum supernaturalem* prodiret *amorem*, quo sese ad gratiam sanctificantem adsequendam disponeret, eamque voluntarie ac libere susciperet. Theologos consule.

Colligendum 1. Primum hominem *conditum* a Deo fuisse in utroque, *naturali*, et *supernaturali*, ordine rectum. Rectitudinem supernaturalis ordinis efficiebat *supernaturalis amor*, quo Adam adhaerebat Deo, Auctori gratiae, per divinam cognito revelationem Deum manifestantem, *sicut est in se.* Hanc saepe adnotavimus, claram esse visionem Dei in patria, et fidem in via. Naturalem mentis rectitudinem iterum animadverto, positam esse in *amore naturali Dei*, auctoris naturae, cogniti per ea quae facta sunt. Hanc eminenti modo rectitudinem praestari ipso Dei amore supernaturali, dubium nullum. Ea namque caritatis perfectio est, ut non solum Deum diligat auctorem gratiae, sed ipsum etiam prosequatur auctorem naturae; adeoque rectum in ordine supernaturali hominem efficiat, ac praeterea naturalis ordinis rectitudinem supernaturali modo tribuat. Recole, quae

docuimus num. I. et Cap. XXXIII. num. III. Nihil obstat vero, quominus cum *supernaturali* caritatis amore simul habuerit primus homo *naturalem amorem Dei*, indeque proficiscentem naturalem mentis rectitudinem. Egimus hac de re loco citato, et Cap. XXXVI.

Consectarium alterum est: *rectitudinem mentis* in primo homine, quam Dei amor efficiebat, pro Dei sapientiae dispositione, ejusque voluntatis nutu, eximias illas secum attulisse dotes, quae sunt *plena sentientis appetitus subjectio*, et *corporis immortalitas*. Animadversionem Sancti Thomae repeto: *Secundum principia fidei* (inquientis Libro IV. contra Gentes Cap. LII.) *ponitur, hominem a principio taliter esse institutum, quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta; et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale.* Haec *tria* justitia originalis complectebatur: haec *eadem tria* peccati merito amissa sunt: merito autem Jesu Christi, gratiam sanctificantem, et rectitudinem mentis recuperat homo, minime caeteras dotes. Hinc fortasse videri inutiles, ac vanae *quaestiones* possunt, quas Theologi excitant inquirentes, *an a gratia gratum faciente distingui debeat justitia originalis.* Consule inter caeteros Dominicum Bannes, et Franciscum Silvium I. P. Qu. XCV. Art. I. et Carmelitas Excalceatos Salmanticenses Tomo IV. Tract. XIII. Disput. XVI. Dubio I.

V. „Quia igitur dicti status (justitiae originalis) tam *ordinata integritas* tota causabatur ex subjectione humanae voluntatis ad Deum (verba sunt S. Thomae in Compendio Theologiae Cap. CXCII.) consequens fuit ut *subducta* humana voluntate a *subjectione divina*, deperiret illa perfecta *subjectio virium ad rationem*, et *corporis ad animam*. Unde consecutum est ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili *inordinatos concupiscentiae*, et *irae*, et *caeterarum passionum motus*, non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerumque obnubilantes, et quasi perturbantes. Et haec est *repugnantia carnis ad spiritum*, de qua Scriptura loquitur (Cap. CXCIII.). Consecutum est etiam ut in *corpore* sentiretur *corruptionis defectus*, ac per hoc homo incurreret necessitatem moriendi, quasi anima jam non valente corpus in perpetuum continere, vitam ei praebendo (Cap. CXCIV.). Consecuti sunt in homine per consequens (ad primarios hujusmodi defectus) *multi alii defectus*. Abundantibus enim in appetitu inferiori inordinatis motibus passionum, simul etiam et in ratione *deficiente lumine sapientiae*, quo divinitus illustrabatur voluntas dum erat Deo subjecta; per consequens affectum suum rebus sensibilibus subdidit, in quibus oberrans a Deo, multipliciter peccavit. Et ulterius *immundis spiritibus* se subdidit, per quos credidit in hujusmodi rebus agendis, et acquirendis sibi auxilium praestari. Et sic in humano genere *idololatria*, et *diversa peccatorum genera* processerunt: et quo magis in his homo corruptus fuit, eo amplius a cognitione, et desiderio bonorum spiritualium et divinorum recessit.“ Primum ac praecipuum originalis justitiae amissae effectum intellige *aversionem a Deo in utroque*, naturali, et supernaturali, *ordine*: quam deinceps consecutae sunt in hominibus lapsis flagitiosae illae, quas memorat S. Thomas, conversiones ad creaturas.

Jam habes, lapsum hominem *supernaturali* sanctitate, et supernaturali *rectitudine mentis*, et *gratuitis quibusque donis* expoliatum, nudatumque fuisse. Supernaturalem sanctitatem, et supernaturalem rectitudinem mentis intellige *gratiam sanctificantem*, et *caritatem*, caeterasque annexas supernaturalis ordinis virtutes. Excipe fidem, atque spem. Has ut amitteret, merebatur primi hominis peccatum: subtractas eas non fuisse, divinae misericordiae opus fuit, ut Capite sequente dicendum.

VI. Mansit homo aversus a Deo, *fine supernaturali*, ac *fine naturali:* indeque voluntati hominis lapsi inflictum *vulnus* fuit *in ipsis naturalibus*. Rem hanc praeclarissime illustrant Carmelitae Excalceati Salmanticenses Tomo V. Tract. XIV. Disput. II. Dubio VIII. §. IV. Prolixum locum proferre praestat a num. 281. Animadversio prima sit: „*vires voluntatis*, aut alterius potentiae, non consistere in *entitate ipsius potentiae* secundum se consideratae, sed in eadem disposita tali, vel tali modo. Quod satis constat ex eo, quod *entitas potentiae* semper est eadem: et tamen non sunt eaedem semper *vires potentiae:* eadem quippe est voluntas hominis *in statu naturae purae*, et *in statu naturae integrae;* et nihilominus majores vires ad bonum in hoc statu forent, quam in illo. Quamobrem solent Theologi distinguere in voluntate potentiam *remotam*, et *proximam* ad eliciendum aliquem actum: apellantque potentiam remotam, *ipsam entitatem voluntatis;* potentiam vero proximam vocant eamdem entitatem voluntatis, *quatenus habet dispositionem*, ac *proportionem ultimo requisitam*, ut proxime exeat in actum. (Gradus etiam suos habet haec ipsa dispositio, magis magisque proximos.) Quod exemplo intellectus *respectu conclusionum* explicari potest. Si enim habeat principia proxima, ex quibus illae conclusiones inferuntur, dicitur habere *potentiam proximam* ad eis assentiendum: quando vero non assentitur praedictis principiis, solum est in *potentia remota* ad assentiendum conclusionibus.“ Alteram accipe verissimam animadversionem. „Inter ea, quae *intra ordinem naturae sibi relictae*, et independenter a gratia, possunt superaddi voluntati humanae, quo illius vires ad recte operandum augeantur, praecipuum locum tenet *conversio actualis*, vel *habitualis* ad Deum, tamquam *ad finem naturalem*, amatum super omnia. Quoniam finis ita se habet in operabilibus, sicut prima principia in speculabilibus: unde sicut assensus primorum principiorum dat *vires*, et *proportionem*, seu *potentiam proximam* intellectui, ad hoc ut recte attingat conclusiones; ita conversio, seu affectus ad Deum, sicut ad ultimum finem super omnia dilectum, praebet *vires*, atque *efficacitatem quammagnam* voluntati, ad hoc quod recte se gerat in iis, quae conducunt ad praedictum finem, vel ab eo avertunt.“ Vires expendunt hoc loco laudati Theologi, quae *sufficientes* in ordine etiam naturali vocantur.

Hinc *vulnus* innotescit, quod in *ipsis naturalibus* lapsi hominis voluntas suscepit. Nimirum facta est *aversa a Deo*, non solum ut fine supernaturali, sed etiam *ut fine naturali:* unde viribus destituta manet, quibus recte se gerere in iis valeat, quae intra ordinem naturae sunt *eximia* saltem, *opera bona*. Postrema ista animadverte verba, quae admonent, lapso etiam homini ad agenda naturalia facilia opera

aliqua bona suppetere vires aut sufficientiam, quin speciali auxilio gratiae opus habeat, ut latiore sermone Theologi Sancti Thomae discipuli docent. Haec satis est indicasse. Quod hujusmodi ad vires attinet, longe ab *homine lapso* differt homo qui in *statu naturae purae*, aut in statu *intra ordinem naturalem integrae* constitutus foret: *aversionem* quippe *a Deo* neuter haberet. Utrumque praeterea in *hypothesi possibili* Deus conderet *per dilectionem naturalem* juxta utriusque hypothesis *purae* naturae, et naturae *integrae*, proportionem, ad se conversum: quo pacto Adamum in primo instanti conditum fuisse adnotavimus cum plenissima et perfectissima ad Deum conversione. Fac etiam utrumque condi potuisse cum *sola facultate* se per amorem ad Deum finem ultimum naturalem convertendi. Vires sufficientes, amor boni generatim sumpti, ordinario concursu Dei favente, *homini integro* praestaret: infra vero dicendum, num idem concursus Dei sufficeret homini in *statu purae naturae*, ut in amorem naturalem Dei prodire posset: et quisnam foret hujusmodi amor. Sed *homini lapso* haec minime satis sunt. Vires proximae *naturales*, quas exhibent laudati Salmanticenses, per aversionem a Deo sublatae sunt: ipsaeque vires, quas *amor boni generalim sumpti* conferre dicitur, utpote plurimum *per eamdem aversionem impeditae*, ac *imminutae*, minime sufficiunt. Recole jam dicta num. I. ac Theologos consule, qui de viribus disserunt in homine lapso necessariis ad ipsum naturalem Dei amorem exserendum.

Egregia praesto sunt Sancti Thomae documenta. Haec habet I. P. Qu. LXXXV. Art. I. „Bonum naturae humanae potest *tripliciter* dici. Primo *ipsa principia naturae*, ex quibus ipsa natura constituitur: et *proprietates* ex his causatae, sicut potentiae animae, et alia hujusmodi. Secundo quia homo habet a natura inclinationem ad virtutem, ipsa *inclinatio ad virtutem* est quoddam bonum naturae. Tertio modo potest dici bonum naturae, *donum originalis justitiae*, quod fuit in primo homine collatum toti humanae naturae.“ Animadverte, quo sensu *justitia originalis* dicitur *bonum naturae:* quia in *primo fuit homine promissa*, et conferenda toti naturae humanae. Adde etiam, quod justitia originalis rectum efficiebat hominem non in ordine solum *supernaturali*, verum etiam *intra ipsum naturae ordinem*. Dicta recole, et expende. „*Primum* igitur bonum naturae nec tollitur, nec diminuitur per peccatum. (Quo pacto *naturalia in Daemonibus* dicuntur *mansisse integra:* nimirum eorum *esse, vivere*, et *intelligere*, ut ait Aquinas ad 1.) *Tertium* vero bonum naturae totaliter est ablatum per peccatum primi parentis. Sed *medium bonum naturae*, scilicet ipsa inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum:“ inducta per peccatum originale *aversione a Deo*, et per actuale conversione ad creaturam.

Imminutis vero, sive per inductam aversionem, sive per adjunctam conversionem flagitiosam viribus ad bonum morale agendum requisitis, expeditior efficitur proclivitas ad malum. Luculentissima accipe Thomae verba 1. 2. Qu. CIX. Art. VII. *Bonum naturae* (peccato) *corrumpitur, inquantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjecta. Hoc enim ordine sublata consequens est ut tota*

natura hominis peccantis inordinata remaneat. Alia ejusdem accipe verba Libro IV. contra Gentes Cap. LXXII. *Tertium detrimentum (quod homo ex peccato sustinet) est quaedam debilitatio naturalis boni, secundum quod homo peccando redditur pronior ad peccandum, et tardior ad bene agendum.* Haec omnia illustrant uberrime Theologi, *de Gratia divina* disserentes. Quae sint alia *vulnera*, quae *in naturalibus* maxime per effrenem concupiscentiam illata sunt, infra dicendum.

CAPUT XL.

Ejusdem primi peccati merito tum primus homo, tum posteri aeternam incurrere damnationem debuissent: qua misericors Deus eos liberavit, dato regressu ad viam, ad bonum, ad meritum, ad salutem aeternam. Augustini doctrina cum animadversionibus Bernardi Desirant. Aliae animadversiones. Difficultates nonnullae, et solutiones. Caput alterum exponitur Augustinianae doctrinae, quae necessarias adstruere divinae gratiae vires videtur ad omnem amorem Dei, amoremque justitiae.

I. *Systema* indicavimus *divinae justitiae*, quod esse potuit post lapsum Adami: *statum* scilicet *damnationis*, in quem *peccati merito* idem incurrit primus homo, eique posteros suos omnes obnoxios fecit. Rem hanc animadversione dignissimam declarat *Augustinus* in Enchiridio de fide, spe, et caritate Capite XXVI. et insequentibus. Locum affert, et illustrat *Bernardus Desirant,* Ordinis Augustiniani alumnus, Libro I. in primam Paschasii Quesnellii propositionem damnatam Capite IV. „Ponit illic *(Augustinus)* elementa pietatis, certamque basim totius Theologiae. Describit *humanae damnationis*, propter primum primi hominis peccatum incursae, legem, et conditionem. Damnationem asserit, additque *liberationem.* Liberationis partem primam vocat *Reformationem:* per quam natura lapsa reformatur ad statum meriti vel demeriti, et restituitur ad spem recuperandae salutis. Partem secundam appellat *Reparationem:* per quam natura lapsa pervenit usque ad remissionem peccatorum in vitam aeternam.“

Statum damnationis ita Sanctissimus Pater describit Capite XXVI. *Post peccatum exul effectus* (Adam) *stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis, et damnationis OBSTRINXIT: ut quidquid prolis ex illo, et simul damnata per quam peccaverat conjuge, per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiae poena similis retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quo traheretur per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus, et possessoribus, et consortibus suis, sine fine supplicium.... Ita ergo se habebat:* (Capite XXVII.) *JACEBAT in malis, vel etiam volvebatur, et de malis in mala PRAECIPITABATUR totius humani generis massa damnata: et adjuncta parti eorum, qui peccaverant Angelorum, luebat impiae desertionis dignissimas poenas. Ad iram quippe Dei pertinet justam, quidquid coeca et indomita concupiscentia faciunt libenter mali, et quidquid manifestis, opertisque poenis patiuntur inviti.*

Locum non habuit, misericordia Dei praevalente, possibilis iste status damnationis. *Melius enim judicavit Deus* (eodem Capite XXVII.) *de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere. Et si quidem*

in melius hominum REFORMATIONEM nullam prorsus esse VOLUISSET, sicut impiorum nulla est Angelorum; nonne merito FIERET, ut natura quae Deum deseruit, quae praeceptum sui Creatoris, quod custodire facillime posset, sua male utens potestate calcavit, atque transgressa est: quae in se sui conditoris imaginem, ab ejus lumine contumaciter aversa, violavit: quae salubrem servitutem ab ejus legibus male libero abrupit arbitrio; universa IN AETERNUM DESERERETUR AB EO, et pro suo merito poenam penderet sempiternam? ... Placuit itaque (Capite XXIX.) *universitatis creatori, atque moderatori Deo, ut ... creatura rationalis, quae in hominibus erat, quoniam peccatis, atque suppliciis, et originalibus, et propriis, tota perierat; EX EJUS PARTE REPARATA, quod Angelicae societati ruina illa Diabolica minuerat, suppleretur.*

„Non dicit Augustinus, *primae damnationis statum*, prout eum ibidem (Capite XXVI.) describit, *exstitisse aliquo tempore;* sed qualis fuisset. Duo distinguit *Reformationem*, et *Reparationem.* Reformationem extendit *ad singulos;* reparationem restringit *ad aliquos.* Reformatio est totius massae damnatae; cunctisque regrediendi obligationem, et potentiam asserit. Reparatio aliquibus regressionis actum concedit (usque ad vitam aeternam.) *Reformatio* singulos constituit in via; *Reparatio* plena partem collocat in termino, sive in patria. *Reformatio* singulis relinquit aliqua, quae in naturalibus habebant *ex dono Creatoris:* et superaddens *auxilia Salvatoris*, per observantiam mandatorum offert regressum, simul cum lege tribuens adjutorium. *Reparatio* non contemnentes (seu mandata observantes) ducit ad exitum per Christum Dominum nostrum .... *Augustinus* itaque *totius massae damnationem non describit, tamquam quae sic fuerit*, et *manserit;* sed *qualis fuisset et mansisset,* si Agnus qui occisus est ab origine mundi, toti massae damnatae statim applicatus non fuisset. Damnatio erat incursa: et mansisset similis damnationi malorum Angelorum, quibus aeterna necessitate pressis nec regressus datus est, nec regrediendi facultas, nec adjutorium; sed neque obligatio servandi legem sub *novo demerito,* idest sub novo culpae, ac poenae reatu.

Expendenda sunt singula. Non dicit *Augustinus*, quod Deus omnes poenas, quas memorat, Adamo et posteris ejus inflixit; sed quod Adam se, suosque illis *obstrinxit.* Non dicit, quod quicumque sunt ex ipso et damnata conjuge nati, ad extremum cum desertoribus Angelis supplicium sint perducti; sed quod Adam illos constrinxerit, ut sic nascerentur, et eo usque traherentur. Usus est his vocibus, *jacebat in malis:* jacebat utique obstrictus. *Luebat dignissimas poenas:* in isto scilicet *systemate justitiae.* Cui surrogatum est *systema misericordiae* cum justa moderatione: (cum omnium scilicet, et singulorum *reformatione*, cum *reparatione* aliquorum.) In *primo systemate* homo merebatur cum malis Angelis detrudi, manibus pedibusque ligatis, usque ad peccandi necessitatem: in *secundo systemate* aufertur villicatio justitiae originalis, sed relinquitur unde sciat, quid faciat. Quidquid ergo ibi Augustinus dixit de *coeca, et indomita concupiscentia massae damnatae*, et *de manifestis opertisque poenis, quas patiuntur inviti;* hoc intellexit de *massa damnata*, priusquam consideretur *reformata* ....

Hominem lapsum cum malis Angelis, *in primae damnationis statu*, aequiparat: quantum scilicet erat *ex merito culpae*. Justitia utrique decernebat sempiternitatem (poenae:) quia si plenam puramque primi hominis spectemus libertatem, *par* haec fuerat libertati Angelorum, *par* peccatum, *par* supplicium. Quis autem non videat, quod si homini supplicium hoc mansisset sempiternum, sicut mansit Angelis malis; a novo tunc culpae, et poenae reatu, idest a novo demerito, mansisset exclusus propter impotentiam, sicut manent Angeli mali? Angeli sane mali non de novo demerentur, prout omnibus notissimum est: nec homo igitur, si Angelis malis mansisset aequalis. Non dicit, sic factum esse: sed *nonne merito fieret?* inquit.

Plane ita faceret Deus, (inquit Augustinus loco citato Capite XXVII.) *si tantum justus, non etiam misericors esset: suamque indebitam misericordiam multo evidentius in indignorum LIBERATIONE*, (reformatione, et reparatione,) *monstraret*. Status igitur hominis lapsi in duro isto systemate non torpuit, (non haesit.) Misericordia vicit justitiam, et providentia moderata est cursum omnipotentiae. Quod enim Deus per justitiam omnipotenter poterat, per misericordiam provide nolebat .... Quodnam porro primum et praecipuum *discerniculum* sit, quo *praesens hominis status* secernitur ab *illo hypothetico;* non tantum ex Augustino, verum etiam ex fidelissimo illius interprete *Doctore Angelico* facillime definitur: quia juxta concors utriusque principium, omnis homo nunc *ad usum rationis* veniens, dum praecepti capax fit, sub gravi novoque peccato obligatur se ad Deum convertere, et ad hoc, stata lege, aliquo possibilitatis adjutorio donatur. Non fuisset autem illa conditio hominum in Adamo lapsorum, si humani generis *massa damnata* non misericorditer fuisset ad regressum admissa, et in Christo *reformata*. Jacuisset in malis, et impiissimae desertionis acerbissimas poenas luens, convertendi se ad Deum, dum *ad usum rationis* veniret, nec habuisset *potestatem*, nec accepisset *adjutam facultatem;* sicuti neque habent Angeli damnati." De *primo rationis usu*, deque *possibilitatis adjutorio* tunc concesso, latiore disserit sermone Desirantius Libro IV. in IV. propositionem Capite IV. a pag. 264.

Hanc doctrinam alio etiam loco adhibet Augustinus, nimirum Libro VI. Operis Imperfecti contra Julianum num. XI. „Ubi ex Epistola *Innocentii Papae* ad Episcopos Numidiae, (Desirantium audire praestat loco proxime citato, sub initium Capitis IV.) distinguit inter status pristini *libertatem perditam*, libertatemque *restitutam*, et *justitiam reparatam*. Per *libertatem perditam*, intelligit supplicium libertatis amittendae, quod Adam incurrerat: cujus, hoc sensu, libertas perierat. Per *libertatem restitutam* intelligit hominis facultatem, faciendi bonum et malum, per Christum reformatam. Per *justitiam reparatam* intelligit hominis in peccato nati justificationem. Verba sunt Augustini: *In alia quoque Epistola, quam de vobis ipsis* (Pelagianis) *rescripsit* (Innocentius Papa) *ad Numidas: ergo, inquit, Dei gratiam conantur auferre, quam necesse est, etiam restituta nobis status pristini libertate, quaeramus.* (Hactenus Innocentius.) *Audis restitui libertatem, et non periisse contendis? Atque humana voluntate contentus, divinam non petis gratiam, quam libertas nostra, etiam in statum pristinum restituta, sibi*

intelligit necessariam? Tria subtilissime distinguit: primo *perditam* Adami peccato *libertatem* in verbis: *et non periisse contendis?* secundo *restitutam* libertatem in verbis sequentibus: *in statum pristinum restitutam:* tertio *reparatam* per justificationem, nam dicit adhuc *necessariam esse gratiam*, ut infra addit, *ad perficiendam justitiam*. Libertatem dicit *periisse:* nimirum de rigore justitiae, (prout) *merebatur* malitia primae Adami culpae, non autem *per actualem inflictionem poenae*. Hanc enim misericors Deus voluit mitigare: homo siquidem jacuisset oppressus, nisi eum Christi relevasset adventus."

Jam innotescit status damnationis, qui fuisset. *Lapsi* quidem hominis statum, simulque *reformati*, ejusque libertatem ad pristinum statum restitutam pergit ibidem Desirantius delineare, communi Theologorum doctrinae inhaerens. „Haec igitur *libertatis restitutio* in omnibus locum habet. *Se sola* non valet nisi ad bona moralia (facilia,) parvo tempore, et contra parvas tentationes, cum solo ordinario Dei concursu exequenda. Ad bona vero salutaria, et supernaturalia, *necessaria est Christi gratia:* prout etiam ad *bona moralia diu et constanter*, necnon *contra graves tentationes* perficienda. Quamquam enim libertas nostra generaliter sit *restituta;* haec tamen restitutio non est facta *integre*, *et plene* in illa perfectione, quam homo in paradiso habuit, ubi liber erat a lucta, quae in nobis est. Tunc enim plena pace gaudenti non erat opus ut pugnaret, qui satis vinceret, si perseveraret. Nunc autem *divisio* subsecuta est in homine; unde certamen continuum inter carnem, et spiritum."

II. Liberationis hominum partes illas duas, quas ab Augustino distinctas Desirantius illustrat, *Reformationem*, et *Reparationem*, uno *Reparationis* vocabulo appellant non pauci Theologi. Ne voces contentionem, litemque pariant, *Reparationem* distingue; aliam *perfectam, completamque*, quae ducit usque ad vitam aeternam; aliam *inchoatam*, quae varia gratiarum genera homini viatori concessa complectitur, extrinsecum favorem Dei regressum dare volentis, intrinseca oblata, aut etiam collata auxilia, eademque majora et minora, remissionem etiam peccatorum, et gratiam sanctificantem. Haec omnia *Reparatio perfecta* conjungit *cum gloria*.

Sunt alii Theologi, qui praesentem viae statum non alio contendunt appellari nomine debere, nisi *naturae lapsae*. Hac de re Carmelitas Excalceatos Salmanticenses egregie disserentes audire praestat Tomo V. Disputatione I. Prooemiali Capite II. §. 1. num. 33. „Adverte, non deesse Auctores, qui praesentem gratiae statum renuunt appellare *statum naturae reparatae:* reservantes hoc nomen soli statui gloriae: et omnem statum viae, *sive gratiae, sive peccati*, sub appellatione *status naturae lapsae* comprehendentes: et non plus, quam *accidentaliter*, praedictos status peccati, et gratiae distinguentes in hac via. Ob id forte, quia natura non omnino reparatur usque ad patriam: et dum est in via, licet habeat gratiam, subjecta adhuc manet poenalitatibus, et aerumnis, quas per lapsum Adami incurrit. Ita sentire videntur *Suarez, Zumel, et Gregorius Martines*. Verum praedictum statum, non *naturae lapsae*, sed naturae *reparatae*, vel *sanatae*, vel *gratiae sanantis*, aut *reparantis* appellandum esse, tenent satis

communiter alii, Theologi, *Cajetanus*, *Medina*, *Curiel*, *Lorca*, *Montesonus*, *Granados*, *Joannes a S. Thoma*. Et merito ita loquuntur: quia negari non potest, *justos viatores* per gratiam ipsis infusam *reparari*, et resurgere, quamvis non in omni perfectione, a lapsu, in quo peccatum Adami omnes ejus posteros reliquit. (A quo etiam lapsu vel ipsi peccatores in via aliquo modo reparantur per regressum datum ad ipsam viam, ad bonum agendum, ad meritum, ad praemium.) Nec propterea negamus, universam humanam naturam, etiam *cum est in praesenti gratiae statu*, posse utcumque vocari *naturam lapsam*, scilicet de praeterito, quia tota in Adamo lapsa fuit, et in lapsu concipitur; quamvis adveniente gratia non maneat ultra in illo, sed *reparata*, et *sanata*. Et etiam posset utcumque dici *lapsa*, adhuc *post reparationem*; quatenus nondum *plene reparata est*, neque ad pristinum statum integre restituta. Sed hoc non tollit, quod *simpliciter* sit natura reparata; neque facit, quod *simpliciter* maneat lapsa: aut quod *absolute* ita appellanda sit."

Insigne discrimen diligentiore cura exponendum est, quod *a puerorum damnatione*, qui modo sine baptismate, cum solo originali peccato, ante rationis usum decedunt, damnationem distinguit quam in eo *superius descripto divinae justitiae systemate* incurrerent homines, originali peccato obnoxii. Siquidem *pueri* modo nascuntur in statu *reformationis naturae* cum regressu ad viam, et cum possibilitate consequendi gratiam per baptismi sacramentum cunctis paratum: at eo *in systemate justitiae*, nascerentur omnes in quodam *statu damnationis*, absque ullo reformationis beneficio. Praeterea *pueri nostri*, divina providentia permittente, nunc decedentes sine baptismo, statim collocantur in termino suae viae, ac damnationem integram subeunt, quae *originali peccato* juxta varia Theologorum placita correspondet. Hinc vero *in termino constituti*, ut ipsi Theologi docent, voluntatem ab ea non mutant dispositione, quam habuerunt in via. *Cum ergo infantes, mortui ante usum rationis*, (verbis utor Gonetti Tomo III. Tract. IV. Disput. VII. Art. VII. §. VII. num. 218.) *nullam inordinatam dispositionem actualem* (liberam) *habuerint; ad suavem Dei providentiam spectat, ut non sinat illos post mortem in affectus inordinatos prorumpere.* Inest illis equidem *aversio a Deo*, supernaturali, et naturali ultimo fine, per originale peccatum illata; at eam continet Deus, ne inde *actuales conversiones inordinatae* ad creaturas exoriantur: simulque cum eadem aversione facultatem admitti posse Catholici Theologi censent, agendi aliquid boni naturalis non vitiati, ac etiam aliquo imperfectissimo naturali Dei amore: qua de re diligentius infra dicendum erit. Non ita se res haberet in *illo systemate justitiae*, si fuisset. *Quidquid prolis ex Adamo damnato, et simul damnata conjuge nasceretur* (inquit Augustinus) *traheret originale peccatum*, (ac damnationem suo in ortu incurreret:) *traheretur que per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis sine fine supplicium.. De malis in mala praecipitaretur totius humani generis massa damnata: et adjuncta parti eorum, qui peccaverant, Angelorum, lueret impiae desertionis dignissimas poenas.* Haec misera *hominum adultorum* sors foret in eo divinae *justitiae possibili systemate:* an etiam infantium, qui mortem obirent *ante rationis usum*, infra dicendum.

III. Haud leves Augustiniana verba ingerere videntur difficultates. Homines, qui peccati originalis merito nascerentur in illo *divinae justitiae systemate* damnati, dicuntur non solum, dum adulti facti essent, ac vitam mortalem agerent, varias diversorum dolorum poenas in eadem vita mortali daturi; verum etiam prolapsuri in errores multiplices, sive inordinatos flagitiosos actus, et peccata. Hinc *prima difficultas* est, quomodo jam in *termino damnationis* constituti, novos actus inordinatos haberent? *Altera*, an eosdem in actus malos libere prodirent? *Tertia*, an ita male agentes novo obstringerentur demerito? *Quarta*, an novam poenam subirent? Theologorum communior sententia novum denegat demeritum, quod imputari damnatis, sive *Angelis*, sive *hominibus*, debeat. Erat etiam *Augustini* opinio, poenam originali peccato debitam, praeter illam quae poena damni dicitur, positam esse in poena mitissima sensus; immo non aliam originali peccato deberi, nisi poenam damni, opinio est *Aquinatis*. Quid est ergo, (*postremam* profero *difficultatem*,) quod homines illi damnati *traherentur per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis sine fine supplicium?*

Propositis expediri difficultatibus Augustiniana doctrina potest in sequentibus, quas affero, solutionibus. 1. Status damnationis *juxta praesentem providentiam* differt ab illo damnationis hominum statu, qui fuisset *in possibili divinae justitiae systemate*. Incipit modo in hominibus damnatio *post mortem corporis;* tunc inciperet *cum vita corporis*, postque mortem ejus compleretur. Hinc difficultas prima partim elevata manet.

2. In praesenti damnatorum statu nulla est *libertas agendi bonum;* sed libertatem manere agendi mala particularia diversa, itemque unum idemque malum agendi, et non agendi, communis est Theologorum sententia: qui varios tamen explicandi hujusmodi libertatem modos proferunt. Hanc eamdem libertatem infelicissimam nihil obstat quominus in *illo divinae justitiae systemate* admittamus in hominibus damnatis, tum vitam mortalem agentibus, tum post mortem eorum in completa damnatione. Secundae difficultati, ac etiam primae haec faciunt satis.

3. Fuere Theologi, *Alexander Alensis*, et *Richardus de Mediavilla*, aliique, qui damnatorum Daemonum, hominumque deliberatos actus omnes adferebant vere, ac proprie peccata: eosque novam poenam, gravioremque mereri. Alii sunt, qui *damnatorum meritum*, sive *demeritum* ad solas coarctari *accidentarias poenas* debere, tradunt. Meritum denique omne, aut demeritum inficiatur *communior opinio:* quod inquiunt viatoribus convenire, non iis qui in termino constituti sunt: ac addunt, mala quae fiunt a damnatis, *ad poenam* verissime pertinere. At in illo *possibili divinae justitiae statu* nihil obstare sane videtur, quominus in *priore damnationis parte*, utpote quae nondum completa foret damnatio, homines illi in mortali vita poenas luere damnationis incipientes, quemadmodum in *liberos* prodirent *actus malos*, et flagitiosos: ita *novam poenam*, gravioremque mereri possent, in completo damnationis termino post mortem corporis luendam.

Itaque *pars illa damnationis prior* varias poenas complecteretur: praecipuam illam, et essentialem, quae sempiternum est *exilium a regno*

caelorum, seu carentia visionis divinae: *diversos etiam dolores*, ac aerumnarum impetus, qui vitam mortalem comitarentur: *impotentiam agendi bonum* per subtractionem auxiliorum Dei, ac *miseram necessitatem agendi malum*, cum libertate ad hoc, vel illud malum: *effectus* denique *poenales inde consequentes*, conscientiae remorsum, animi perturbationem, anxietatem, molestiam, novumque reatum poenae, quae est poena sensus. Haec haberet omnia *posterior damnationis pars post mortem*, novo tamen demerito, novoque poenae reatu excepto. Ad completum enim suae damnationis homines illi damnati pervenissent terminum: in quo *haec alia poena* locum habet, ut eos pro derelictis habeat Deus in supplicio aeterno, eorumque pravas deliberationes veluti non amplius curans, non illis eas imputari velit ad novum reatum. Caeterae solutae manent difficultates.

Non ita vero rem futuram dixerim *quoad infantes*, qui in illo *divinae justitiae systemate* mortem obirent ante rationis usum. Non alia his infligenda videtur poena, nisi quae originali peccato correspondet, aut *solum poena damni*, ut opinatur Aquinas, aut praeter hanc mitissima etiam poena sensus, ut *Augustini* sententia est. Cum ante rationis usum decederent, actualem propriam nullam habuissent inordinatam voluntatem; sive in statu viae, ut contingit in adultis viatoribus juxta praesentem providentiam; sive in statu damnationis inceptae, ut in illo esset possibili divinae justitiae systemate. Cum ergo *ante rationis usum* morientes, in completo damnationis termino collocarentur; par est conjicere, inordinatas actuales voluntates nullas habituros esse. Hac ex parte cum nostris infantibus absque baptismo decedentibus convenirent. An etiam mitius de illis liceat sentire, quemadmodum de infantibus nostris licere sibi, putant plerique Theologorum? Nihil aliud dixerim ego, nisi quodpiam inter utrosque adsignari discrimen posse: quod *infantes nostri* nascuntur in statu naturae *per Jesu Christi meritum reformatae:* nascerentur illi in *statu damnationis inchoatae*. Unde mitius tandem de *nostris* fortasse licet sentire, quam *de illis*. Hac de re iterum inferius dicendum erit.

IV. Varii innotescunt *naturae humanae status:* quorum diligens, ac vera expositio id sane conficit, naturam humanam in Adamo conditam ad sublimia *supernaturalia* dona exaltatam fuisse, quae longissime distant ab ipsa natura, ac ipsius naturae perfectionibus, donisque a Deo auctore naturae collatis. Inter haec *amorem Dei naturalem*, aut facultatem naturali prosequendi Deum amore computavimus. Adversantur *Bajani*, et *Janseniani* homines, qui veluti Augustini doctrinam jactantibus, *omnem* ajunt *amorem Dei*, ac *amorem veritatis, et justitiae incommutabilis* esse donum gratiae.

Innumera sine dubio *Augustini* testimonia sunt, quae amorem Dei perhibent *donum gratiae:* ac donum etiam illius gratiae, quae *diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum*, qui datus est nobis. Egregiam, verissimam, catholicam amplectimur hanc Sancti Augustini doctrinam: quae scilicet spectat *praesentem naturae humanae statum*, cum ordinatione ad *visionem claram Dei in patria*, et ad media ad illam adsequendam proportionata; fidem nimirum, et spem, et caritatem *supernaturales*, viresque *supernaturales* ad illos actus eli-

ciendos. Mirum vero, *Bajum*, et *Jansenium*, amorem Dei adserere *integrae*, ac *innocenti* humanae naturae *debitum*; simulque necessariam profiteri ad illum eliciendum *gratiam Dei!* An vero *gratiam* intelligant *auxilium quodcumque Dei*, eo solum titulo insignitum *gratiae nomine*, quod merito personae non retribuitur? Mentem eorum, eorumque absurda commenta exposuimus Cap. XXXVII.

Praeter *supernaturalem* amorem Dei, alius est *amor naturalis* ejusdem. Utriusque notiones exhibet Caput XXXIII. Uterque locum habet in *praesenti naturae statu*, ut eodem in Capite declaratum est: eodemque in *statu* praesenti lapsae naturae *specialia* Dei auxilia ad ipsum etiam naturalem amorem, jam indicavimus. Possibilem admittimus naturae humanae statum, quae ordinata ad *visionem claram* Dei non foret: duplicemque hujusmodi statum distinguere Theologi solent, statum *naturae intra ordinem naturalem integrae*, et statum *naturae purae*. Non alius in utroque amor Dei esset, nisi quem appellamus *naturalem*. Ad illum exserendum negat nemo necessarium divinum adjutorium, diversum pro *diversa naturae integrae*, et *naturae purae* conditione: sed utrumque *intra ordinem naturalem*, et cum ordine ad *finem ultimum naturalem*, Deum scilicet per ea quae facta sunt cognitum.

CAPUT XLI.

Peccatum originale ex communi omnium morte, aliisque humanae vitae aerumnis, post Augustinum colligunt Gelasius Ecclesiae Christianae Pontifex, Patres Afri in Sardinia exules, et Synodus altera Arausicana. Possibilis proponitur purae naturae status, in quo corpus humanum sibi relictum, morti et aerumnis foret obnoxium. Vis tamen Augustinianae argumentationis invicta consistit, juxta leges praesentis Dei providentiae.

I. Ad peccatum originale redit sermo. Illud in mundo exstare, eo primo conficiebat argumento Augustinus, quod nullus inter *visionem claram Dei*, a qua infantes absque baptismo decedentes expelluntur, et inter *damnationem* quam incurrunt iidem infantes, *locus medius* intercedit. Augustinianae argumentationis vim nec infringi, nec elevari, latiore sermone hactenus ostendimus, eo *possibili purae naturae statu* admisso, in quo *naturalis quaedam beatitudo* foret, longe discreta ab ea status praesentis beatitudine, quae est *visio clara in patria.*

Non absimili methodo alterum procedit argumentum, quo peccatum originis colligunt Augustinus, et Sancti Patres *ex innumeris humanae vitae miseriis*, quibus parvuli obnoxii sunt, ac etiam adulti, communi infortunio. Sunt illae, vita laboriosa et gravis, dolores partus, belluarum rebellio, nocumenta undique imminentia, necessitas moriendi, morbi inferentes mortem, mors ipsa. Accedunt tot aliae aerumnae, quot homines potuerunt excogitare, quibus hominum vitam affligerent. Vis argumenti in eo posita est: quod injustum videatur, *maxime parvulos* tot conflictari molestiis, si non est aliquid in eis, quod Numini supremo displiceat, atque pro merito vindicetur. Aetas vero ista, cum sit *per sese innocens opus Dei*, aliunde habere vitium non potest, quam unde existit contrarium aliquid Deo: quod aliud non est, nisi *pravae peccatum voluntatis.* Atqui per aetatem id in

parvulis reperiri non potest: igitur oportet a parente totius generis transierit illud in posteros. Vim exserit argumentatio etiam in adultis, cum propria doceamur experientia pluribus nos affligi aerumnis: *quae non ad malitiam* (admonente Augustino Libro XXII. de Civitate Dei Cap. XXII. num. 3.) *nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem.*

Miserias vitae nostrae brevi complectitur sententia Siracides Cap. XL. v. 1. *Jugum grave super Filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae.* Quae verba expendens Augustinus, argumentum elicit adversum Julianum Libro IV. Cap. XVI. his verbis: *Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut poena primi, veterisque peccati?* Iniquitas foret, ut idem Sanctissimus Pater ait Libro I. Operis imperf. in eumdem Julianum num. 49., quia Deus *imagines suas innocentes* tam gravi jugo premeret: impotentia vero, si volens, quia bonus et justus est; infirmus quoddammodo, non possit eis subvenire. At absit, iniquum, et impotentem credere Deum: igitur restat poena primi, veterisque peccati.

Argumentum confirmat auctoritas Gelasii Romani Pontificis, Africanorum Patrum in Sardinia exulum, et Synodi secundae Arausicanae. *Gelasius* in Epistola ad Episcopos per Picenum, quae anno 493 data est, senem *Senecam quemdam*, Pelagianum hominem, refellit, peccatumque originis ea etiam, quam proposuimus, suadere nititur argumentatione. *Ideo* (inquit) *de felicitatis suae caritate seclusus* (homo), *atque ad spinas, et tribulos, miseriasque multiplices caelesti voce damnatus est. Quae utique poena justi judicii, tam gravis, et aspera, in bono perseveranti nullatenus esset inflicta: et nisi malo, non convenienter illata probaretur.*

Libellos fidei suae *de Incarnatione et gratia* transmiserant *Monachi Scythiae* ad Episcopos Africanos, qui in Sardinia exulem vitam agebant, a Trasamundo Vandalorum Rege deportati. Vicem hi rependentes, Monachorum fidem commendant: eisdemque Volumen, pari titulo *de Incarnatione et gratia* inscriptum, anno 520 dederunt. Haec habentur Cap. XIV. quae ad institutum faciunt: *Si qui mortem solam, et non etiam peccatum ex homine primo transiisse in genus humanum nituntur asserere; mirum si non intelligunt, quibus sententiae suae laqueis obligentur. Primo quia Deum dicunt injustum in eo, quod mori facit parvulos; quos nulla volunt isti originali peccati contagione pollutos.... Qua enim justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit poenam, in quibus poenae non invenit causam?* Qui fuerint Praesules ita sentientes, numero et doctrina clari, addiscimus ex primo Capite, ubi eorum recensentur nomina. Sunt vero *Dacianus, Fortunatus, Boechos, Victor, Scholasticus, Orontius, Vindicianus, Victor, Januarius, Victorianus, Fotinus, Quodvultdeus, Fulgentius, Felix, et Januarius.* Discimus etiam ex Vita S. Fulgentii Cap. XX. ejusdem stylo volumen integrum elucubratum fuisse.

Denique *Synodus Arausicana II.* anno 529 adversum Pelagianorum reliquias celebrata, statuit Canone II. eum, *qui soli Adae praevaricationem suam, non et ipsius propagini asserit nocuisse; aut certe*

mortem tantum corporis, quae poena peccati est, non autem et peccatum, quod mors est animae, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur; injustitiam dare Deo. Ex ipsa mortis, et aliarum quae praecedunt eam, humanae vitae aerumnarum gravitate inferunt sapientissimi Patres, nonnisi in poenam eadem infligi mala a Deo potuisse: adeoque in hominibus tantae poenae causam inveniri, scilicet peccatum: non *actuale*, quod habere non possunt infantes recens nati, sed *originale* a primis parentibus propagatum.

II. Argumentationis momentum elevari posse, verentur nonnulli; si *possibilis purae naturae status* admittatur, in quo corpus natura suapte divisibile in partes, aut contrariis compactum elementis, non potest non esse morbis, aerumnis, morti obnoxium. Cur ergo poenam dicamus mortem, et aerumnas, et morbos; quae omnia potius videntur ad *naturalem naturae humanae conditionem* pertinere? Utrumque conciliari posse: tum esse *possibilem naturae purae statum*, in quo naturales corporis et materiae defectus forent morbi, et aerumnae, et mors; tum hujusmodi nihilominus miserias *in poenam peccati modo infligi a Deo*, putant, ac tuentur gravissimi Scriptores. Id inficiari ausus est Jansenius Libro III. de statu purae naturae a Capite VI. Id etiam inficiati ante fuerant Thesium adsertores, quae numerantur LV. et LXXVIII. inter *Bajanas*. Prima est: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Altera: *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio.*

Rem ego totam diligentius enarro, ut veritas maxime pateat, argumentationi Augustinianae suum robur consistat, concidantque omnia, quae homines indociles obtrudunt. Rem agendam adgredior tutissimis Thomae Aquinatis documentis. Id adserendum vero: corporis humani conditionem esse, ut sibi relictum corrumpi queat, ac interire. Adsertum probant, quae primo loco ponit argumenta S. Thomas 1. 2. Qu. LXXXVI. Articulo VI. Selectiora duo profero. Primum: *Omne quod est compositum ex contrariis, est naturaliter corruptibile, quasi habens in se causam corruptionis suae: sed corpus humanum est hujusmodi: ergo est naturaliter corruptibile.* Alterum: *Calidum naturaliter consumit humidum: vita autem hominis conservatur per calidum, et humidum: cum igitur operationes vitae expleantur per actum caloris naturalis; videtur quod mors, et hujusmodi defectus sint homini naturales.* Paullo aliter explicari res eadem potest, si materiae conditio expendatur, quae partes habet, et in partes divisibilis est: hinc enim confici posse videtur, nullum esse corpus, quod temporis diuturnitate non exsolvatur in partes, quibus constat, adeoque corrumpatur. Id est praeterea corporis animalis proprium, quod ejus vita calore, qui naturalis dicitur, potissimum foveatur. Atqui calor iste nativus continetur spirituum, et sanguinis motu: hoc etiam motu variae corporis organici partes atteruntur: et hujusmodi partium jactura absque dispendio aliarum sarciri non potest. Unde restat ut singulis momentis vita detrimentum capiat, morbisque, et senio ad mortem perveniat. Haec omnia loco citato expendit Aquinas, atque demum concludit: *Hominem esse naturaliter corruptibilem secundum naturam materiae sibi relictae.*

Pars hominis altera praecipua, quae *mens* est *incorruptibilis*, et *immortalis*, si consideretur; videri fortasse poterit, necessario immortale corpus, ordinis rectitudine aut aequitate salva, dandum, jungendumque illi fore. Verum enim vero aliud est, necessario *tamquam quid omnino debitum* fieri id debuisse: aliud ex ipsa formae, aut mentis immortalitate *convenientem* duci *rationem*, ut id fieri potuerit. Priorem partem Thomas inficiatur loco citato. Negantem assertionem ita probat: „Forma hominis (inquiens) quae est *anima rationalis*, secundum suam *incorruptibilitatem* proportionata est suo fini, qui est *beatitudo perpetua*. Sed *corpus* hominum, quod est *corruptibile secundum suam naturam* consideratum, *quodammodo est* proportionatum suae formae, et *quodammodo non*. Duplex enim conditio potest attendi in aliqua materia: una scilicet, quam *agens eligit*: alia quae non est ab agente electa, sed est *secundum conditionem naturalem materiae*. Sicut faber ad faciendum cultellum eligit materiam duram, et ductilem, ut sit apta incisioni: et secundum hanc conditionem ferrum est materia proportionata cultello. Sed hoc, quod ferrum sit frangibile, et rubiginem contrahens, consequitur ex naturali dispositione ferri: neque hoc eligit artifex in ferro, sed magis repudiaret, si posset. Similiter corpus humanum est materia electa a natura, quantum ad hoc quod est *temperatae complexionis*, ut possit esse convenientissimum organum tactus et aliarum virtutum sensitivarum, et motivarum. Sed quod sit *corruptibile*, hoc est *ex conditione materiae*, nec est electum a natura: quin potius natura eligeret *materiam incorruptibilem*, si posset.“ Jam constat, materiam, aut corpus humanum, sibi suaeque naturae relictum, non habere incorruptibilitatem: unde necessitas nulla, aut debitum proprie nullum est, quod incorruptibili et immortali animae postulet immortale corpus uniri.

Quam vero non habet *natura sua* corpus humanum, potest conditor Deus *immortalitatem* ipsi largiri: naturalem ejus corruptibilitatem juxta modos omnipotentiae suae possibiles continendo, et impediendo. Conveniens etiam apparet ratio, ob quam in hominis creatione *suppleret* Deus corporis defectum: ducta scilicet ex ipsa intentione naturae, quae *formae incorruptibili* corpus jungeret immortale, si posset. Hinc vero collige, corpori datam a Deo immortalitatem intelligi debere *liberum*, et *gratuitum donum* intra ordinem naturalem: quod ipsius quidem corporis naturam, et conditionem excederet; animae tamen rationalis, incorruptibilis, et immortalis consentaneum exigentiae foret. Animadverte, *hanc* minime *exigentiam* ad integram pertinere naturam humanam, ex *corpore*, et *anima* compositam; sed *una ex parte unius animae* se tenere. Hinc tametsi immortalitatem corporis existimemus donum esse intra ordinem naturalem; a Deo tamen adserimus concedi agente supra vires, et supra exigentiam, quae *omnimoda sit*, ipsius naturae humanae; idest *modo quodam supernaturali*. Sensum habes, quomodo data innocenti Adamo *immortalitas* dici queat *naturalis*.

Haec omnia egregie declarat S. Thomas Qu. V. de Malo Art. V. „Si in natura (inquiens) inveniri potuisset *aliquod corpus* ex elementis compositum, quod esset *incorruptibile*; procul dubio tale corpus esset

conveniens animae secundum naturam. Sicut si posset inveniri ferrum infrangibile, et rubiginem non contrahens, esset convenientissima materia ad serram, (ad cultellum:) et talem artifex quaereret. Sed quia talis inveniri non potest, accipitur qualis potest: scilicet dura, sed frangibilis. Similiter quia natura non potest invenire corpus ex elementis compositum, quod *secundum naturam materiae* sit incorruptibile; aptatur naturaliter animae incorruptibili corpus organicum, licet corruptibile. Sed Deus, qui est *naturae institutor,* hanc necessitatem materiae *sua omnipotentia* potuit prohibere, ne in actum prodiret... Sic ergo *mors,* et corruptio *naturalis* est homini *secundum necessitatem materiae,* sed *secundum rationem formae* esset ei *conveniens immortalitas,* ad quam praestandam *naturae principia* non sufficiunt... *Aptitudo* quaedam naturalis ad eam, convenit homini *secundum animam;* complementum autem ejus est ex *supernaturali virtute;* (propterea quod *naturae principia non sufficiunt:* corporis immortalitatem si exigat anima, ejusdem corruptibilitatem exposcit conditio materiae.) Sicut Philosophus dicit, quod habemus aptitudinem ad virtutes morales ex natura, sed perficiuntur in nobis per consuetudinem. Inquantum autem *immortalitas* est nobis *naturalis,* (considerata immortalis animae partiali exigentia,) *mors,* et *corruptio* est nobis *contra naturam.*"

Jam ergo *duplex* fieri potest *hypothesis,* vel hominis a Deo condendi cum corpore *sibi suaeque naturae relicto,* morbis, et aerumnis, et morti obnoxio: vel cum *dono incorruptibilitatis.* Negaverit *possibilem hypothesim posteriorem* nemo: (immo reipsa conditum hoc modo hominem, infra constabit:) sive Dei omnipotentiam spectes, cui nec potestas deest, nec modus cohibendi necessitatem materiae, ne in corruptionis actum prodeat: sive Dei bonitatem, et sapientiam consideres, quae maxime in eo elucet, quod impedita materiae corruptibilitate, corpus evaderet magis immortali animae proportionatum instrumentum, et organum. Sed nihil etiam obstat quominus *possibilis* admittatur *prior hypothesis.* Principia siquidem naturae ad corporis immortalitatem non sufficiunt: ac ipsa materiae conditio corruptibilitatem exposcit. Cur ergo eadem materia, et naturae principia propriae relinqui imbecillitati, et insufficientiae non potuerint? Insolens praeterea foret, *congruas,* et *decentes rationes* inficiari, propter quas *corruptibilem* condere *hominem* potuisset Deus, ac sapientissime judicaret, ejusque salva bonitate vellet. Hunc statum *naturae purae* appellamus.

Statum *naturae integrae* duplicem frequentius exposuimus: alterum *in ordine supernaturali,* cum destinatione ad visionem claram Dei: *in ordine naturali* alterum, cum ordinatione ad solam beatitudinem naturalem. Hocce in ordine *immortalitas* foret donum, *a Deo conditore naturae datum,* agente supra insufficientia naturae principia. Hanc in *eodem statu* immortalitatem inficiari videntur Excalceati Carmelitae Salmanticenses Tomo V. in Disputatione I. prooemiali Capite II. §. 1. num. 29. at inficiantis adserti grave momentum video nullum. Eamdem immortalitatem corporis in *alio integrae naturae,* ad visionem claram Dei ordinatae statu, naturale donum *quoad substantiam,* supernaturali quodam modo concessum, ut superius exposui-

mus, appellare non renuunt plerique. Putant alii, inhaerentem Adamo *supernaturalem* caritatem, tum mentem subjecisse Deo, tum vires sensitivas menti, tum corpus animae: unde reliquum est ut causa immortalitatis dici debeat *donum supernaturale*. Alii arbitrantur, integrum sibi fore conjectandi, Deum largitorem gratiae, *caritatem supernaturalem* dedisse primo homini: qua manente, Deum *conditorem naturae* praesidiis intra ordinem naturalem constitutis munivisse hominem contra agentia extrinseca, quae perniciem, et interitum afferre valent: ac cibum in arbore vitae parasse, quo calor nativus confirmaretur, ne languesceret, et quo non solum reficeretur naturalis humor, sed in primigenia conservaretur integritate. Ad primum caput spectat *prudentia hominis*, qua discerneret convenientia, nociva declinaret: *Angelorum custodia*, qua penitus arcebantur, quae extrinsecus nocitura praevideri non poterant: *Daemonum insidiae nullae*, ita Deo disponente: *prava etiam nulla voluntas in hominibus*, qui nocere vellent, aut possent. Liberum ac integrum est Theologis, hisce de rebus varie sentire.

III. Si res ita se habeat, (inquies;) cur *veluti poenam*, ex qua peccati meritum, ac reatum inferat, *mortem* habet Augustinus, et morbos, et alia mala, quae potius *ipsius materiae*, *corporisque conditiones* dici debeant? Frequens Theologorum responsio est: Augustinianam argumentationem pendere ex legibus *praesentis Dei providentiae*, quibus constitutum esse, ut immortali animae corpus uniretur incorruptibilitate donatum, tum nativo lumine conjicere possumus, tum fide Scripturarum certo docemur.

Utique mala ista non ita *poenae rationem* produnt, ut id loco *principii* haberi possit, ac debeat, quod per sese clarum sit, ac nulla egeat probatione. Id sane inficiabantur *Pelagiani*; illud vero urgebat *Augustinus*, simulque probabat argumentis. Factum hominem cum *potentia non moriendi*, Scripturarum auctoritate evincebat, ut num. insequente dicendum: colligebatque propterea, *poenas* esse aerumnas, morbos, mortem. Utriusque partis, mentis, et corporis, conditionem expendebat: quorum illa superior est natura sua, ista inferior. Hinc optimam conjiciendi rationem praesto esse existimabat: ita Deum condere hominem voluisse, ut in unione animae cum corpore, praestantis naturae illius rationem habuerit; ad ejusque conditionem, quoad fieri posset, sublimaverit corpus, defectu suppleto corruptibilitatis. Hinc ejus est luculentissima sententia: hominem natura corruptibilem esse, sed ipsum *gratuito Conditoris favore* factum immortalem. Verba offero, quae habentur Libro VI. de Genesi ad litteram Capite XXV. „Aliud est *non posse mori*, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est *posse non mori*, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis; quod ei praestabatur de ligno vitae, *non de institutione naturae* .... Mortalis ergo erat *conditione corporis animalis*, immortalis autem *beneficio Conditoris*." Par est sententia, quam Libro XIII. de Civitate Dei Capite XX. habet. Primorum parentum corpora *senio non veterascebant*, *ut necessitate perducerentur ad mortem*. *Qui status eis de ligno vitae* ... *mirabili Dei gratia praestabatur*. Aptissimo rem declarat exemplo Libro I. de

peccatorum meritis et remissione Capite III. „Si Deus *Israelitarum vestimentis*, et calceamentis praestitit, quod per tot annos non sunt obtrita; quid mirum, si obedienti homini ejusdem potentia praestaretur, ut *animale, et mortale corpus* (Lovaniensium Doctorum lectionem sequor) haberet in eo quemdam statum; quo sine defectu esset annosus, tempore quo Deus vellet, a mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus;" ad illam scilicet *immortalitatem*, cui conservandae alimento opus non esset, et quae nobis erit *post resurrectionem mortuorum*, homini primo minime data. Miraculosam vestium Israeliticarum conservationem in desertis tuetur, ac vindicat D. *Salomon Deylingius* in Observationibus Sacris Parte II. adversus Hardtium, Clericum, Burmannum, Bynaeum, et Peyrerium.

Haec disserens vero, credidisse numquam dicendus est *Augustinus*, ut homini innocenti necessario conferri debuerit incorruptibilitas. Quomodo enim eam appellasset *beneficium Conditoris*, *et mirabilem gratiam Dei*, et liberum *potentiae ejus* effectum? Quomodo eamdem comparasset cum miraculosa vestium Israeliticarum conservatione in desertis? Non obstant ejus verba Libro XIII. de Civitate Dei Capite XV. *Constat inter Christianos*, inquientis, *veraciter catholicam tenentes fidem: etiam ipsam corporis mortem, non lege naturae qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati.* Ita nempe est: *moriendi necessitatem*, quae naturae humanae sibi relictae est conditio, sed quae beneficio et gratia Dei conditoris inhibita fuit, ne in actum prodiret; non *lege naturae* modo contingere, sed *peccati merito.*

CAPUT XLII.

Praesentem Dei providentiam, qua primus homo conditus fuit non obnoxius morti, et aerumnis, nativo lumine conjicere ratio potest. Eam Dei revelatio certam facit. Mens Augustini diligentius expenditur, ac methodus adversum Pelagianos.

I. Ita se rem habuisse in *prima naturae humanae conditione*, probabili *nativi luminis* conjectura, maximeque *certa Scripturarum auctoritate* conficiebat *Augustinus.* Ad primum caput Gentilium Philosophorum persuasio pertinet: qui naturae humanae miserias multiplices considerantes, loco poenae eas habuerunt. *Peccati alicujus merito* inflictas a Deo, inquiebant: quod, cum originalis culpae nullam habuerint notitiam, in *aliqua vita superiore* perpetratum comminiscebantur. Hunc a Platonicis errorem didicit *Origenes.* Insignem ex *Tullii Hortensio* locum profert, ac urget *Augustinus* Libro IV. adversus Julianum Capite XV. num. 78. „Videntur non frustra Christianae fidei propinquasse, qui vitam istam, fallaciae miseriaeque plenissimam, non opinati sunt nisi *divino judicio* contigisse; tribuentes utique justitiam conditori, a quo factus est, et administratur hic mundus. Quanto ergo te melius, veritatique vicinius de generatione hominum senserunt, quos *Cicero* in extremis partibus *Hortensii* Dialogi, velut ipsa rerum evidentia ductus, compulsusque commemorat? Nam cum multa, quae videmus, et gemimus, de hominum vanitate, atque infelicitate dixisset: *Ex quibus humanae,* inquit, *vitae erroribus*

et aerumnis fit, ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initiisque tradendis Divinae mentis Interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, poenarum luendarum causa, natos esse dixerunt; aliquid vidisse videantur. Verumque sit illud, quod est apud Aristotelem: simili nos affectos esse supplicio, atque eos qui quondam cum in praedonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur; quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis, accommodata quamaptissime colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis, esse conjunctos. Nonne qui ista senserunt, multo quam tu melius, grave jugum super filios Adam, et Dei potentiam, et justitiam viderunt?«

Probabilem hanc, et *verisimilem* nativi luminis conjecturam egregie illustrat S. Thomas Libro IV. contra Gentes Capite LII. Ait ille: „Cum Deus humanorum actuum sic curam gerat, ut bonis operibus praemium, et malis poenam retribuat; ex *ipsa poena* possumus certificari *de culpa.* Patitur autem communiter humanum genus diversas poenas ... corporales ... Inter quas potissima est *mors*, ad quam omnes aliae tendunt, et ordinantur, scilicet *fames, sitis,* et *alia hujusmodi.*“ Obviam responsionem, quam etiam adhibuerant Pelagiani, exhibet ille: *Posset tamen,* inquiens, *aliquis dicere, hujusmodi defectus ... non esse poenales, sed naturales ex materiae necessitate consequentes: necesse est enim corpus humanum, cum sit compositum ex contrariis, corruptibile esse.*

Adsumptum principium, quod utique data responsione eludi potest, neque per sese clarum est, *humana conjectura* pergit declarare. „Sed tamen, si quis recte consideret, *satis probabiliter* poterit aestimare: *divina providentia supposita*, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut *ei dominaretur:* et si quod hujus dominii impedimentum ex defectu materiae contingeret, ejus *speciali*, et *supernaturali* beneficio (agente scilicet Deo supra naturae exigentiam) tolleretur. Ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturae, quam corpus; tali conditione credatur corpori esse conjuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae, *per quam corpus vivit.*“ Qua posita convenientissima conjectura, vis argumenti tota apparet, quam his verbis urget Aquinas: „Sic igitur *hujusmodi defectus*, quamvis *naturales* homini videantur, *absolute* considerando humanam naturam ex parte ejus, quod est in ea inferius; tamen *considerando* divinam providentiam, et *dignitatem superioris partis* humanae naturae; *satis probabiliter* probari potest, hujusmodi *defectus* esse *poenales:* et sic colligi potest, humanum genus *peccato aliquo originaliter* esse infectum.“

II. Quod ratione naturali conjici poterat, ac probabile videri potest, docet aperte catholica fides, certumque facit. Brevi sententia rem conficit *Augustinus* Libro IV. Operis imperf. num. 34. inquiens: „Jam tibi dictum est (Sapientiae Capite I. v. 13.) *Deus mortem non fecit.* In prolatione autem sententiae Dei est (Genes. Capite II. v. 17.) *Morte morieris.* Ecce Deus hoc retribui peccatori fecit.“ *Poenam* esse mortem illatam, certo colligitur: tum quia Deus non fecit eam, eum

hominem fecerit qui posset non mori: tum quia nonnisi peccatori homini eam Deus retribuerit.

Clarissima Geneseos verba eludebant Pelagiani: ac si minae Dei, *Quocumque die comederis, morte morieris*, ad *mortem animae*, quam infert peccatum, non ad *mortem corporis* pertinerent. Pelagianam responsionem pluribus Scripturarum documentis refellit Augustinus Libro I. de peccatorum meritis, et remiss. Capite II. et insequentibus. Loco primum citato affert Geneseos verba Capite III. v. 19. *Pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ait vero: „Quid respondebunt cum legitur, hoc Deum primo homini etiam post peccatum increpando, et damnando dixisse: *Terra es, et in terram ibis?* Neque enim *secundum animam*; sed, quod manifestum est, *secundum corpus* terra erat, et morte ejusdem corporis erat iturus in terram." Apostolicam urget Capite IV. sententiam, quae habetur ad Romanos Capite VIII. v. 10. *Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem.* His verbis hanc appingit ille animadversionem: „Puto, quod non expositore, sed tantum lectore opus habet tam clara, et aperta sententia. *Corpus,* inquit, *mortuum est,* non propter fragilitatem terrenam, quia de terrae pulvere factum est; sed *propter peccatum.* Quid amplius quaeritur?" Profert etiam Capite VIII. alia Apostoli verba ad Romanos Capite V. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Addit illa Epistolae I. ad Corinth. Capite XV. v. 21. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum: sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Consule, quae adnotavimus Capite XVII. num. III.

Vano conatu quispiam opponeret, serpenti in poenam datum esse *gradi super pectus*, quod attamen naturalis erat ejus conditio: ac pari modo, *mortalitatem* quae innocentis hominis corpus afficiebat, deputari post peccatum potuisse in poenam. Reponi plura possunt. 1. Luculentiora esse divina testimonia, quae mortem comminantur, ac mortem inflictam exprimunt. 2. Alia esse testimonia, quae docent, minime a Deo factam mortem: cujusmodi nulla sunt, quae aliter graditurum serpentem indicent. 3. Primum hominem ita fieri potuisse, ut posset non mori; serpentis vero corpus ita comparatum, ut repere debeat. 4. Grande peccatum peccasse Adamum cum reatu poenae: neque culpae, neque verae poenae capacem esse serpentem, tametsi veluti instrumentum adsumptum fuerit a Daemone seducente. 5. Maledictum, et aliquo modo punitum fuisse serpentem, ut magis divina constaret indignatio contra hominem peccantem. 6. Interim id effectum, ut homines in serpente pro infamia habeant, ipsum gradi super pectus: ipsique integrum non sit prodire, et libere obrepere, quin illum persequatur homo, feriat, occidat. 7. Maledictionis denique in serpentem latae effectus, symbolice, cadere omnes in Daemonem, qui eodem tamquam instrumento ad seducendum usus est. Sacros interpretes vide.

Scripturis ergo agebat contra Pelagianos Augustinus, queis in hominis conditione talem ostendebat fuisse *divinam providentiam*, ut

homo *actu immortalis* foret, et *potestate mortalis*, si peccasset. Inde securus colligebat, homini qui peccavit, in poenam inflictam esse mortalitatem, seu necessitatem moriendi, ac ipsam mortem. Agnoscebat, mortalitatem, veluti naturalem naturae humanae conditionem: Scripturarum auctoritate ductus addebat, eamdem mortalitatem beneficio Conditoris impeditam fuisse, quominus in actum prodiret: hinc inferebat, mortem in hocce statu non *lege naturae dumtaxat*, sed maxime *peccati merito* contingere. Pari modo Sauli, libera Dei voluntate in Regem adsumpto, poena fuit regia potestate privari: idemque dici de summo Sacerdotio, Heli posteris adempto.

III. Satis modo patet, quaenam vis Augustinianae insit argumentationi. Principio nititur, quod non est per sese clarum, ac indiget probatione: et quamquam juxta *leges providentiae praesentis*, quas conjectat nativum lumen, certasque facit Scripturarum auctoritas, verum est; potuit in *alia hypothesi* non esse verum.

Non aliam fuisse Augustini mentem, scripta ejus invicem comparata patefaciunt. In Epistola CLXVI. alias XXVIII. quam anno 415 dedit ad Hieronymum verno tempore, ut adnotant Ascetae Sammauraei Editores, haec habet num. 16. „Sed cum *ad poenas ventum est parvulorum*, magis mihi crede *coarctor angustiis:* nec quid respondeam, prorsus invenio. Non solum eas poenas dico, quas habet post hanc vitam *damnatio*, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine christianae gratiae Sacramento; sed eas ipsas, quae *in hac vita*, dolentibus nobis, versantur ante oculos.... Languescunt aegritudinibus, torquentur doloribus, fame et siti cruciantur, debilitantur membris, privantur sensibus.... Demonstrandum est utique, quomodo ista sine ulla sua mala causa *juste* patiantur. Non enim dici fas est, aut ista ignorante Deo fieri, aut eum non posse resistere facientibus, aut injuste ista vel facere, vel permittere.... Quid respondeamus, edissere; si *poenis tantis* nulla in eis sunt punienda *peccata*.“ Ait rursum num. 18. „Ego quidem non de ingeniis, sed saltem de *poenis parvulorum*, quas in hac vita patiuntur, dixi aliquid in Libris de libero arbitrio: quod quale sit, et cur mihi in *ista* quam habemus in manibus *quaestione* non sufficiat intimabo.“

Locum prolixum affert, depromptum ex Libro III. de libero arbitrio Cap. XXIII. num. 68. „*De cruciatibus autem corporis*, quibus affliguntur *parvuli*, quorum per aetatem nulla peccata sunt; si animae, quibus animantur, non prius, quam ipsi homines, esse coeperunt (quemadmodum jam pro comperto habetur); major querela, et quasi misericors, deponi solet cum dicitur: *Quid mali fecerunt, ut ista paterentur?* Quasi possit esse *meritum innocentiae*, antequam quisque nocere aliquid possit. Cum autem boni aliquid operatur Deus *in emendatione majorum*, cum *parvulorum* suorum, qui eis cari sunt, *doloribus, ac mortibus* flagellantur; cur ista non fiant, quando cum transierint, pro non factis erunt, in quibus facta sunt; propter quos autem facta sunt, aut meliores erunt, si temporalibus incommodis emendati rectius elegerint vivere: aut excusationem in futuri judicii supplicio non habebunt, si vitae hujus angoribus ad aeternam vitam desiderium convertere noluerint? *Quis autem novit, quid par-*

vulis, de quorum cruciatibus duritia majorum contunditur, aut exercetur fides, aut misericordia probatur: *quis novit*, *quod ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?* Quoniam quamquam nihil recte fecerint, tamen nec peccantes aliquid, ista perpessi sunt. Non enim frustra etiam infantes illos, qui, cum Dominus noster Jesus Christus necandus ab Herode quaereretur, occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia."

Post haec relata verba pergit Augustinus in Epistola ad Hieronymum disserere num. 19. *Haec tunc dixi cum hanc ipsam, de qua nunc agitur, vellem communire sententiam.* Quidpiam vero corrigendum esse admonet: emendatumque vult, quod ibi dixerat *de compensatione in secreto judiciorum Dei parvulis reservata.* Vera ejus sunt: „Sed hoc non immerito dici video de his, qui vel *pro Christi nomine*, ac vera religione tale aliquid etiam nescientes patiuntur: vel *Sacramento Christi* jam imbuti sunt, quia sine societate unius Mediatoris liberari a damnatione non possunt; ut possit eis etiam pro illis malis, quae hic in diversis afflictionibus pertulerunt, *compensatio* ista praestari. Nunc autem cum *ista quaestio* non possit absolvi, nisi etiam de *his parvulis* respondeatur, qui post gravissimos cruciatus *sine Sacramento Christianae Societatis* expirant; quae circa eos *compensatio* cogitanda est, quibus insuper et damnatio praeparata est?" Haec ille.

Quae colligi inde possunt animadversione dignissima, jam exhibeo. *Unius Dei boni* justitiam, in cujus reprehensionem mala advocabant hujus vitae *Manichaei*, vindicat ille Libro III. de libero arbitrio citato, quem scripserat, et absolvit anno 395. De *morte*, et *aerumnis* maxime *parvulorum* agit Cap. XXIII. ubi Manichaeorum argumentum, ex eorumdem afflictationibus desumptum, duplici elevare nititur responso. Primum est, quod negat tale in parvulis, *antequam nocere aliquid possunt*, seu ante rationis usum, *innocentiae meritum*, ut corporis aerumnis eximi debuerint. Alterum est, quod *compensationem in secreto judiciorum Dei parvulis fortasse reservandam* proponit. Alterum istud responsum, seu *compensationem parvulis fortasse reservandam*, revocat in Epistola ad Hieronymum anno 415 data: de responso priore verbum ne ullum quidem habes. At istud *statui naturae purae*, quem possibilem admittimus, accomodari posse, quis non videat? Hominis quippe *innocentis*, idest sine peccato conditi, *meritum* non agnoscitur, propter quod malis, et aerumnis, et morte carere debeat. Hinc *naturae humanae*, in sua prima conditione sine peccato, *debitam* non esse *immortalitatem* constat. Id vero perinde est, ac necessitatem moriendi fateri *naturalem conditionem corporis animalis*, eique datam immortalitatem *beneficio Conditoris*, ut ait Augustinus de Genesi ad litteram loco superius descripto num. III.

Praeterea anno 412 ediderat Augustinus Libros adversus Caelestium et Pelagium *de peccatorum meritis, et remissione:* ac primo in Libro Cap. II. et insequentibus lato sermone ostendit, *mortem corporis* inflictam homini *in poenam* a Deo fuisse *peccati merito*: et Cap. XXXV. usque ad XXXVIII. ex eadem morte, aliisque ex aerumnis *maxime parvulorum*, et animi vitiis, meritum colligit

peccati originalis, tamquam *ex poena*. Nihilominus in Epistola ad Hieronymum postmodum data anno 415 anxius quaerit, postulatque a Sanctissimo Viro edoceri: quid revera de *parvulorum afflictionibus* sentiendum sit? Colligitur sane, consilium Augustini in hac adversum Pelagianos quaestione minime fuisse, ut *possibiles* naturae humanae *hypotheses* versaret. Facto inhaeret: atque num tot aerumnas *sine ulla sua mala causa patiantur parvuli*, investigat. In *malam* utique *causam*, quae non alia in parvulis, nisi *peccatum originale* locum habet, aerumnas illas refundit: quod est indicio, Augustinianam argumentationem *legibus* niti *divinae providentiae praesentis*, quam sacrae Scripturae superius allatae manifestant.

Hinc omni deposita haesitatione in Libris, quos extremis vitae annis contra Julianum scripsit, parvulorum afflictiones, ceterasque humanae vitae miserias, *tamquam poenas* respicit: indeque *originalem culpam* in Adae posteris exstare ostendit. Aliqui textus allati sunt. Alios accipe nonnullos. Libro I. Operis imperfecti num. 39. sic ait: *Miseriam in parvulis si nullam esse dicitis, misericordiam praebendam negatis. Si ullam esse dicitis, malum meritum ostenditis. Neque enim sub Deo justo miser esse quispiam, nisi mereatur, potest.* Et num. 49. *Si tibi placet innocentia parvulorum, remove ab eis, si potes, grave jugum quod est super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum. Sed puto, quod Scriptura quae hoc dixit, melius te noverat, quid esset innocentia creaturae, et quid justitia Creatoris. Quis autem non videat, si habeant parvuli qualem praedicas innocentiam, in gravi jugo eorum Dei non esse justitiam? Porro quia in jugo gravi eorum divina justitia est, non est in eis talis, qualem praedicas, innocentia.* Et Libro III. num. 48. *Quomodo justum ostendatis Deum, non invenitis; si et in nascentibus nulla peccata invenit, et eos tamen corruptibili corpore, et tot tantisque insuper calamitatibus aggravat. Non enim numerari possunt mala, quae patiuntur infantes: febrem, tussim, scabiem, dolores quorumcumque membrorum, ventris fluxum, lumbricos, et alia innumerabilia ex ipsa carne existentia; et ipsarum curationum, quam morborum plura tormenta, et extrinsecus ictus vulnerum, plagas verberum, incursus Daemonum. Vos autem sapientes haeretici, ne fateamini originale peccatum, parati estis talibus floribus implere paradisum. Si enim haec ibi futura fuisse non dicitis: quaero, cur sint in parvulis nullum habentibus, ut contenditis, omnino peccatum? Si autem et ista ibi futura fuisse non erubescitis dicere; quales Christiani sitis, quid nos opus est dicere?*

Ita securus, et nihil haesitans disserit Augustinus. *Possibilem naturae humanae statum,* in quo morti, et aerumnis obnoxii nascerentur homines, minime versat ille: non adserit, non inficiatur. Factum expendit, ac legibus haeret a divina providentia statutis. Ita porro conditum hominem, ut posset non mori, ipsumque ideo posse mori, quia peccavit, tum Scripturarum revelatione evincit, tum propria ipsius Juliani confessione. *Pars prima* patet cuique, paullo attentius allata ejus testimonia ponderanti. Ad Scripturas provocat, quae grave jugum filiorum Adam proponunt: hominemque collocatum narrant in paradiso, ubi tot mala futura fuisse, nemo dixerit Christianus. *Partem*

alteram satis indicant ipsius Juliani, et sociorum verba in Epistola ad Rufum Thessalonicensem data. Ea prostant apud Augustinum Libro IV. contra duas Epistolas Pelagianorum, anno circiter 420 scripto. Refert Sanctus Pater Cap. I. Julianum, et socios *addidisse duo, quae non dixerant: idest Baptismum se dicere omnibus aetatibus necessarium: et per Adam mortem ad nos transisse, non crimina.* Quod ipsi fatebantur, statuit principii loco, indeque argumentum instruit Cap. IV. num. 6. „Sed Pelagiani quomodo dicunt (inquiens) *solam mortem ad nos transisse per Adam?* Si enim propterea morimur, quia ille mortuus est; ille autem mortuus est, quia peccavit: *poenam* dicunt *transire sine culpa*, et innocentes parvulos injusto supplicio puniri, trahendo mortem sine meritis mortis." Quod est peremtorium Augustini argumentum contra Julianum, qui primum Pelagii errorem emolliens, tandem fassus est, mortem per Adam ad nos transire, eamque Adamo peccanti in poenam inflictam esse. Consule Cap. XVII.

Animadversione digna sunt, quae verba descripsimus ex Libro III. Operis imperf. num. 48. *Si haec mala ibi* (in paradiso) *futura fuisse non dicitis; quaero, cur sint in parvulis nullum habentibus, ut contenditis, originale peccatum? Si autem et ista ibi futura fuisse non erubescitis dicere; quales Christiani sitis, quid nos opus est dicere?* His enim validissime refellit *Pelagianos*, tum qui mortem, et aerumnas censebant naturales hominis conditiones, factumque illis obnoxium Adam: tum qui per Adae peccatum intrasse mala eadem, et per Adam peccatorem ad nos transire fatebantur. Quod isti fatebantur, in argumentum adsumit, quo peccatum originale probet, quod negabant: *Si haec mala*, inquiens, *ibi futura fuisse non dicitis; quaero, cur sint in parvulis nullum habentibus, ut contenditis, originale peccatum?* Illos etiam redarguit: quia caeteroqui *Christiani dicendi non sint*, utpote Scripturarum resistentes revelationi; qua constat, hominem ita conditum fuisse, ut posset non mori, collocatumque in paradiso voluptatis. *Si autem* (inquit) *et ista ibi futura fuisse non erubescitis dicere, quales Christiani sitis, quid nos opus est dicere?*

Hanc methodum in ea, quam *contra Pelagianos* concertatio suscepta est, tenuisse *Augustinum*, ut leges *divinae praesentis providentiae* expenderet, factumque probaret hominem immortalem, adeoque mortem colligeret poenam; ipse testatur Sanctissimus Pater Libro I. Retractationum, quem anno 426 aut insequente elucubravit. Sic ait enim Cap. IX. „Quamvis *ignorantia*, et *difficultas* (par est ratio de morte, aliisque aerumnis) *essent hominis primordia naturalia;* nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus, sicut in III. Libro (de libero arbitrio) disputavimus. Quae disputatio *contra Manichaeos* habenda est, qui non accipiunt *Scripturas sanctas* veteris Testamenti, in quibus *originale peccatum* narratur .... *Contra Pelagianos* autem hoc defendendum est, quod *utraque Scriptura* commendat." Possibiles naturae humanae status in concertatione *adversum Pelagianos* non exquirit: id Scripturis factum esse evincit, ut homo posset non mori, si non peccasset; moriatur vero peccati merito. Proprias rerum creatarum conditiones expendit *contra Manichaeos:* pluraque tradit, quae *possibili purae naturae statui* favent. Loco superiore ait minime *cul-*

pandum, sed *laudandum* fore Deum, si hominem condidisset *cum ignorantia, et difficultate;* quibus adde vitae humanae miserias. Libro III. de libero arbitrio Cap. XXIII. num. 68. aut inficiatur, aut haesitat, parvulos *innocentiae merito* eximi debuisse aerumnis. Libro de Genesi ad litteram VI. Cap. XXV. diserte scribit: *mortalem* hominem fuisse *conditione corporis animalis, immortalem beneficio Conditoris.* Ait demum Libro XIII. de Civitate Dei Cap. XX. *statum* immortalitatis *praestitum de ligno vitae* homini innocenti fuisse, *mirabili Dei gratia.*

CAPUT XLIII.

Violata per peccatum prima integritate, affligi posse innocentes in hoc statu homines, docet Sanctus Thomas Aquinas. Eadem est Augustini sententia, et Sanctorum Patrum, atque Scripturarum. Hinc merito Bajanae quaedam, et Quesnellianae theses damnatae. Agitur de Virgine Deipara.

I. Originalis culpa primae integritatis ordinem laesit, quam gratuito protoparentibus largitus est supremum Numen, in ipsis absque dubio conservandam, et propagandam in posteros, si non peccassent illi. Haec eadem primae integritatis violatio dici debet prima causa, cur modo hominum, etiam innocentum, virtus afflictionibus exerceatur, et declaretur.

Rem dignissimam animadversione luculentissime illustrat S. Thomas 1. 2. Qu. LXXXVII. Art. VII. ubi inquirit: *Utrum omnis poena sit propter culpam.* Poenam omnem referri ad culpam, docet; admonet vero sapientissime, *quandoque aliquid videri poenale, quod tamen non habet simpliciter rationem poenae.* Rem ab ovo repetit, et ait: „*Poena* enim est species mali: malum autem privatio boni. Cum autem sint plura hominis bona, scilicet animae, et corporis, et exteriorum rerum; contingit interdum quod homo patiatur detrimentum in minori bono, et augeatur in majori, sicut cum patitur detrimentum pecuniae propter sanitatem corporis, vel in utroque eorum propter salutem animae, et gloriam Dei. Et tunc tale detrimentum non est *simpliciter malum hominis*, sed *secundum quid:* unde non habet simpliciter rationem *poenae*, sed *medicinae.* Nam et Medici austeras potiones propinant infirmis, ut conferant sanitatem.“ Thomae conclusio est: *Hujusmodi non proprie habere rationem poenae: nec reduci ad culpam, sicut ad causam.* Causam intellige *proximam, et directam:* nam sermo si fiat de causa *indirecta*, et *remota;* conclusionem admonet limitandam esse, propterea quod *hoc ipsum, quod oportet humanae naturae medicinas poenales adhibere*, *est ex corruptione naturae, quae est poena peccati originalis:* unde *in statu innocentiae non oportebat aliquem ad profectum virtutis inducere per poenalia exercitia.*

Egregia sunt, quae disserit Qu. V. de Malo Art. IV. „Absque omni dubio (inquit) *secundum fidem catholicam* tenendum est, quod *mors*, et omnes hujusmodi defectus praesentis vitae sunt *poena* peccati originalis.“ Duplicem distingui poenam oportere docet: *unam quasi taxatam pro peccato*, *aliam concomitantem.* Utramque declarat exemplo Judicis, qui *pro aliquo crimine facit aliquem excaecari.* Coeci-

tas enim est *poena taxata pro peccato*, quia *id intendit Judex ut peccantem visu privet*; sed alia coecitatem consequuntur incommoda, puta quod excoecatus homo *mendicet, et hujusmodi*, quae *non ponderat* Judex: *unde contingit quod si plures propter idem peccatum excoecentur, in uno consequantur plura incommoda quam in alio: quin hoc redundet in injustitiam Judicis, quia hujusmodi incommoda non erant ab eo pro peccato inflicta, sed consequebantur per accidens quantum ad ejus intentionem.* Malis, et aerumnis vitae praesentis, quae sunt culpae originalis poena, doctrinam adaptat. „Homini in primordio suae conditionis fuerat a Deo datum *quoddam auxilium originalis justitiae*, per quod *praeservabatur* ab omnibus hujusmodi defectibus. Quo quidem *auxilio privata* est tota natura humana propter peccatum primi parentis: ad cujus auxilii privationem (seu integritatis animi, et corporis ablationem) *consequuntur* diversa incommoda; quae *diversimode* inveniuntur in diversis, licet habeant *aequalem culpam originalis peccati:*" et aequalem poenam veluti taxatam subeant, originalis integritatis privationem.

In hac puniente, aut vindicante justitia maximum versatur discrimen judicem hominem inter, ac Deum. „Homo judex non potest praevidere eventus sequentes: unde nec eos potest ponderare, dum infert poenam pro culpa; ac propterea rationabiliter hujusmodi incommodorum inaequalitas ejus justitiae non derogat. Sed Deus omnes eventus futuros praenoscit: unde videtur ad ejus injustitiam pertinere, si aequaliter subjacentibus culpae inaequaliter hujusmodi incommoda provenirent." Emergentem hanc difficultatem expediebat *Origenes*, invecta animarum praeexistentia, patratisque peccatis in vita superiore. Rejecto errore, praedictam aerumnarum diversitatem in alias proximas causas refundendam docet Aquinas: „quandoque quidem *in aliqua peccata parentum.* Cum enim filius sit aliquid patris secundum corpus, quod ab eo trahit, non secundum animam, quae immediate a Deo creatur; non est inconveniens quod pro peccato patris filius corporaliter puniatur, licet non poena spirituali, quae pertinet ad animam: sicuti etiam homo punitur in aliis rebus suis. Quandoque *in remedium* propter peccatum sequens, vel *ad profectum virtutis,* aut ejus qui hoc patitur, aut alterius: sicut Dominus dicit de coeco nato (Joan. Capite IX. v. 3) *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.*" Quae cum verissima sint; illud etiam pro certo compertoque haberi debet: *Hoc ipsum, quod homo talis conditionis est, ut ei subveniatur vel ad vitandum peccatum, vel ad profectum virtutis, per hujusmodi incommoda, sive defectus, ad infirmitatem naturae humanae pertinere, quae ex peccato primi parentis derivatur.*

Thomae documenta, compendio collecta, haec sunt. 1. Non oportebat *in statu innocentiae* hominem afflictionibus exerceri, aut eis declarari virtutem hominis. Corporis integritas data fuerat homini primo, ac danda fuisset posteris, innocentiae statu perdurante. Praeceptum aderat a Deo latum, ut in ea perseverarent homines: promissaque fuit conservatio non peccantibus. Itaque non poterat juxta *hujus providentiae leges*, sine injustitia invito rapi integritas: nec miseria, qua ipsa corrumperetur, infligi poterat immerenti. 2. Violata

per peccatum integritate, eademque sibi et posteris per Adamum peccatorem amissa, nihil obstat quominus afflictionibus exerceantur *innocentes* ob eos utique fines, quos divina providentia sapientissime potest praestituere. 3. In hoc vero poenali innocentium exercitio aliquid est *poena originalis culpae*, non omne. Poena est, *quod homo sit talis conditionis, ut ei subveniatur vel ad vitandum peccatum, vel ad profectum virtutis, per hujusmodi incommoda, vel defectus.* Poena non est, quae diversitas apparet in eisdem aerumnis: *alioqui videretur ad injustitiam Dei pertinere, si aequaliter subjacentibus culpae inaequaliter provenirent hujusmodi incommoda.* 4. Hinc hujusmodi diversitatis aliae debent esse *proximae causae:* v. g. peccatum personale hominis afflicti: peccatum etiam, non filii qui affligitur, sed parentum qui puniuntur in filio: manifestatio gloriae Dei, sine ullo peccato: medicinae denique ratio, quae ad hominum salutem aeternam confert; quatenus virtus in infirmitate perficitur, et per afflictiones vitari possunt occasiones peccandi.

Quod tertio loco positum est, aliis verbis exponunt alii. *Naturae poenam* distinguunt nonnulli *ab afflictione personae.* Posse pati ad *naturae poenam* pertinet, reduciturque ad originalem culpam. Sed *afflictionum diversitas*, quae integritatis jacturam facit majorem minoremque, ad alios ordines, aliosque spectat fines. Duplicem alii afflictionum, quae modo inferuntur, causam adsignant: *remotam* scilicet, et *indirectam;* itemque *directam*, et *proximam.* Violata porro prima integritate, haud est necesse ut quaecumque irrogantur afflictiones ex peccato proficiscantur, tamquam *directa* et *proxima* causa: neque necesse est ut sibi praestituat Deus, peccatum afflictionibus ulcisci, et punire. Attamen *indirecta*, et *remota causa* manet semper originalis culpa: ex qua scilicet id provenit, ut pati possint homines, variisque exerceri afflictationibus.

Priore in loco Sancti Thomae superius descripto, animadvertenda sunt verba ejus: *poenam*, inquientis, *speciem esse mali, et malum esse privationem boni.* Ex his collige, *poenam esse privationem boni*, seu carentiam boni debiti. Posita primi hominis integritate, in posteros propagandae, si non peccasset; debitum erat hominibus ex Dei promissione, ut non paterentur. Peccavit Adam: unde posse pati est privatio boni debiti, adeoque poena. *In statu purae naturae* possent homines pati, ac paterentur; sed id non erat privatio boni debiti, sed carentia boni non debiti, quam *negationem* appellant. Consule jam dicta Capitibus superioribus.

II. Thomae Aquinatis doctrinam jam ante tradiderat *Sanctus Augustinus.* Primam, remotamque afflictionum omnium, quas patimur, causam esse *culpam originalem*, evincunt quae superiore Capite documenta ejus allata sunt. Disertissimam sententiam accipe, quae legitur Enarratione in Psalmum XXXVII. num. 5. *Non enim ... aliquid patimur in ista vita, nisi ex illa morte, quam meruimus primo peccato. Etenim portamus corpus mortale, (quod utique non esset mortale,) plenum tentationibus, plenum solicitudinibus, obnoxium doloribus corporalibus, obnoxium indigentiis, mutabile, languidum.*

Haud vero semper afflictionum, quas patiuntur homines, *proximam causam* esse peccatum, certa ejusdem Sanctissimi Doctoris mens est. Favent verba, quae habentur Libro II. de peccatorum meritis et remiss. Capite XII. *Quantus Job fuerit, ignoramus. Sed novimus justum, novimus etiam in perferendis horrendis tribulationum tentationibus magnum. Novimus, non propter peccata, sed propter ejus demonstrandam justitiam illa omnia fuisse perpessum.* Expendit Libro de perfectione justitiae hominis Capite XI. num. 26. illa Jobi verba Capite IX. v. 17. juxta versionem τῶν LXX. *Multas contritiones meas fecit sine causa.* Hanc ille notam appingit: „Non ait, *nullas fecit cum causa:* sed, *multas sine causa.* Non enim propter multa peccata ejus factae sunt ei multae contritiones; sed propter *probationem patientiae.* Nam propter peccata sine quibus, ut alibi confitetur, non fuit; pauciora se pati debuisse, judicat." Rem totam brevi sententia complectitur Libro XXI. de Civitate Dei Capite XIII. *Nos etiam in hac mortali vita esse quasdam poenas purgatorias, confitemur: non quibus affliguntur, quorum vita vel non inde fit melior, vel potius inde fit pejor; sed illis sunt purgatoriae, qui eis coerciti corriguntur. Caeterae omnes poenae, sive temporariae, sive sempiternae, sicut unusquisque divina providentia tractandus est, inferuntur pro peccatis, sive praeteritis, sive in quibus adhuc vivit ille qui plectitur: vel pro exercendis* (ad medicinam,) *declarandisque virtutibus* (ad manifestandam Dei gloriam) *per homines, et Angelos, seu bonos, seu malos.*

Eadem est *Ambrosii* doctrina. Hanc lato calamo exponit adversum Jobi amicos, qui Jobum ipsum tot ac tantas sibi comparavisse peccatis suis, quas patiebatur aerumnas, inquiebant. Ait ille Libro I. de interpellatione Job Capite IV. *Unum solatii genus est in aerumna et in amaritudine constitutis, culpa vacare: ut ea quae perpetiuntur adversa, non pro delicti pretio sustinere videantur. Hoc quoque sancto viro adimere gestiebant, ut videretur ipse suae auctor aerumnae: qui peccatis gravibus Domini contraxisset offensam, et pro impietatibus suis illa tolerasset.* Eadem repetit Libro III. Capite I. juxta novissimam Editionem: *Increpuerant vehementer Sanctum Job Eliphas Themanorum Rex, et Baldad Sanchaeorum Tyrannus, et Sophar Minaeorum Rex: eo quod propter peccata sua tantum supplicii sustineret. Infirmo etenim ingenio non advertebant: quod Dominus eum tentandum dedisset, ut athleta Christi tentationibus eruditus, majore ad coronam gloria perveniret. Non videntes itaque tantum sapientiae sacramentum, angusti cordis timore, ne viderentur injustitiae Deum arguere, qui poenis affici innoxium perpeteretur; in Sanctum Job poenarum merita retorquebant, dicentes: quia omnis vita impii in solicitudine &c.*

Accedit summa Scripturarum auctoritas. Perspicue narrat sacer Historiae Tobiae Scriptor Capite II. v. 12. *Tentationem* (seu coecitatem ejusdem Tobiae) *ideo permisisse Dominum evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut et Sancti Job.* Ipsum Tobiam hujusce rei certiorem fecit Raphael Angelus, comes Tobiae juniori a Deo datus: *quia acceptus eras Deo,* (inquiens Capite XII. v. 13.) *necesse fuit ut tentatio probaret te.* Magister, ipse divinus, cum rogaretur apud Joannem Capite IX. de causa, cur is qui coecus erat a

nativitate, in ea natus esset aerumna; respondit v. 3. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

III. Haec satis evincunt, jure meritoque oppositas a *Pio V.* et *Clemente XI.* damnatas fuisse insequentes theses. Septuagesimam a Quesnellio adsertam in Constitutione, Unigenitus: *Numquam Deus affligit innocentes: et afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem.* Septuagesimam secundam inter Bajanas: *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: unde Job, et Martyres quae passi sunt, propter sua peccata passi sunt.* Septuagesimam tertiam: *Nemo praeter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum; omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut et aliorum Sanctorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.* Apud alios Doctores praesto sunt alia Scripturarum, et Patrum documenta, quae theses allatas profligant.

IV. Peccatum peccasse nullum Virginem Deiparam, communis est sententia: eamque, Redemptoris gratia praeservante, originalis culpae immunem servatam fuisse, pie creditur in Ecclesia. Hinc afflictionum, quas perferunt Sancti, alia solet causa distingui: ut ex passionibus justorum, et ex passione Christi unio illa inter caput, et membra conficiatur meritorum, quam Paulus Apostolus exponit ad Colossenses Capite I. v. 24. *Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia.*

Ad hunc patientium, et afflictorum maxime ordinem spectabat *Sanctissima Virgo Maria.* Sunt equidem Christi merita infiniti valoris. Ut etiam membra patiendo, conformentur Capiti, ordinavit Altissimi providentia communionem passionum; quae propterea deesse dicuntur, donec ea fideles impleverint.

Rem explicat Augustinus enarratione in Psalmum LXI. num. 4. „Passiones Christi non in solo Christo, immo passiones Christi nonnisi in Christo. Si enim *Christum* intelligas *Caput, et corpus*, passiones Christi non in solo Christo. Si enim passiones Christi in solo Christo, immo in solo Capite; unde dicit quoddam ejus membrum, Paulus Apostolus: *ut suppleam quae desunt pressurarum Christi, in carne mea?* Si ergo in membris Christi es quicumque homo, quisquis haec nunc non audis, (sed tamen audis, si in membris Christi es;) quidquid pateris ab eis qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi. Ideo additur, quia *deerat*, mensuram *imples*, non superinfundis. Tantum pateris, quantum ex passionibus tuis inferendum erat universae passioni Christi: qui passus est in Capite nostro, et patitur in membris suis, idest in nobis ipsis. Ad *communem hanc quasi rempublicam nostram* quisque pro modulo nostro exsolvimus, quod debemus: et pro possessione virium nostrarum, quasi *canonem passionum* inferimus. Pariatoria plenaria passionum hominum (idest complementum,) non erit, nisi cum seculum finitum fuerit."

CAPUT XLIV.

Postremum, quo peccatum originis Augustinus probat, sumitur argumentum ex animi vitiis, ignorantia scilicet recti, et difficultate agendi boni, quam infert concupiscentia rebellis. Multiplex ignorantia veri proponitur. Specimen concupiscentiae, sive quae in appetitu sentiente, sive quae residet in voluntate. Animadversiones.

I. Celebre sequitur aliud, quod pro *culpa primigenia* in posteros propagata sumitur argumentum ex eo miseriarum genere, quod pertinet *ad animum:* complectiturque ignorantiam veri, rebellem concupiscentiam, indeque ortam difficultatem boni agendi. Hanc adhibet frequentissime adversum Pelagianos argumentationem *Augustinus.* Aliqua profero loca. Libro IV. contra Julianum Capite XVI. num. 83. „Ecce (inquit) circumstat sensus tuos miseria generis humani. Homo es, humani nihil abs te alienum puta: et in iis quae non pateris, compatere patientibus. Quamvis et ipse, quantalibet terrena felicitate praepollens, nullum sine bello intestino diem ducis, si tamen quod profiteris, implere conaris. Sed ... parvuli quot, et quanta mala patiuntur? In quibus vanitatibus, cruciatibus, erroribus, terroribus crescunt? Deinde jam grandes, etiam Deo servientes, *tentat error ut decipiat, tentat moeror ut sternat, tentat typhus ut extollat.* Et quis explicet omnia festinanter, quibus gravatur jugum super filios Adam? ... Quid igitur restat, nisi ut causa istorum malorum sit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut *poena primi veterisque peccati?* Sed quia nec injustus, nec impotens est Deus: restat, quod non vis, sed cogeris fateri, quod grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae in matrem omnium, non fuisset, nisi *delicti originalis meritum* praecessisset."

Luculentissima sunt, quae disserit Libro XXII. de Civitate Dei Capite XXII. „Quod ad primam originem pertinet: omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, haec ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat *horrenda quaedam profunditas ignorantiae,* ex qua omnis error existit: qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit? Quid *amor ipse tot rerum vanarum,* atque noxiarum: et ex hoc (genus omne flagitiorum)? Haec hominum sunt malorum, *ab illa tamen erroris, et perversi amoris radice* venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur. Nam quis ignorat, cum quanta *ignorantia veritatis,* quae jam in infantibus manifesta est; et cum quanta *abundantia vanae cupiditatis,* quae in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam; itaut si dimittatur vivere ut velit, et facere quidquid velit, in haec facinora et flagitia ... perveniat?" *Ignorantiam profundam veri,* qua in iis laborant homines super terram, quae debent agere; molestamque *concupiscentiam carnis,* qua volentes nolentes trahimur ad bonorum delectabilium fruitionem, expendit hoc loco Sanctus Pater: ex eisque signum, et argumentum deducit, quo omnem mortalium progeniem fuisse *damnatam* evincat. Neque solum id confici putat ex his animi vitiis,

quae maxime innotescunt in malis hominibus; verum ex illis etiam, *quos habent justi proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant, et in talium praeliorum tentationibus, periculisque versantur.* Nam etsi *aliquando concitatius, aliquando remissius; non tamen desinit caro concupiscere adversus spiritum, et spiritus adversus carnem.*

Ex idea *recti ordinis*, quam attentiore mente considerat, colligendum arbitratur Sanctissimus Pater: in unione mentis cum corpore, quam primo fecit Deus, corpus menti subjici debuisse: ac menti debitas vires esse, queis corporeos motus, ne quo nollet eorum impetu flecteretur, in sua contineret potestate. Brevi sententia rem totam proponit Libro I. de Doctrina Christiana Capite XXIV. num. 25. *Ut corpus, ejus concupiscentia edomita, sit spiritui subjugatum, naturalis ordo desiderat.* Idque factum fuisse, *prout ordo exposcebat*, in prima hominis conditione, enarrat Libro II. de peccatorum meritis et remiss. Capite XXII. „Faciebat hoc *ordo justitiae*, ut quia eorum (protoparentum) anima famulum corpus a Deo acceperat; sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum. *Hinc et nudi erant, et non confundebantur.* Animam quippe rationalem naturali verecundia nunc pudet: quod in carne, in cujus servitutem jus accepit potestatis, nescio qua infirmitate, efficere non potest ut se nolente non moveantur membra, et se volente moveantur. Quae propter hoc in quovis casto, merito appellantur *pudenda:* quod adversus dominam mentem, quasi suae sint potestatis, sicut libitum est, excitantur. Idque solum juris in his habent fraena virtutis, ut ad immundas, et illicitas corruptiones ea pervenire non sinat. Haec igitur carnis inobedientia, quae in ipso motu est, etiamsi non habere permittatur effectum, non erat in illis primis hominibus, quando *nudi erant*, et *non confundebantur.*“

II. Quae vires insint Augustinianae argumentationi ut splendidius innotescat, plura sunt doctrinae capita praemittenda: ac primo agendum *de ignorantia veri*, qua laboramus: tum *concupiscentiae notio, causae, effectus, divisio multiplex, aliaeque conditiones* diligentiore exponi opera debent. *Ad ignorantiam* quod attinet: hanc in infantibus tantam ponit sub oculos *Augustinus*, quanta ne cernitur quidem in brutis. Verba ejus sunt Libro I. de peccatorum meritis, et remiss. Capite XXXVIII. „Multorum pecorum pulli (inquientis) etiam minutissimi et currunt, et matres agnoscunt: nec sugendis uberibus cura et ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles: et nisi ope nutrientis admotis labris papillae uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt; et juxta se jacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quam sugere.“ Quaenam esset longe diversa infantium conditio in *statu innocentiae*, insequentibus Capitibus dicendum.

Ingeniorum diversitatem, quae latet in parvulis, et conspicuam se praebet in grandioribus ad fatuitatem usque, exponit in Epistola CLXVI. alias XXVIII. ad Hieronymum Capite VI. num. 17.

De ingeniorum diversitate (inquiens) *immo absurditate quid dicam? Quae quidem in parvulis latet; sed ab ipsis exordiis naturalibus ducta apparet in grandibus; quorum nonnulli tam tardi et obliviosi sunt, ut ne prima quidem discere elementa litterarum potuerint; quidam vero tantae sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos Moriones vulgo vocant.* Non ita se rem habituram in eodem *innocentiae statu*, dicemus loco citato.

Quam diversa ipsorum hominum, quos illustres fecit Philosophiae peritia, legimus in eorum operibus judicia circa veram beatitatem, summumque bonum. *Alii in animo, alii in corpore*, (verbis utor Augustini Libro XIX. de Civitate Dei Capite I. num. 1.) *alii in utroque fines bonorum posuerunt, et malorum. Ex qua tripartita velut generalium distributione sectarum, Marcus Varro in Libro de Philosophia tam multam dogmatum varietatem diligenter, et subtiliter scrutatus advertit, ut ad ducentas octoginta octo sectas... facillime perveniret.* Quis non miretur hominum ignorantiae profunditatem in ea *quaestione*, quae summi momenti est, cum *ad mores informandos* pertineat!

In hominibus ipsis, qui divinae revelationis lumine collustrati verum Deum colunt, veramque agnoscunt felicitatem, ignorantia se maxime prodit, qua inter oppositas circa bona, et mala particularia perplexi tenemur opinationes, et saepius *approbamus falsa pro veris, aut incerta pro certis habemus, vel certa pro incertis*, ut ait Africanus Doctor in Enchiridio Capite XIX. et Libro III. de libero arbitrio Capite XVIII. Legem ipsam naturalem, quae virtutum officia praescribit, ac vetat iniqua facinora, quamquam de cordibus hominum deleri non potest *in universali*, deleri tamen posse *in particulari*, adnotat, docetque Sanctus Thomas 1. 2. Qu. XCIV. Art. VI. *Secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem.* Hinc vero legis ejusdem naturalis *praecepta secundaria*, quae colliguntur ex primis, minus nota fiunt *vel propter malas persuasiones, vel etiam propter consuetudines, et habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam.* Sed hanc demum ignorantiam, cujus tenebris longe lateque in hoc mortali corpore obvolvimur, nihil baesitans passim pronuntiat Augustinus, *non esse naturam instituti hominis, sed damnati.* Plura dabimus infra.

III. *Concupiscentia* sequitur, quae diligentiorem exposcit operam. Hoc loco specimen ejus affero. Bellarmini verbis utor, quae habentur Tomo IV. Libro V. de amissione gratiae, et statu peccati Capite XV. „Sciendum primo, *concupiscentiam* non semper eodem modo sumi in Scripturis. Interdum enim significat *appetitum boni in universum:* qua notione multae *bonae concupiscentiae* inveniuntur, ut Sanctus Augustinus monet Concione (seu Sermone) VIII. in Psalmum CXVIII. num. 3. Nam *concupiscentia sapientiae*, bona, et laudabilis est: quippe quae, ut dicitur Sapientiae VI. 21. *deducit ad regnum.* Bona est item concupiscentia, qua *Spiritus adversus carnem concupiscit*, de qua loquitur Apostolus ad Galatas V. 17. Recte quoque concupiscebat, qui dicebat in Psalmo CXVIII. 20. *Concupivi desi-*

derare justificationes tuas." Hujusmodi concupiscentias intellige liberos bonos voluntatis amores bonorum spiritualium.

„Rursus *concupiscentia* aliquando significat *actum*, aliquando *potentiam.* Nam et concupiscentiam dicimus *desiderii motum*, et ipsam *potentiam*, seu *vim appetendi bona sensibilia.* Et hoc modo concupiscentia (sumpta pro vi appetendi) non est mala; sed bona, vel indifferens. Nam per eamdem vim appetendi possumus et bene, et male concupiscere: et sine dubio vis appetendi bona sensibilia fuit *in Christo*, et in *primo homine* ante peccatum, et rursus in nobis *post resurrectionem* erit. Sanctus Augustinus fatetur Libro IV. contra Julianum, (et alibi frequentius,) non ita accipiendam esse concupiscentiam, cum agitur *de peccato originis."* Motus, et actus potentiae appetentis, dirigente ratione, ac voluntate movente, sunt liberi; ac boni, et mali pro conditione finis praestituti.

„Est igitur *alia notio concupiscentiae:* qua concupiscentiam appellamus *vitium*, quo proni sunt homines ad appetenda bona sensibilia *contra ordinem rationis.* Hoc modo accipitur *concupiscentia* passim ab Augustino in Libris adversus Pelagianos. Scribit Libro II. in Julianum (Cap. IV. num. 9.) concupiscentiam *non esse substantiam*, sed *substantiae vitium.* Et Libro VI. (Cap. XVIII. num. 55.): *Ego tamquam valetudinem malam ex origine vitiata, ingenitum esse homini dico vitium, quo caro concupiscit adversus spiritum.* Et Libro I. de nuptiis, et concupiscent. Cap. XXV. *Non enim* (concupiscentia) *substantialiter manet; sicut aliquod corpus, aut spiritus: sed affectio est quaedam malae qualitatis, sicut languor.* Et Cap. XXXI. *Carnem autem nunc appellavit* (Apostolus), *ubi est morbidus quidam carnis effectus; non ipsam corporis conformationem."* Concupiscentia hocce modo accepta duplex est, *habitualis*, et *actualis.* Haec vero consistit in motibus indeliberatis, qui insurgunt, mentis deliberationem praevenientes, nosque etiam invitos pertrahentes ad malum; illa nihil aliud est, quam pronitas quaedam inferius lato calamo explicanda, ex qua praedicti motus indeliberati sobolescunt.

„Sciendum est secundo; illud *vitium in carne potissimum residere*, hoc est in parte hominis inferiore, quae *sensualitas* dicitur (et appetitus sentiens). Sic Apostolus Romanor. VII. concupiscentiam dicit, esse *malum inhabitans in carne:* et *repugnare legi mentis.* Quocirca Sanctus Augustinus in omnibus Libris, quos contra Pelagianos scripsit, semper de *concupiscentia* loquens, ad *vitium partis inferioris* recurrit. Libro I. de peccatorum meritis et remiss. Cap. XXIX. *Quod igitur*, inquit, *in membris corporis mortis hujus inobedienter movetur, totumque animum in se dejectum conatur adtrahere, et neque cum mens voluerit assurgit, neque cum mens voluerit conquiescit: hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo.* Et Libro VI. Cap. XIX. num. 62. *Huic chirographo nascuntur obnoxii omnes, in carne carnaliter nati ... Neque enim nulla est iniquitas, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur.* Denique in omnibus Libris contra Pelagianos directe scriptis, cum in singulis fere Capitibus *concupiscentiam* saepius nominet, semper fere pro *vitio*

partis inferioris, quae rebellis est parti superiori, *concupiscentiae* nomen accipit."

„Caeterum negandum non est, etiam *in parte superiore simile vitium inveniri.* Nam ea quoque animae pars prona est ad *concupiscendos honores*, *inanem gloriam*, et alias vanitates: et etiamsi nolimus, interdum parit cujusmodi desideria (indeliberata). Quoccirca Beatus Paulus in Epistola ad Galatas Cap. V. cum dixisset, *carnem concupiscere adversus spiritum*; statim enumerans *opera carnis*, non solum nominavit *fornicationem*, *ebrietatem*, et alia id genus; sed etiam *idololatriam*, *haereses*, *inimicitias* &c. Quod diligenter notavit Sanctus Augustinus Libro XIV. de Civitate Dei Cap. II. III. et IV. ubi demonstrat: *carnem* interdum accipi pro *toto homine*, qualis est sine gratia Dei post lapsum Adami: et eum dici *carnalem*, qui *secundum seipsum*, *non secundum Deum vivit*.... Itaque *concupiscentiae vitium*, licet praecipue in *sensualitate*, tamen etiam in *mente* sedem habet. Sanctus autem Augustinus in Libris contra Pelagianos ideo pene ubique loquitur de *vitio sensualitatis*, quia in sensualitate magis hoc vitium se prodit: non quod ignoraret, etiam in mente locum habere."

III. Ejuscemodi *concupiscentiae* motus, qui in carne, seu *appetitu sentiente* excitantur, *rationem praevenientes*, adeoque *indeliberatos*, vocare solent Scholastici Doctores *motus primo-primos:* eosque malitia, quae *formalis* appellatur, immunes esse docent. Rem declarant diligentissime Theologi Carmelitae Discalceati Collegii Salmanticensis Tomo IV. de vitiis et peccatis Tract. XIII. Disput. X. Dubio III. Eodem in loco Quaestionem movent §. III. num. 135. *An sicut in appetitu sensitivo dantur motus primo primi, in quibus nulla est malitia, neque libertas; ita etiam in voluntate: vel potius omnes voluntatis actus, quantumcumque subiti, habeant libertatem sufficientem?* Ipsorum sententia haec est: „Licet non defuerit ex gravioribus Divi Thomae discipulis, qui *hoc posterius* pro viribus defenderit; *primum* tamen est communiter receptum... Constat enim posse intellectum ita *subito rapi* circa aliquod objectum, ut pro brevi duratione solum in eo (objecto) advertat rationem *boni physici*, quae nata est voluntatem ad se trahere sine ulla indifferentia ... Tunc autem voluntas, non cum indifferentia ad utrumlibet, sed cum omnimoda determinatione ad unum, proindeque necessario, objectum illud prosequetur." Haec *subita intellectus judicia* saepius ab Aquinate vocantur *judicia* quaedam *absoluta*, quae in eodem intellectu insurgunt sine ulla *collatione*, *aut deliberatione rationis:* indeque proportionati excitantur in voluntate actus, *indeliberati* scilicet, ac *necessarii*. In hisce vero actibus consistit vitiosa *concupiscentia actualis*, quae post peccatum originis invenitur in mente, versaturque circa objecta spiritualia, ac etiam aliquando sensibilia.

Utilem, ac necessariam animadversionem subjiciunt laudati Theologi ibidem: „*Motus voluntatis* non posse a malitia excusari ex tot capitibus, sicut *motus appetitus sensitivi*. Quia (inquiunt) neque *corporalis dispositio*, neque *Daemonis suggestio*, neque *alia causa extrinseca*; sed dumtaxat *imperfectio*, et *ligamen* judicii intellectus potest voluntatem *immediate* necessitare... Diximus, *immediate*, quia multae

sunt causae, quae *mediate* concurrere possunt ad necessitandam voluntatem: quatenus concurrunt ad hoc, ut judicium rationis sit imperfectum, et ligatum; ut laesio imaginationis, passio appetitus, Daemonis suggestio, et hujusmodi." Hanc judicii sive *imperfectionem*, sive *ligamen*, duplici modo Sanctus Thomas explanat 1. 2. Qu. LXXVI. Art. I. ipsumque judicium vocat *absolutum* in III. Distinct. XVII. Qu. I. Art. II. Quaest. I. idest sine ulla rationis collatione, aut deliberatione efformatum. Pro data occasione hac de re saepius infra agendum erit.

Alia est Theologorum, quos laudavimus, animadversio quae praeteriri non potest: *Processum concupiscentiae* (de qua agimus) *semper habere initium ex appetitu sensitivo, indeque originari* (aut primam, remotamque originem ducere), ut ajunt Tractatu citato Disputat. XVI. Dubio IV. §. 3. num. 93. itemque *originem concupiscentiae* (ut addunt num. 94.) *esse ex inferiori, et materiali appetitu: et ideo concupiscentia potentias superiores tangi, quatenus illi approximantur, et ad ipsum deflectunt.* „Neque obest (inquiunt), si dicas: praedictas potentias (per sese) esse defectibiles: ergo adhuc prout sic subsunt concupiscentiae deordinationi. Respondetur enim *negando consequentiam:* quia non omnis defectibilitas spiritualis pertinet ad *concupiscentiam;* sed illa dumtaxat, quae *appetitum sensitivum* concernit, quia vel *ex illo* est (sive immediate, sive remote) vel *in ordine ad illum.* Unde in *Angelis* ante confirmationem in gratia, et in *Adamo* ante amissionem justitiae originalis, voluntas erat *defectibilis,* et deficit de facto; nec tamen ullam *concupiscentiae* infectionem habebat."

Salmanticensium doctrinam confirmare videtur Thomas insigni loco, qui habetur in Commentario Epistolae ad Galatas Lectione V. in Caput V. „Dubitatur de hoc (inquiens) quod *Apostolus hic quaedam ponit, quae non pertinent ad carnem, quae tamen dicit esse opera carnis, sicut idolorum servitus, sectae, aemulationes, et hujusmodi.* Respondeo. Dicendum est secundum *Augustinum* (Libro XV. de Civitate Dei), quod *secundum carnem vivit, quicumque vivit secundum seipsum.* Quidquid ergo provenit ex inordinato amore sui, dicitur opus carnis. Vel dicendum est, quod aliquod *peccatum* potest dici *carnale* dupliciter. Scilicet, *quantum ad consummationem:* et sic dicuntur carnalia illa tantum, quae consummantur in delectatione carnis, scilicet luxuria, et gula, &c. Et *quantum ad radicem:* et sic omnia peccata dicuntur carnalia, inquantum ex corruptione carnis anima aggravatur, ut dicitur *Sapientiae IX.* ex quo intellectus debilitatus facilius decipi potest, et impeditur a sua perfecta operatione. Unde ex hoc sequuntur vitia, scilicet *haereses, sectae, et alia hujusmodi:* et hoc modo dicitur, quod *fomes est principium omnium peccatorum.*" Jam vero hoc *vitiosae concupiscentiae*, quod exhibuimus, breve specimen, uberiore sermone dilatandum est: satisque fuerit *carnis concupiscentiam* diligentissime exponere, ut ejus expositione splendidius etiam innotescat, quae residet in mente.

CAPUT XLV.

Quid sit sentiens appetitus: passiones ejus, aut motus, affectusque. Hi boni sunt, vel mali, ratione dirigente, ac movente voluntate, pro conditione finis praestituti. Aliqua inter appetitum sentientem distinctio, et sensualitatem. In motibus sentientis appetitus consistit concupiscentia actualis, rationem praevenientibus, eique reluctantibus, trahentibusque ad malum. Augustini doctrina: auctoritas Apostoli Pauli.

I. Antequam *vitium concupiscentiae* diligentiore opera expono, brevi compendio colligenda sunt varia Philosophorum documenta de *intellectu* et *voluntate*, deque *imaginatione* et *appetitu sentiente*. Sunt *intellectus*, et *voluntas* duae mentis facultates, quae insunt animo aut conjuncto cum corpore, aut sejuncto ab eodem. Utriusque objecta sunt *spiritualia*, ac etiam *sensibilia universalia*, itemque *singularia*. In statu unionis non ita facultates illas intelligere oportet, acsi intellectus cognoscat, ac velit voluntas, nullo comite saltem remote motu corporis, vel sine ulla conversione ad phantasmata, et sanguinis aut spirituum agitatione. Lex immo naturae est, ut posita mentis unione cum corpore, sese mutuo excitent mentis, et corporis motus: ipsaque *spiritualia* quae intellectus cognoscit, ac amat voluntas objecta, comitem frequentius habeant tum operationem imaginationis, tum proportionatos corporeos motus; eademque cognoscantur per comparationem ad sensibilia. Vide Caput XXXII. num. II. et num. IV.

Differunt intellectus, et voluntas ab *imaginatione*, seu *phantasia*, et *appetitu sentiente:* tum primo quod posteriores istae facultates versantur circa *sensibilia singularia tantum*, illae vero attingunt etiam *sensibilia abstracta*, ac *pure spiritualia:* tum praeterea quod *imaginatio*, et *appetitus sentiens* in actus prodeunt, quos veluti *immediate excitant* sensationes, motusque corporis et organorum, ac objectorum quae exteriora sunt impressiones: quae omnia *mediate*, ac *remotius* habent sese ad actus intellectus, et voluntatis. Qua in re vetus, ac recens Philosophia conciliari aliquo modo possunt. Consule Caput superius laudatum.

Itaque *imaginatio*, seu *phantasia* est, cum aliquid percipimus data occasione *sensationis*, quam motu suo in organa impresso excitat sensibile exterius objectum: sive etiam data occasione *agitationis vestigiorum*, quae prius ab exteriori objecto impressa fuerint in cerebro. *Appetitus sentiens* est, cum aliquid appetimus, aut versamur, quod in sensatione et in objectis sensibilibus singularibus gratum aut ingratum, conveniens aut inconveniens percipimus. Omnino sejunctas a mente, sive ab intellectu, et a voluntate, existimant aliqui praedictas facultates; *mentis* vero *affectiones* censent alii tum *sensationes*, tum *imaginationes*, ac *appetitiones* pro diverso, quem indicavimus, cognoscendi et volendi modo. In hac vero, quam exposuimus, *perceptione*, et *appetitione* sensibilium pro data corporeorum motuum occasione, diversisque in modis queis ipsae contingunt, positi sunt *affectus animi*, qui *Passiones* appellantur.

Undecim eas numerat Schola Peripateticorum: *Amorem*, et *Odium* *Desiderium*, et *Fugam: Gaudium* et *Tristitiam: Spem*, et *Desperationem:*

Audaciam, et *Timorem*, et *Iram*. Alias distinguunt Philosophi recentes, quas vocant *simplices*; aliasque *compositas*. Sunt illae *Amor*, et *Aversio*: ex his veluti compositae procedunt *Cupiditas* aut *Desiderium*, *Delectatio* seu *Gaudium*, et *Tristitia*: atque ex his demum oriuntur aliae. Ad unum *Amorem* reduci passiones omnes posse, etiam *Aversionem*, vel *Odium*, aliorum opinio est: quatenus amando rem quampiam, quam alteri cognoscimus oppositam, hanc odisse, et illam amare dicimur: unde inimicum odit, qui seipsum veluti contrarium illi amat; amatque, seu vult vindictam, quae adversatur eidem. Libeat cuique pro genio haec intelligere: satisque fuerit adnotare, *Amorem*, et *Aversionem* varia subire nomina juxta varias objectorum, circa quae versantur, conditiones. *Amor* dicitur, quo bonum absolute consideratum appetimus: *Desiderium*, aut *Cupiditas*, cum nondum habetur: *Voluptas*, *Delectatio*, et *Gaudium*, cum possidetur. *Aversio*, aut *Odium* respicit malum absolute sumptum: *Fuga*, cum idem imminet: *Tristitia*, cum praesens est. His demum componi videntur *Spes*, et *Desperatio*, *Audacia*, et *Timor*, atque *Ira*, pro vario modo tendendi in objecta sive bona, sive mala; proque varia arduitate, quae boni consecutioni inest, aut vitationi mali.

In his animi *passionibus*, praeter perceptionem, et amorem, vel aversionem, quibus ipse animus afficitur, occurrunt in corpore proportionati motus, proportionataeque agitationes, quibus in eo situ et partium dispositione corpus collocatur, quam postulant affectus animi. In *amore* v. g. pulsus aequabilis est sed solito intensior, et robustior: ac dulcis in pectore sentitur calor. In *odio* pulsus inaequalis, ac debilis: calor etiam, quo lancinatur pectus, asper, et pungens, et cuidam immixtus frigori. In *cupiditate*, seu *desiderio* suppeditatur cerebro abundantior spirituum copia, qui acutiores reddunt sensus, et corporis partes ad motum habiliores efficiunt, promptioresque; ita ut animus *cupiditate* affectus, in rem desideratam veluti niti videatur, ac moveri. Dilatantur in *gaudio* cordis ventriculi, celerius per pulmones traducitur sanguis, et ad extremas corporis partes calor benignus fertur: quo roseus nitet in ore color, splendent oculi, ac omnia quiescunt. Contrario modo se res habet in *fuga*, et *tristitia*. In *spe* magnus ad cor tendit spirituum commeatus, pulsus evadit crebrior, et sanguinis motus concitatior est. Contunditur insuper in *audacia* pectus, collum inflatur, erigitur caput, micant oculi, tumet facies, vox altius sonat: totumque corpus veluti ad pugnam disponitur. E contra demum in *desperatione*, et *timore* pauciores ad cor veniunt spiritus, lentius movetur sanguis, nec tanta vi ad caput effertur: unde pallent genae, vox tremula est, intercisa respiratio, caputque et artus omni vigore destituuntur, ac fere collabascunt. Alios animi affectus, qui ad praedictos redigi possunt, aut ex eis quodammodo coalescunt, pergit declarare, experientia duce, Renatus Des-Cartes in Tractatu de Passionibus animi. Sunt nempe *Generositas*, *Humilitas*, *Zelotypia*, *Aemulatio*, *Pusillanimitas*, *Invidia*, *Commiseratio*, *Gloria*, *Pudor*, *Impudentia*, aliaeque similes affectiones. Sunt vero una ex parte variae ac diversae *perceptiones* aut *opiniones* de bono et malo, ac boni *amores*, et *cupiditates*, ac *aversiones* mali et *tristitiae*: sunt etiam ex alia parte agitationes in corpore, quae hisce affectionibus

quodammodo conveniunt. Haec omnia nobis fuerant indicanda, ut gravissima Theologica doctrina, eaque ab Augustino et Aquinate tradita, una eademque vindicetur, quin varia Philosophorum placita offensionem ullam, aut ullum detrimentum inferant.

II. An *boni*, an *mali* dicendi sint hujusmodi affectus, magna olim fuit *Stoicos* inter, et *Peripateticos* contentio. Malos omnes, et rationi adversos, videntur illi existimasse: idque munus ac officium hominis perfecti, atque sapientis esse censebant, ut eosdem *radicitus* extirparet, ac integram *ἀπάθειαν*, *impassibilitatem* obtineret. Non *extirpari passiones*, sed regi debere ratione, opinabantur Peripatetici: moderatasque *in bonis* esse habendas ajebant, *in malis* effrenes. Hanc passionum moderationem docet Religio christiana: quae tum obtinetur, cum *rationi rectae*, et *amori honesto* subjiciuntur, ejusdemque rationis et amoris imperio intra debitos fines continentur. Hinc *Passiones*, cum rationi obediunt, variarum subeunt nomina *virtutum*, quae *Morales* appellantur: quas etiam sentienti appetitui quodammodo inesse, doctrina est *Thomae Aquinatis*, quam diligentiore cura exponunt ejus Discipuli. Quod si eaedem *Passiones* ratione errante regantur, pravosque consequantur voluntatis amores, *vitia* dicuntur, ac sunt.

At si *virtutes* evadere queant passiones, ac etiam *vitia*; an *liberi* dicendi fuerint *passionum actus*, boni, vel mali? Intimam appetitui sentienti, sibique propriam inficiatur communis et Philosophorum, et Theologorum sententia, libertatem convenire. Res enim perspicue patet, si de comite motu corporis, ac spirituum agitatione sermo fiat: idemque dici debet de ipsa *animi aut appetitus affectione*, quam data motuum corporis occasione necessario excitari, et insurgere, lege naturae in hocce statu unionis constitutum est. Satis fuerit hoc loco animadvertere, sentientis appetitus passiones denominari liberas a *libero voluntatis amore*, quo ipsae reguntur ac imperantur, sive bono, sive malo. Alia est minime praetereunda animadversio, quae *passionum animi* discrimen patefacit ab *actionibus purae voluntatis*, quae similes illis videri possunt. Luculentissima affero verba Aquinatis Qu. XXV. de Veritate Art. III. „*Appetitus superior* (seu voluntas) habet aliquos actus similes *inferiori appetitui*, (sentienti,) sed *absque omni* passione. Et sic operationes superioris appetitus sortiuntur interdum nomina passionum. Sicut *voluntas vindictae* dicitur *ira*, et *quietatio voluntatis super aliquo diligibili* dicitur *amor*. Et eadem ratione *ipsa voluntas*, quae hos actus producit, dicitur interdum *irascibilis, et concupiscibilis*, (quae sunt duo sentientis appetitus munera,) *non tamen proprie*.“

III. Hanc animi nostri partem hactenus expositam frequentius *appetitum sensitivum*, non raro etiam *sensualitatem* vocat Sanctus Thomas. Ait enim I. P. Qu. LXXXI. Art. I. *Nomen sensualitatis sumptum videtur a sensuali motu .... Motus autem sensualis est appetitus apprehensionem sensitivam consequens .... Et sic sensualitas est nomen appetitus sensitivi*. Paria docet 1. 2. Qu. LXXIV. ubi inquirit Art. III. *utrum in sensualitate possit esse peccatum:* et Art. IV. *utrum in sensualitate possit esse peccatum mortale*. Dignissima sunt animadversione, quae loco proxime citato docet: pertinentque ad virtutes, et vitia,

quae sentienti appetitui inesse dicuntur, ut superius adnotabamus. Sic ait ad 1. *Actus sensualitatis potest concurrere ad peccatum mortale; sed tamen actus peccati mortalis non habet quod sit peccatum mortale ex eo, quod est sensualitatis*, (utpote quae sufficiente careat libertate,) *sed ex eo quod est rationis, cujus est ordinare in finem*, (ac regere libertatem voluntatis.) Ait etiam ad 2. *Actus virtutis non perficitur per id, quod est sensualitatis*, (ob libertatis in ea defectum,) *sed magis per id, quod est rationis, et voluntatis, cujus est eligere.* Eadem tradit Qu. XXV. de Veritate, et III. P. Qu. XVIII. Art. II. ubi a Filio Dei adsumpta cum natura humana docet ea, *quae pertinent ad perfectionem naturae animalis, inter quae est appetitus sensitivus, qui sensualitas dicitur.* Haec sensualitas, hoc modo accepta, inerat homini innocenti, ac Jesu Christo, *omnino* sana, virtutibus ornata, et rationis bonique honesti imperio subjecta. In hominibus modo, qui *virtutem excolunt*, eadem non dicitur *sana*, sed *sanata:* neque tamen perfectam sanitatem comparare in hac vita mortali valet homo, nec sperare. E contra *perversi homines* partem eamdem vitiis depravant. Uno verbo, eadem *sensualitas* pro vario liberae voluntatis amore, quo regitur, aut bono, aut perverso, vel *sanatur*, ornaturque virtutibus: vel deordinatur, inficiturque vitiis.

At *sensualitatem* quodammodo ab *appetitu sentiente* distinguit Aquinas in II. Dist. XXIV. Qu. II. Art. I. ad 3. ubi *Appetitum sensitivum* vocat, *qui versum rationem tendit, et rationi obtemperat*, ac virtutum subjectum esse potest. Sentiens nimirum appetitus consideratur, qua parte rationis imperium sequitur. Verum *sensualitas* (inquit) nominat appetitum, *secundum quod est magis depressus:* in quo *non potest esse virtus*, et *est perpetuae corruptionis.* Hocce modo accepta *sensualitas*, eadem est *cum concupiscentiae vitio*, quod infra exponendum est: hoc enim *in perpetua* consistit *corruptione.* Hanc paucis declarat Aquinas in Compendio Theologiae Capite CXCII. Violata integritate primi hominis, *consequutum est ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiae, irae, et caeterarum passionum inordinatos motus, non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerumque obnubilantes, et quasi perturbantes.* Hujusmodi vitium primo loco in *concupiscentia actuali* exponendum est: agendum postea de *habituali concupiscentia.*

IV. *Concupiscentia* consistit in appetitus sentientis motibus, aut *passionibus*, tum qua parte his afficitur animus, tum qua parte *sanguinis, et spirituum animalium agitationes* fiunt in corpore. At *concupiscentia*, qua de agimus, non est passio, quae *rationis freno regitur*, sequiturque bonum ac rectum voluntatis imperium. Hoc pacto *virtutis* nomen, et decus sortiuntur passiones. Non est etiam passio, quae *rationem errantem* ac perversam et inconsideratam, pravamque sequitur voluntatis liberam volitionem: cum ea sit hoc modo ipsum peccatum, quod committitur.

Id vero in his passionibus, motibusque sentientis appetitus etiam contingit, quod *rationis deliberationem*, ipsiusque et voluntatis imperium *praeveniunt;* quin impediri valeat, quominus insurgant, aut pro nutu sopiri et extingui possint, cum insurrexerint. Sunt vero *judicia*

quaedam *imaginationis*, (sive haec sit facultas a mente distincta, sive sit ipsa mens juxta vestigia in cerebro impressa percipiens,) quae vocantur *absoluta*, minimeque ex collatione et reflexione rationis proficiscentia: sunt etiam quidam *affectus indeliberati*, et *necessarii*, amores videlicet, aut aversiones, boni aut mali, sensibilis singularis. Haec vero *prima* est veluti *pars concupiscentiae*, qua de agimus.

Accipe *alteram* in eo positam, quod praedicti affectus indeliberati, ac necessarii sub illis judiciis collatione rationis destitutis, comitesque habentes proportionatos corporeos motus, *pugnam exercent* contra rationem, bonumque honestum, *ad delectabilia bona trahentes*. Aut enim ad objecta pertrahimur saepius *illicita*, ad venereas delectationes, ad vindictas, ad aemulationem, ad invidiam, ad vanam gloriam, ad alia facinora. Animadverte, haec objecta alia esse *sensibilia*, quae ad appetitum sentientem spectant: alia *spiritualia*, in quae fertur voluntas. Rem egregie Thomas exponit Qu. VIII. de Malo Art. III. in *Excellentia*, quae *superbiae* est objectum, et ad utramque facultatem, voluntatem scilicet, et sentientem appetitum, pertinere potest. Inquit enim: „*Superbiae* objectum est *excellentia sensibilis:* (residetque in ea sentientis appetitus parte, quae dicitur *Irascibilis*.) Sed quia superbia est etiam circa *excellentiam intelligibilem*, quae est in spiritualibus bonis . . . invenitur etiam in *substantiis spiritualibus*, in quibus non invenitur appetitus sensitivus.“ Ait etiam ad 20. *Appetere honores sensibiles, vel imaginabiles, inquantum habent rationem ardui, vel excellentis; non solum ad voluntatem, sed etiam ad irascibilem* (sentientis appetitus partem) *pertinet*. Par extendi doctrina debet ad alia objecta similia. Consule, quae superiore Capite dicta sunt num. III.

Licita quandoque sunt objecta sensibilia, in quae nos *concupiscentia* rapit, rationis reflexionem, motionemque voluntatis praeveniendo. In *conjugatis* rem declarat Sanctus *Augustinus*, quos in copulam carnalem, alioqui licitam, invitos etiam ac nolentes inclinat. Quid? quod vel ipsae *passiones*, quae nos videntur ad bonum provocare, ut irae excitatio contra delinquentes, compassionis affectus erga miseros, pudor, tristitia, et id genus alia, *secundum quod sunt praecedentes voluntatem*, (verbis utor Sancti Thomae Qu. XXVI. de Veritate Art. VII.) *diminuunt de ratione laudabilis:* animumque impellunt, ut bonum non bene agat. Cur vero? *Quia laudabilis est actus voluntatis, secundum quod est per rationem ordinatus in bonum secundum debitam mensuram, et modum: qui quidem modus, et mensura non servatur, nisi cum actio ex discretione fit; quae quidem discretio non servatur, cum homo ex impetu passionis ad aliquid volendum, etiamsi sit bonum, provocatur.*

Sicuti *passiones*, ita *concupiscentia*, id habent commune, quod datis in corpore motibus, datisque sensationibus, excitentur in animo: at *passiones* hoc nomine significatae eos appetitus sentientis motus complectuntur, quos ratio, et voluntas praeveniunt, et excitant: ipsique pro vario, bono, vel malo, fine praestituto, nomen sortiuntur aut virtutis, aut vitii. In motibus illis proprie consistit *concupiscentia*, qui rationem et voluntatem praeveniunt, eisque cum insurrexerint reluctantur, pertrahuntque ad bonum sensibile: in quo, freno et ordine

rationis neglecto, si sistat voluntas, malum operatur. Itaque *prima* ac *remota* passionum, et concupiscentiae causa reducitur ad actionem sensibilium objectorum in sensus; *proximior* autem est animalium spirituum commeatus ad cerebrum, ac inde consequens sensatio. Pro conditione vero *sensationis*, aut gratae, aut nocivae, bonum, vel malum sensibile *imaginatio* percipit: et hanc sequitur affectus motusque in sentiente appetitu. Sed etiam sine ulla *externi objecti impressione* quandoque passiones, et concupiscentiam excitant spiritus animales intus fluentes, ac vestigia jam cerebro impressa agitantes: idque contingit multiplici data causa, vel occasione temperamenti, variaeque valetudinis, aliarumque dispositionum corporis, ac etiam Daemonis, quem in hominum sensus internos, externosque agere posse credimus.

V. Nihil vero dictum, quod ante non docuerit *Augustinus*. Rem totam conficere videtur Libro IV. contra Julianum Capite XIV. ubi distinguit: „aliud esse *sentiendi vivacitatem*, vel *utilitatem*, vel *necessitatem:* aliud *sentiendi libidinem:*“ quae est concupiscentia.

Definit *vivacitatem sentiendi:* qua *magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus, pro earum modo, atque natura, quod verum est percipit, atque id a falso magis minusque discernit.* Sensatio haec est, qua sentimus colores, odores, sapores, sonos, ac etiam gratam vel molestam, blandam vel incommodam spirituum animalium agitationem per fibras, et nervos, aliasque corporis partes. Blanda namque spirituum effluentium commotio blandam efficit sensationem molestam asperior, aut perturbatior. Unde cum sonitum v. g. lenem audimus; non solum ipsius habemus sensationem soni, verum etiam sensationem spirituum, qui blande organum pulsantes, illud veluti demulcent. In quo vero haec reponi debeat *sensatio*, varie declarant Philosophi pro genio, ingenioque.

Sequitur *utilitas sentiendi: per quam* (ait Augustinus) *corpori vitaeque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, sumendum, vel rejiciendum, appetendum, vitandumque, consulimus.* Inest nobis naturalis necessarius amor, quo bonam animi dispositionem, et corporis valetudinem, et conservationem amamus. Juxta varias porro objectorum exteriorum impressiones, variasque spirituum per corporis partes diffluentium conditiones, amor ille aut quiescit, aut perturbatur: voluptatem habet, aut in tristitiam vel dolorem deflectit: eaque ratione novimus, quae approbare vel improbare, sumere vel rejicere, appetere aut vitare debemus.

Necessitas sentiendi est: *quando sensibus nostris etiam quae nolumus, ingeruntur.* Neque enim in hoc statu facultas inest, pro qua impedire valeamus objectorum exteriorum actionem in sensus, spirituum animalium rerum vestigia deferentium commeatum ad cerebrum, atque demum objectorum, quaeve inde fiunt, impressionum sensationem. In hac *sentienti necessitate* quoddam veluti initium *concupiscentiae* consistere dixerim. Quomodo innocens primus homo eadem solutus esset necessitate, dicendum inferius.

Sentiendi libido sequitur, sive ipsa *concupiscentia: quae nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit.* Consistit nempe in illis motibus animi, quos jam

superius exposuimus, data sensationum occasione in appetitu sentiente excitatis: quae rationem praeveniunt, perturbant, obnubilant; volentesque nos, aut nolentes ferunt in bona delectabilia, ad eisque consensum praestandum alliciunt, ac inducunt. Rem declarat exemplis Sanctissimus Pater loco citato: *Movetur certe animus*, inquiens, *ad pietatis affectum divino cantico audito; tamen etiam illic, si sonum, non sensum, libido audiendi desideret, improbatur. Quanto magis, si cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectetur?* Hic habes *sensationem soni*, ac blandam soni lenis sensationem. Pro rationis imperio consurgere in appetitu sentiente *delectatio* potest: eademque bona est, si ad *finem pietatis ordinetur*. At eadem delectatio si praeveniat rationem, *concupiscentia* est, quam *libidinem sentiendi* vocat Augustinus: eademque, quam non experiri non possumus, ad id animum pertrahit, quod est *delectabile in sono*, aut voluntatem allicit, ut libero consensu bonum illud delectabile amplectatur. In odore, sapore, tactu, (rem pergit exponere Augustinus) *quando molesta vitantur, ut putores, amaritudines, aestus, frigora, et quaeque aspera et dura et gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis. Ea vero, quae his contraria sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisque molestiam, etiamsi cum aliqua sumantur delectatione cum praesto sunt, tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine.* Libido, aut *concupiscentia* non est, si hujusmodi sensibilium delectatio quaeratur propter finem salutis, ac bonae valetudinis, et juxta modum a ratione praescriptum: at *libido* contingit, aut concupiscentia, si data sensationis occasione insurgat in appetitu sentiente desiderium, aut delectatio, quibus ratio, ac voluntas praeventa, ad captandam in eisdem sensibilibus delectationem inducatur.

Plurima praesto sunt in Augustini operibus paria testimonia. Pauca profero, quae *concupiscentiam actualem* magis declarant. Libro VI. contra Julianum Capite XIX. num. 60. sic ait: *Actu manet* concupiscentia: *non quidem abstrahendo, et illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo: et pariendo peccata, sed mala; quibus mens resistat, desideria commovendo.* Scilicet concupiscentiae, rationem et voluntatis imperium praevenienti, non ea vis inest, quae mentem experrectam, et advertentem necessario abstrahat, suoque illicio vincat, et ad consensum inducat; id unum habet ea, ut pugnet contra mentem.

Cum his desideriis, quae adversantur rationi, *simul agitari corpus*, in eaque partium dispositione per effluentes spiritus animales collocari, quam postulat exciti desiderii conditio, docet idem Augustinus: quod operis ad generationem requisiti exemplo declarat Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XXIV. Ait enim: *Cum venturum fuerit ad opus generandi; ipse ille licitus, honestusque concubitus non potest esse sine ardore libidinis, ut peragi possit quod rationis est, non libidinis. Qui certe ardor, sive sequatur, sive praeveniat voluntatem, non tamen nisi ipse quodam quasi suo imperio movet membra, quae moveri voluntate non possunt.* Facultas non inest nobis in hoc statu, qua valeamus impedire, quominus data sensationum occasione insurgant in appetitu sentiente motus rationem praevenientes, atque motus excitentur in corpore, quodammodo appetitus affectui, quem praeveniunt, ac etiam consequuntur, proportionati. Neque rursum facultas adest, qua valea-

mus pro libito excitatam concupiscentiam, comitesque corporeos motus aut sopire, aut extinguere. Hinc vero *pudenda* membra genitalia dicuntur: quia pudet, dominam mentem regere jam non posse servum corpus.

Sed ea, quae in genitalibus usitatius libido nominatur (admonitio est minime praetermittenda Augustini Libro XIV. de Civitate Dei Cap. XV. num. 2.) *generale vocabulum est omnis cupiditatis* (aut concupiscentiae). *Est enim libido ulciscendi, quae ira dicitur: est libido habendi pecuniam, quae avaritia: est libido quomodocumque vincendi, quae pervicacia: est libido gloriandi, quae jactantia nuncupatur. Sunt multae, variaeque libidines: quarum nonnullae habent etiam vocabula propria, quaedam vero non habent.*

VI. Quae hactenus dicta sunt, mirifice confirmantur Apostoli Pauli documentis. In Epistola ad Romanos Cap. VII. sic ait v. 14. *Ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Traditum intellige concupiscentiae, ejusque obnoxium motibus, renuente licet spiritu. v. 15. *Quod enim operor, non intelligo:* quod nempe indeliberato concupiscentiae affectu appetere se, experiuntur ac sentiunt homines etiam justi, mente, et consensu non adprobant. *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio:* acsi diceret, velle justos non concupiscere, cum hoc bonum sit; et nolle concupiscere, cum hoc malum sit: concupiscere tamen, seu motus in appetitu sentiente, invita ac repugnante licet mente, experiri. v. 22. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem:* adhaeret enim justus homo rectae rationis ordini, sequiturque gratiae impulsum in libera operatione boni. v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae; et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Hoc est, justus homo sentit, ac experitur, habere se *indeliberatos affectus*, quibus fertur in bona delectabilia, repugnantes gratiae lumini, et affectibus, rectaeque rationis praescriptis, animumque inducentes ut illicio rerum delectabilium consentiens, peccati captivus evadat.

Satis *actualem* mihi videor *concupiscentiam* explanasse. Pugna etiam patet, quam contra spiritum in hoc mortali corpore exercet caro: ac innotescit, quae inde suboritur difficultas boni agendi. At concupiscentiae motus tametsi rationalis voluntas non valeat impedire, quominus insurgant, eosque pro libito statim sopire et extinguere, cum insurrexerint; *id tamen juris habent frena virtutis, ut ad immundas, et illicitas corruptiones pervenire eas* (commotiones) *non sinant,* nec enim instiganti concupiscentiae consensum dare cogimur, aut necessitate compellimur. Hanc nos docet veritatem verbum Dei, quod Caino ira contra fratrem aestuanti dictum est Geneseos Cap. IV. v. 7. *Subter te erit appetitus ejus* (idest peccati, aut instigantis concupiscentiae) *et tu dominaberis illius.* Verba repeto Augustini superius allata: *Actu manet* (concupiscentia) *non quidem abstrahendo et illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo et pariendo peccata; sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo.*

Hinc attentione mentis, solertia, diligentia, cautione, exercitatione opus est, ne passionum impetu sinamus nos abripi. Virtutis

nempe, et honestatis praescripta sive ordinis naturalis, sive etiam supernaturalis, excitanda sunt, diligenda, et implenda, ut hisce contrariis amoribus consensum denegemus passionum commotionibus, aut motibus concupiscentiae, eosque cohibeamus, ac etiam abigamus. Ad haec praestanda bona officia, continendumque voluntatis liberum consensum, si maxime graves pulsent tentationes, ac opera peragenda sint difficilia, et gravia, et eximia, opus est *specialibus divinae gratiae* praesidiis, ut optime docent Theologi, in praesentis *naturae lapsae* statu. *Dei* etiam *Creatoris* auxilia opus forent in statu *naturae purae*, ad naturalem dumtaxat finem suum ordinatae, ut infra dicendum.

Itaque adversum hujuscemodi pravos concupiscentiae motus *gratiam* donat Deus, quam vocant *excitantem*. Consistit ea in supernaturalibus mentis illustrationibus, ac ejusdem supernaturalis ordinis piis affectionibus voluntatis, quas in nobis Deus efficit sine nobis. Dici solent *instinctus Spiritus sancti*, qui pravis concupiscentiae motibus opponuntur: hisce trahimur, et inclinamur in officia virtutum, bonis sensibilibus adversa, in quae nos pertrahunt motus concupiscentiae. Id habent etiam praedictae mentis illustrationes, ac piae affectiones voluntatis, divinitus immissae, ut ipsam voluntatem elevent, ac *adjuvent*, potestate, aut *viribus*, aut *sufficientia* collatis, vel effectis robustioribus, ad liberum denegandum concupiscentiae motibus consensum, ac bona quae occurrunt, aut praecepta sunt, opera agenda. Hanc egregie Theologi nostrates exponunt, ac illustrant *sufficientiam*. Sed *gratia* demum necessaria est, quae dicitur *per se efficax*, favore Dei omnipotentis gratuito data, ut quae possumus munere Dei, munere etiam Dei agamus. Haec vero *gratia efficax*, si proprie loqui velimus, ut scitissime animadvertunt Disciapuli Sancti Thomae, *sufficientiam*, et *potestatem*, ac *vires*, quas praesupponit, ad actum infallibiliter adplicat, seu conjungit cum actu; unde non ad *actum primum*, sed ad *actum secundum* ea pertinere dicitur. Tum vero *sufficientiam* aut potestatem agendi, tum *efficaciam* adplicantem ad ipsum actum, a Deo descendere, *orationibus Ecclesiae* evincit Augustinus, quibus a Deo petimus non solum ut *possimus agere*, sed etiam ut maxime *agamus*. Haec satis hoc loco.

CAPUT XLVI.

Concupiscentia habitualis in permanente, quae nobis inest, consistit radice, ex qua actuales inordinati motus ejus procedunt. Haec partibus hominis addit solum carentiam, aut privationem perfecti dominii in voluntate, ac perfectae subjectionis in appetitu sentiente. Sancti Thomae egregia documenta. Quomodo amor sui, superbia, et cupiditas dicantur radices omnium peccatorum: et quomodo ad concupiscentiam pertineant. Colligitur, habitualem concupiscentiam non consistere in habitu vitioso, neque in actu inordinato permanenter animum afficiente.

I. Ad *habitualem concupiscentiam* sermo convertitur. Praeter *inordinatos actus*, qui data occasione excitantur in appetitu sentiente, ac transeunt, ad sensibiles delectationes pertrahentes, *permanentem* inesse nobis veluti *radicem*, unde oriuntur ipsi, docet, et egregie declarat Sanctus *Augustinus*. Verba ejus refero, quae habentur Libro VI. contra Julianum Cap. XIX. num. 60. „*Actu manet concupiscentia*

(scilicet habitualis), non quidem abstrahendo et illiciendo mentem, ejusque (mentis) consensu concipiendo, et pariendo peccata; sed *mala*, quibus mens resistat, *desideria commovendo*. Ipse quippe motus *actus est ejus* (concupiscentiae scilicet permanentis, et habitualis), quamvis *mente non consentiente*, desit *effectus* (idest peccatum). *Inest* enim homini *malum* et praeter istum *actum*, idest praeter hunc *motum* (inest, inquam, homini malum), *unde surgit hic motus;* quem motum dicimus *desiderium* (et est concupiscentia actualis). *Non enim semper est desiderium*, contra quod pugnamus: quod si tunc non est, quando non occurrit *quod concupiscitur*, sive animo cogitantis, sive sensibus corporis; fieri potest, ut *insit qualitas mala*, sed nulla sit tentatione commota. Sicut *inest timiditas* homini timido, et quando non timet."

Plura adhibet Augustinus nomina, ut eam patefaciat. *Pondus* vocat eam Libro XXII. de Civitate Dei Cap. XXII. num. 2. *Apparet in quid, vel pondere suo, proclivis, et prona sit vitiosa natura.* Dicitur *carnalis consuetudo* Libro I. de Doctrina Christiana Cap. XXIV. num. 25. *Caro concupiscit adversus spiritum... Dictum est, propter indomitam carnalem consuetudinem.* Vocat eam *morbum indigentiae* in Enchiridio Cap. XXIII. et *vitium substantiae bonae* Libro III. operis imperfecti contra Julianum num. 186. ac *discordiam* denique *carnis, et spiritus* frequentissime in aliis locis.

II. Haec omnia Augustini dicta germano sensu exponi posse communi consensu Theologi docent *carentia, defectu, privatione:* quin *positiva* sit opus *qualitate* superaddita. Habitualem concupiscentiam in ipsis reponunt hominis partibus, anima et corpore, ratione et voluntate, ac sentiente appetitu, ea carentibus, aut privatis rectitudine, in qua *primus homo* conditus fuit: *perfecto* scilicet *dominio* ex parte animae, rationis, et voluntatis, *perfectaque subjectione* ex parte corporis, et sentientis appetitus.

Perfectum voco *dominium*, *perfectamque* appello *subjectionem*. Quandoquidem mens in hoc statu caret vigore illo, imperioque, quo valeat corporeos motus, ac inde surgentes in appetitu sentiente passiones cohibere, seque non sinat praeveniri ab eisdem, eosdemque cum insurrexerint pro nutu sopire, et extinguere. Sed attamen menti manet hoc etiam in statu potestas, qua valeat ipsa sensitivi appetitus motus praevenire, eosque regere, ac ipsis notam imprimere virtutis, aut vitii, pro vario boni, aut pravi finis amore. Manet insuper menti potestas, vel ordinario, vel speciali concursu Dei, excitis concupiscentiae motibus non consentiendi, ac salutarem in ipsos gerendi pugnam. Hac de re Capite sequente diligentius agendum est.

Hanc, non aliam *concupiscentiam habitualem* delineant Theologi Carmelitae Excalceati Salmanticenses Tomo IV. de vitiis, et peccatis, Tractatu XIII. Disputat. XVI. Dubio IV. cum aliis, quos ipsi laudant, praestantissimis Theologis. Subtilem habent illi doctrinam *de anima separata* num. 108., quam liceat integram exhibere: „*Animae separatae* (inquientes), infectae peccato originali, *non carent omni concupiscentia.* Quia adhuc retinent carentiam *illius vigoris*, quam justitia originalis ponebat in ipsa anima, et in potentiis spiritualibus: quam *carentiam* sub *concupiscentia* comprehendimus. Quod autem

deficiat illa *concupiscentiae portio*, quae residet *penes appetitum sensitivum*, nihil refert: quia regulariter non tota materia est de necessitate compositi, praesertim in his concretis accidentalibus; sed sufficit conservari aliquam partem, ut forma permaneat.

Num. 109. Neque obest, si urgeas: quod in anima, et in potentiis spiritualibus non habet locum *concupiscentia*, nisi ut sunt *trahibiles ad sensibilia* per appetitum sentientem; atque adeo nisi sint *corpori conjunctae*. Respondetur enim, tam animam, quam praedictas potentias, *adhuc separatas*, conservare *aliquid concupiscentiae*. Quia semper retinent, ut *quantum est de se*, et *ex vi destitutionis justitiae originalis*, possint ad sensibilia trahi: licet de facto, dum abest corpus, et ejus appetitus, ad illa non deflectant. Quod si defectum istum renueris appellare *concupiscentiam formalem*, seu *proximam*; saltem constituere debes *concupiscentiam radicalem*." Subtiliores hujuscemodi doctrinas cur insuper habeas, aut spernas?

III. Luculentissima sunt Aquinatis documenta. Primum profero ex Compendio Theologiae Cap. CLXXXVI. „Fuit homo *sic institutus*, ut nisi ratio ejus subduceretur a Deo, neque *corpus ejus subduci poterat a nutu animae*, neque *vires sensibiles a rectitudine rationis*." Rem diligentissime explanat Cap. CLXXXII. „Quia igitur dicti status (hominis innocentis) *tota integritas* causabatur *ex subjectione humanae voluntatis ad Deum*; consequens fuit ut subducta humana voluntate a subjectione divina, *deperiret illa perfecta subjectio* inferiorum virium ad rationem, et corporis ad animam. Unde consequutum est *ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili concupiscentiae, irae, et caeterarum passionum inordinatos motus, non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes, et eam plerumque obnubilantes, et quasi perturbantes*." Rebellem factum vides appetitum, utpote freno rationis carentem: invalidamque rationem effectam, utpote subductam a subjectione divina. „Et haec est *repugnantia carnis ad spiritum*, de qua loquitur Scriptura. Nam quia *appetitus sensitivus*, sicut et caeterae sensitivae vires, per organum corporeum operatur; ratio autem absque aliquo organo corporeo: convenienter quod ad appetitum sensitivum pertinet, *carni* imputatur."

Ampliora jam promo. *Libidinem*, aut *concupiscentiam* trifariam partitur in II. Dist. XXXI. Qu. I. Art. I. ad 3. „*Libido* tribus modis dicitur. *Uno modo*, secundum quod consistit *in actu voluntatis*, illicite, et inordinate aliquid desiderantis: et hoc modo libido est *actuale peccatum* (quo motibus indeliberatis ac necessariis concupiscentiae praebetur consensus). *Alio modo* dicitur libido, quae consistit magis *in delectatione sensualitatis*, et praecipue in actu generativae, ubi superexcedit delectatio: et sic est *quiddam ex peccato derelictum*, non quia sine peccato non esset delectatio, sed quia *inordinata* non esset: quod nomen *libidinis* importat. (Haec est *concupiscentia actualis*, quam satis Capite superiore exposuimus.) *Tertio modo* potest sumi libido *quasi habitualiter* pro illa inordinatione animae nimia, ex qua est in nobis *pronitas* ad inordinate concupiscendum." Jam constat, nil aliud concupiscentiam habitualem esse praeter ipsas hominis partes, in Adamo innocente rectitudine et ordine invicem copulatas, hac rectitudine destitutas in homine lapso.

Quomodo vero haec, quam *rectitudinis carentiam vocamus*, inferat habilitatem, et pronitatem ad inordinate concupiscendum, declarat Sanctus Thomas elegantissime. Eodem in Libro II. Sententiar. Dist. XXX. Qu. I. Art. III. ad 2. sic ait: „Dicendum, quod differt dicere *potentem*, et *habilem*. Quod enim aliquis sit *potens concupiscere*, est ex potentia concupiscibili; sed quod sit *habilis ad concupiscendum*, est ex aliquo *habitu*, vel ex eo quod *per modum habitus* se habet. Contingit enim ut etiam *privatio aliqua habilitatem quamdam relinquat*, inquantum privatur aliquid quod impedimentum praestare possit: et ita dicitur *concupiscentia habitualis* esse peccatum originale: et non quidem *vis concupiscibilis*, neque iterum *aliquis habitus*, qui aliquid positive dicat; sed *ipsa habilitas*, quae relinquitur in inferioribus viribus ad *inordinate* concupiscendum, ex hoc quod ab appetitu subtrahitur retinaculum rationis, quo detinebatur ne *effrenate* possit in sua objecta tendere.“ Plenum dominium cum inerat rationi in corpus et sentientem appetitum, atque corpus et appetitus cum plene rationi subjiceretur; ab ipso rationis, et voluntatis nutu pendebant corporei motus, et appetitus affectiones. Eo sublato dominio, ac subjectione sublata, habilis effectus est sentiens appetitus, ut data corporeorum motuum occasione in passiones prorumpat, quae rationem praeveniunt, eique reluctantur: neque vigor est in ratione, ut eas perfecte cohibeat.

Traditae doctrinae adhaeret Aquinas, et exemplis illustrat Qu. IV. de malo Art. II. ad 4. „*Concupiscentia*, secundum quod pertinet ad originale peccatum, non est *concupiscentia actualis*, sed *habitualis*. Sed intelligendum est, quod *ex habitu* efficimur *habiles* ad aliquid. Dupliciter autem aliquod agens potest esse *habile ad aliquid agendum*. Uno modo *ex aliqua forma inclinante ad hoc:* sicut corpus grave ex forma sua, (ita sentiebant veteres,) quam habet a generante, inclinatur deorsum. Alio modo *ex subtractione* ejus, quod impediebat: sicut vinum effunditur fractis circulis, qui effusionem impediebant; et equus concitatus praecipitanter vadit rupto freno, quo retinebatur. Sic ergo *concupiscentia habitualis* potest dici dupliciter. Uno modo *aliqua dispositio*, vel *habitus*, inclinans ad concupiscendum: sicut si in aliquo *ex frequenti concupiscentia actuali* causaretur *concupiscentiae habitus;* et sic *concupiscentia* non dicitur originale peccatum. Alio modo potest intelligi habitualis concupiscentia, *ipsa pronitas*, vel *habilitas ad concupiscendum:* quae est ex hoc, quod vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi, *sublato freno justitiae originalis;* et hoc modo peccatum originale naturaliter loquendo est *habitualis concupiscentia.*“ Discrimen animadverte inter concupiscentiam, quae *pronitas* est, et *habilitas* ad concupiscendum; et inter concupiscentiam, quae vere *habitus* est. Itemque animadverte discrimen inter *concupiscentiam actualem*, ex cujus frequentatione oritur habitus, et quae ex habitu comparato procedit; ac inter *concupiscentiam actualem*, quae ex viribus animae deordinatis exoritur. Illa prior *actualis concupiscentia* est liber actus peccati, cujus frequentatione fit *habitus*, et ex habitu procedit. Altera *actualis concupiscentia* consistit in appetitus motibus, qui sunt indeliberati et necessarii, rationem praevenientibus, et rationi experrectae et advertenti repugnantibus. Prior *concupiscentia habi-*

tualis complectitur vitiosos habitus, facultatibus animae superadditos: consistit altera in ipsis animae facultatibus, rectitudine destitutis, adeoque ad effrenate concupiscendum pronis, et habilibus.

Quid? Quod demum *malitiam ipsam*, quae pertinet ad originale peccatum, ac praecipue collocatur in voluntate, non in aliquo *positivo* inclinante ad malum constituit Sanctus Thomas, sed in *privativo.* Verba ejus accipe loco citato ad 7. „Sicut *concupiscentia*, contracta per originem, nihil est aliud, quam *destitutio inferiorum virium* a retinaculo justitiae originalis; ita *malitia*, contracta (per originem,) nihil aliud est, quam *destitutio* ipsius voluntatis ab originali justitia: et inde incurrit *omnem pronitatem* ad mala eligendum.“ Splendide innotescit, quae omnia sunt *habitualia* in originali peccato, consistere in *privativo*.

Eamdem doctrinam extendit Sanctus Doctor ad *ignorantiam intellectus* Qu. III. de malo Art. VII. „Potest etiam *ignorantia* (inquiens) pertinere ad *peccatum originale*.... Quod sic est considerandum. In peccato originali est *aliquid formale*, scilicet *carentia* originalis justitiae, quae pertinet ad voluntatem. Sicut autem ex originali justitia, per quam voluntas *Deo conjungebatur*, fiebat quaedam perfectionis redundantia in alias vires, ita scilicet quod ratione illustrata cognitione veritatis, irascibilis et concupiscibilis sortirentur rectitudinem a ratione; ita *subtracta* originali justitia a voluntate, *defecit cognitio veritatis* in intellectu, et rectitudo in irascibili et concupiscibili; et sic *ignorantia*, et *fomes* sunt materialia in peccato originali, sicut *conversio ad bonum commutabile in peccato actuali*.“ Quod in originali peccato *permanenter, et instar habitus* est, *in defectu* consistit, non in aliquo pravo intellectus judicio, neque in aliqua prava voluntatis conversione in bonum commutabile; sed attamen ex eo *defectu cognitionis* in intellectu oritur *habilitas* ejus ad errandum, et ex *defectu rectitudinis in appetitu* oritur ejusdem habilitas ad inordinate concupiscendum, et ex *defectu rectitudinis in voluntate* oritur pronitas voluntatis ad pravos consensus.

Nomine etiam *fomitis* vocari solet *concupiscentia.* Sed hanc, et illum, si accipiantur instar habitus, *carentia* et *privativo* constitui, doctrina est Aquinatis Qu. III. de malo Art. VI. ad 16. „Dicendum, quod *libido* nominat *inordinatam concupiscentiam actualem*. (Sumi eam tamen etiam *quasi habitualiter*, docentem audivimus Thomam superius in II. Dist. XXXI. Qu. I. Art. I. ad 3.) Dictum est autem, quod *materiale* in originali peccato est *concupiscentia habitualis:* quae provenit ex hoc, quod *ratio non habet virtutem totaliter inferiores vires refrenandi*, (et vires inferiores haud plene rationi subjiciuntur). Sic ergo *libido*, (et concupiscentia actualis,) quae est in coitu, (quaeve aliis etiam datis occasionibus insurgit contra rationem,) est signum *concupiscentiae habitualis*, quae materialiter se habet in peccato originali. Causa autem, quod aliquis transmittat originale peccatum in prolem, est id quod remanet de peccato originali (instar habitus) etiam post baptismum, scilicet *concupiscentia*, vel *fomes*.“ Hinc docere pergit „per generationem, quae *miraculose* foret immunis omni actuali libidine aut concupiscentia, originale peccatum transmitti.“

Huic doctrinae aliud Thomae documentum conforme est, quod habetur in II. Dist. XLIII. Art. I. ad 2. Si namque peccata omnia ex concupiscentia habituali orirentur, tamquam ex causa, omnia forent peccata *infirmitatis*, neque locum haberent, quae dicuntur *malitiae*, et *ignorantiae*. Egregie reponit Thomas: „Res non habet speciem, neque denominatur a *causis primis*, sed a *causis proximis*. Corruptio ergo naturae, quae est *infectio fomitis*, non est *proxima causa* cujuslibet peccati: cum aliquando homo sine *ullo incentivo concupiscentiae* peccatum eligat. Sed est *causa prima*, quia ex corruptione naturae inest homini *quaedam debilitas*, ut *facilius* in peccatum ruat. Et ideo non oportet quod omne peccatum propter hoc *ex infirmitate esse* dicatur." Prima peccati causa est *creaturae ex nihilo factae defectibilitas*. Ex originali peccato addita est *pronitas*, et *facilitas* ad peccandum. Aliae *proximae* accedunt causae, meritoque numerantur *inordinati concupiscentiae praevenientis actus*. Verum *aliquando homo sine ullo incentivo concupiscentiae* (actualis) *peccatum eligit:* quod peccatum malitiae dicitur. Hujusce vero *causa prima* nihilominus dici potest *concupiscentia habitualis*, quae inest homini veluti *quaedam debilitas, ut facilius in peccatum ruat.*

IV. Sunt alia *concupiscentiae* nomina, v. g. *cupiditatis* nobis insitae, et *superbiae*, et *sui ipsius* vel boni proprii *amoris*. Inordinati sine dubio insurgunt in animo motus, rationem praevenientes, trahentesque illicio suo voluntatem ad hujuscemodi vitiorum objecta. At *cupiditas*, et *superbia*, et *amor sui*, quatenus ad concupiscentiam habitualem pertinent, in ea, quam saepe exposuimus, *rectitudinis carentia* aut *privatione*, ac inde exorta *pronitate* et *habilitate peccandi* consistunt. Frequentissima sunt Thomae Aquinatis testimonia. Verba primum refero, quae habentur in II. Dist. XLII. Qu. II. Art. III. ad 1. „Dicendum, quod *avaritia*, sive *cupiditas* tripliciter dicitur. Uno enim modo nominat *passionem*, vel *pronitatem* ad passionem *ex originali* relictam (passionem intellige *actualem indeliberatum concupiscentiae motum*, et pronitatem intellige *habitualem concupiscentiam*): et sic non est peccatum, sed *radix peccati*. Alio modo, secundum quod dicitur *inordinatus appetitus* (liber) *cujuslibet boni commutabilis*, sive scientiae, sive honoris, sive pecuniae, sive cujuscumque: et sic avaritia, vel cupiditas, est *genus omnium peccatorum*. Unde super illud Rom. 7. *Concupiscentiam nesciebam &c.* Glossa: *Bona est lex, quae dum concupiscentiam prohibet, omnia mala prohibet.* Tertio dicitur avaritia, vel cupiditas, secundum quod est *inordinatus appetitus* (liber) *rerum exteriorum*, quae ad usum vitae pertinent: et sic est quoddam *speciale peccatum*.

„Similiter et *superbia* tribus modis dicitur. Uno modo ipse *habitualis contemptus praecepti, et praecipientis, ex corruptione naturae proveniens*, vel ex quocumque defectu creaturae (ex nihilo factae) et sic non est peccatum, sed *initium peccati*. Alio modo dicitur *appetitus excellentiae in quibuscumque*, quia quicumque appetit aliquid inordinate, vult quodammodo excellere in illo: et ideo hoc modo *superbia*, ut fertur ad omnia peccata, *commune* (peccatum) est, secundum quod est desiderium (liberum) cujuscumque excellentiae. Tertio

modo dicitur, secundum quod est *inordinatus* (liber) *appetitus illius excellentiae determinatae*, cui debetur honor et reverentia: et sic est *speciale peccatum*."

Paullo aliter rem exponit eamdem in II. Dist. V. Qu. I. Art. III. „*Superbia* tribus modis accipitur. Uno modo, prout sumitur *habitualiter*, scilicet quaedam *inclinabilitas*, vel ex *naturae flexibilitate tantum*, vel *ex fomitis corruptione*, ad superbiam: et sic dicitur superbia *initium omnis peccati*. Alio modo dicitur superbia, secundum quod *aliquis se effert extra praecepti limites*, et praecipienti non subjicitur: et sic non est speciale peccatum, sed *quaedam generalis conditio*, omne peccatum consequens *ex parte aversionis*. Tertio modo dicitur superbia *inordinatus appetitus propriae excellentiae*, et praecipue in dignitate, et honore: et sic est *speciale peccatum*." Perspicuum est, superbiam, quae ad fomitis corruptionem ex originali peccato illatam pertinet, radicem esse, quae producit inordinatos necessarios indeliberatosque motus, uti ad superbiam, ita ad alia quaeque objecta mala pertrahentes: eamdemque nihil aliud esse, nisi vires animae rectitudine destitutas, rationem scilicet perfecto vigore, perfectaque subjectione appetitus.

Ad priorem locum revertor, ubi sic docere pergit Aquinas: „Dicendum est ergo, quod sumendo *primo modo* superbiam, et cupiditatem, ex eis oriuntur omnia vitia, sicut *ex radice*, vel *initio*, et non sicut *ex peccato capitali*. Loquendo de ipsis *secundo modo* oriuntur ex eis omnia peccata, sic ut *species ex genere*. Loquendo autem de eisdem tertio modo, sic *oriuntur ex eis quaedam specialia vitia, sed interdum ex eis omnia vitia possunt oriri: et frequentius ex aliquo eorum oriuntur omnia, quam ex quovis alio vitio*. Cujus ratio est *communitas objectorum ipsorum*: quia objectum *avaritiae*, scilicet pecunia, promittit sufficientiam in omnibus, quae sunt homini necessaria; et ideo facillime affectus inclinatur in hoc. Similiter etiam *excellentia*, quae est objectum *superbiae*, videtur esse magis propinquum bonum ipsi homini: et ideo appetitus facile inclinatur in illam, et etiam magis quam in avaritiam; quia *pecuniam* nullus diligit, nisi propter aliud, quod ex ea consequi intendit; sed *excellentia* est quoddam propter se desideratum." Itaque *superbia*, et *avaritia*, quatenus sunt *specialia peccata*, complectuntur speciales liberos flagitiosos amores, habitusque vitiosos: ac *peccata capitalia* dici solent, quia *ex illis omnia vitia possunt oriri*. Si altero modo tum *superbia*, tum *avaritia* aut *cupiditas* accipiatur, sunt *genera* quaedam, quae singulis peccatorum speciebus, peccatisque singularibus insunt. Utraque demum, si pro *radice peccatorum prima* sumatur, ad *habitualem concupiscentiam* pertinet, quae *pronitas* et *habilitas* ad peccandum est, orta ex *subtractione perfecti vigoris* in mente, et *perfectae subjectionis* in appetitu sentiente, et in corpore.

Sequitur *Amor sui*. Sancti Thomae verba sunt Qu. VIII. de malo Art. I. ad 19. „Dicendum, quod, sicut Philosophus dicit in II. Rhetor. *amare est velle bonum alicui*. In hoc ergo quod homo appetit sibi quaecumque bona, videtur amare seipsum: et ideo *amor sui-ipsius* non ponitur *seorsum*, vel *radix peccati*, vel etiam *vitium*

capitale; quia omnes radices, et capita vitiorum *includunt inordinatum sui amorem*." Hinc vero illa *pronitas*, aut *habilitas* ad peccandum, quam saepe docet Sanctus Thomas ex originali peccato relictam, sicuti radix est omnium peccatorum, quibus bona commutabilia amando, amat seipsum peccator; ita dici potest *quidam amor sui*, sumptus *habitualiter*, ex originali peccato relictus. Ac praeterea *inordinatus amor sui* accipi potest, veluti *genus*, quod inest peccatis omnibus.

Rem diligentissime explanant Theologi Carmelitae Excalceati Salmanticenses Tomo IV. in 1. 2. Qu. LXXVI. in Commentario Art. IV. pag. 414. „Nomen *proprii amoris* ex sua primaeva significatione *indifferens* est ad bonum, et ad malum; quia *amare se* solum dicit *velle sibi bonum*: et ita si bonum quod quis sibi vult, sit *verum*, et juxta rationem, *amor est bonus*, *et rectus*; si autem sit bonum *apparens*, et contrarium rationi, erit *amor inordinatus*. Unde antiquitus sub judice fuit illa quaestio, *quisnam proprie dicendus sit philautus*, *idest amator sui*: *probusne*, *an pravus*. Quod versat Philosophus Libro IX. Ethic. apud D. Thomam Lect. VIII. et IX. Propositis utrinque rationibus, concludit: quod licet *vulgi opinio* eos appellet *sui amatores*, qui plus sibi tribuunt in pecuniis, honoribus, et voluptatibus corporis, quia homines majori ex parte haec affectant, et iis potissimum incumbunt: at *juxta prudens et sanum judicium* ille potius dicendus est *amare seipsum*, qui curat excellere in operibus virtutis, quia is sibi vult maxima bona, nempe bona honesta."

„Caeterum apud *Theologos*, et fideles praedictum nomen *absolute* sumptum *sonat in malum*: et sumitur pro *amore vitioso*, quo quis ita se et bonum proprium diligit, ut non referat in Deum, sed in terrenis, et temporalibus cupiditatibus, et delectationibus sistat. Et ita accipitur in Scriptura 2. ad Timoth. 3. *Erunt homines amantes seipsos, cupidi, elati.* Et Joan. 12. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Ubi Augustinus: *Noli amare*, inquit, *ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita.* Et hic est jam communis usus loquendi, praesertim apud Patres, et Magistros vitae spiritualis, qui *proprium amorem* valde nocivum, et plurium vitiorum radicem ubique reprehendunt."

„Hunc ergo *amorem sui*, qui est amor inordinatus, et vitiosus, docet in praesenti D. Thomas, esse radicem omnium peccatorum: quia ex illo committit homo, quaecumque committit .... Est autem animadvertendum, quod non est sensus, reperiri in quolibet peccato *duplicem actum*: alterum *respectu boni proprii*, (aut sui ipsius:) et alterum, *respectu objecti peccaminosi*. Sed uno eodemque actu tendit voluntas ad utrumque, diligendo objectum peccaminosum *propter bonum proprium in eo inclusum*, et ipsum bonum proprium ibi inclusum *propter se*. Unde ex isto capite non opus est reali actuum multiplicitate, *quasi unus actus ab alio actu causetur*; sed *ex parte objecti*. Inquantum scilicet *ratio proprii boni* reperta in quolibet objecto peccaminoso, est *causa* ut voluntas *tale objectum* amplectatur, et illud amplectendo peccet." Perinde vero est velle et amare *proprium bonum*, ac velle et amare *seipsum*. Unde Thomas ait in

II. Dist. XLII. Qu. II. Art. I. *Finem ultimum in amore commutabilium bonorum, esse ipsum hominem, propter quem omnia alia quaeruntur.... et sic amorem sui poni ab Augustino radicem peccati.* Uno verbo, amare se est seipsum amare bonis commutabilibus instructum; et est proprium suum esse, quod est bonum commutabile, amare in eo sistendo.

Hinc *nonnulli* apud eosdem Theologos num. 4. inferunt: *amorem sui inordinatum esse circumstantiam communem, et generalem: et ideo non dare specialem malitiam, sicut illam non tribuit inobedientia communiter dicta, propter eamdem rationem.* Alia est ipsorum Salmanticensium doctrina, quae ex alia pendet peculiari ipsorum sententia, *de fine ultimo peccatoris.*

V. Jam collige demum, *concupiscentiam habitualem* longe lateque differre abs *vitiosis habitibus*, ex actuum frequentia relictis. Collige rursum, reponi eamdem concupiscentiam non posse in *aliquo actu inordinato,* qui nobis permanenter insit, et ad omnia nos instiget peccata. Immo ex *habituali concupiscentia* multiplices, ac varii, pro varia ac multiplici sensibilium objectorum impressione, insurgunt in animo *indeliberati ac necessarii motus*, quorum alius ad malum unum, ad malum alterum inclinat alius. Vide Caput LV. num. III.

Equidem viget intus in corde *amor boni generatim sumpti*, aut beatitudinis, aut felicitatis in communi. Sed hunc amorem immittit Deus, veluti *universalem potestatem*, qua valeat homo se movere ac determinare ad particulares bonorum particularium amores. Ipsum esse *amorem veri boni*, ac verae solidaeque beatitudinis, quam jugiter quaerimus, donec in via sumus, docuimus Capite XXXII. num. V. et Capite XXXIV. num. III. Eodem bono amore abutitur homo, cum ex ipso, prava per inconsideratam, aut errantem deliberationem adplicatione facta, ad illicitos procedit bonorum apparentium amores. Ac illi falluntur, (uti censeo,) qui putant, nos eo *universali amore* ferri, et inclinari in *bonum*, quod *vero bono*, et *apparenti* sit commune.

CAPUT XLVII.

Perfectum hominis innocentis dominium in appetitum sentientem, et corpus exponitur Scripturarum documentis, et Augustini, aliorumque Patrum. Eadem est Thomae Aquinatis doctrina. Quomodo in primum incidit peccatum homo innocens. Hinc si Dei providentia circa primo conditam innocentis hominis naturam spectetur, vires exserit omnes Augustiniana argumentatio. Aquinatis auctoritas.

I. Miseram status praesentis conditionem, sive *ignorantiam* spectes, sive *rebellem concupiscentiam*, ac *difficultatem boni agendi*, splendidissime patefacit *primi status* felicitas, qua innocens primus homo potiebatur. Hanc illustrare maxime praestat divinarum Scripturarum documentis, sanctorumque Patrum: opposita namque invicem comparata magis innotescunt.

Adami scientiam, quae maxime ad mores attinet, declarat Siracides Capite XVII. v. 1. *Deus creavit hominem, et secundum imaginem suam fecit illum.* v. 5. *Creavit ex ipso adjutorium simile sibi: consilium, et linguam, et oculos, et aures, et cor dedit illis excogitandi:*

et disciplina intellectus replevit illos. v. 6. *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum: et mala, et bona ostendit illis.* v. 7. *Posuit oculum suum super corda ipsorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* Par est sententia Ecclesiastis Cap. VII. v. 30. *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum: et ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.* Vox hebraica חשבנות, latine significat *cogitationes, computationes, quaestiones.* Porro tot hominum opiniones de rebus, deque vera felicitate, ac de bono, et malo, eam produnt *ignorantiam*, quae longe aberat ab homine *recto*, qualem ab initio condidit Deus. Scientiam ejus satis demum indicat Geneseos historia, quae Cap. II. narrat: cunctis animantibus propria ab Adamo imposita fuisse nomina. Sapiens est Augustini animadversio Libro V. Operis imperf. contra Julianum num. I. *id excellentissimae fuisse indicium sapientiae.* Adnotatque praeterea Sanctus Pater: *ipsum Pythagoram, a quo Philosophiae nomen exortum est, dixisse, ut fertur: illum fuisse omnium sapientissimum, qui vocabula primus indidit rebus.*

Haec eadem documenta divina *tranquillissimam* exhibent *innocentis hominis vitam*, mentis Deo adhaerentis rectitudinem, appetitus obedientis menti pacem, et concordiam, totiusque concupiscentiae carentiam, quae motibus suis rationem praeveniret, ac nolentem pulsaret animum. Rem hanc confirmant Geneseos verba Capite II. v. 25. *Erat uterque nudus, et non erubescebant.* Apposita est Augustini animadversio Libro IV. Operis imperf. contra Julianum num. 44. „*Importune culpa* importunitatis adspergis eos, de quibus ait Scriptura divina: *Nudi erant et non confundebantur.* Et certe tunc ita *recti* erant, et *recti* facti erant: *fecit enim Deus*, sicut legimus, *hominem rectum.* Illo ergo tempore tantae rectitudinis suae, numquid tam pravi erant, ut imprudenter, impudenter, inhoneste, importune genitalium secreta vulgarent? Agnosce igitur, *nondum fuisse causam pudendi:* quando nondum pudenda erant illa membra, quae nunc proprie pudenda dicuntur. Non enim habitabat in membris *lex repugnans legi mentis,* sine qua nunc nascitur nemo."

Hanc hominis innocentis felicitatem, quae fuit, ac Adamo non peccante futura fuisset, pluribus expendunt Sancti Patres. *Augustini* documenta profero. Ad *scientiam* spectant, quae sequuntur. Libro V. Operis imperf. num. 2. docet: *Christianorum neminem dubitare posse, eos qui in hoc seculo . . . ingeniosissimi apparent . . . si illud* (Adami) *ingenio comparentur, distare longe amplius, quam celeritate a volucribus testudines distant:* et *ingeniis tam excellentibus Paradisi felicitatem implendam fore, si nemo peccasset.* Libro III. ejusdem Operis num. 198. conditionem parvulorum exponit, qua in eo statu nascerentur: *Nec flerent,* inquiens, *nec muti essent, nec aliquando uti ratione non possent; nec sine usu membrorum infirmi et inertes jacerent, nec morbis affligerentur, nec a bestiis laederentur, nec venenis necarentur, nec aliquo casu vulnerarentur, vel ullo sensu, aut ulla parte corporis privarentur: nec a Daemone vexarentur, nec surgentes in pueritiam domarentur verberibus, aut erudirentur laboribus: nec ulli eorum tam vano, et obtuso nascerentur ingenio, ut nec labore, nec dolore ullo emendarentur. Sed excepta propter incapaces uteros matrum sui corporis quantitate, tales*

omnino, qualis Adam factus est, gignerentur. Aquinatem hocce de argumento diligentissime pertractantem audiemus infra. Ipsorum innocentum hominum placidissima somnia declarat Augustinus Libro V. contra Julianum Capite X. num. 42. *Tam felicia in Paradiso futura somnia dormientium fuissent, quam vita vigilantium:* hoc est sine torpore corporis, sine mentis fatigatione, sine tumultu phantasmatum; cum quiete soporis potius, quam somni, ac salva jucundissima elatione mentis in Deum.

Inerat jus homini innocenti, donec mente adhaereret Deo, ne *motibus sentientis appetitus*, rationis deliberationem praevenientibus, ac voluntatis imperio repugnantibus, pulsaretur animus ejus. Haec est *concupiscentiae carentia.* Brevi sententia rem disserit totam Augustinus Libro I. Operis imperf. num. 71. *Non voluntatem cupiditas duxit, non praecessit voluntatem, non restitit voluntati.* Pura fuisset in homine innocente exteriorum objectorum sensatio: quin ullo inde exorto passionis motu se invitum, ac repugnantem sentiret, pertractum ad bona delectabilia. Immo quod inerat ipsi perfectum supra corpus, resque sensiles imperium mentis, postulare videtur, ut nulla tunc *necessitas sentiendi* foret, *quando sensibus nostris etiam, quae nolumus, ingeruntur.* Res ita se habuisse videtur. Sensibilia objecta, nisi volente, aut non repugnante homine innocente, non agerent in sensus, aut sua in cerebrum non immitterent vestigia. An haec vero semel cerebro impressa necessario consequi *sensatio* debuisset, disputant Doctores. Sententia adfirmans probabilior videtur: quo tamen casu ipsa post impressa cerebro vestigia necessitas sentiendi foret imperio subjecta mentis; propterea quod nonnisi mente volente, aut non repugnante, agerent in sensus objecta sensilia, suaque in cerebrum vestigia immitterent. Qua demum posita sensatione, *appetitus sentientis* nullus umquam *insurgeret motus,* qui rationem praeverteret, eique repugnaret.

Haud homini tamen innocenti negantur sentientis appetitus *affectiones, passionesque.* Eas habuisset omnes, quae tranquillissimae vitae, quam viveret, non repugnarent: easque pro nutu, cum opus esset, excitasset. Unde libera in eo fuisset omnis appetitus sentientis commotio, et actio: utpote quae liberum semper voluntatis imperium sequeretur. Apposita sunt Augustini verba Libro I. Operis imperf. contra Julianum num. 70. *Remanet igitur,* inquientis, *ut si libido ibi* (in homine innocente) *esset,* (libidinem vocat delectationem in opere generationis, quae ad sentientem appetitum spectat;) *ita esset subdita voluntati, ut rectam quietamque mentem nec ad delictum traheret, nec ad praelium provocaret; et spiritum obedientem Deo, ac fruentem Deo nec peccare, nec pugnare compelleret.* Ipsos etiam corporeos motus, qui cujusque passionis conditioni conveniunt, sibi plena subjiceret potestate omnes: nullosque haberet, quos nollet: ac semel pro libertate excitos propter debitum finem, comprimeret etiam pro nutu, proque consilio rationis. *Servirent genitalia membra gignentibus,* (exemplum est Augustini Libro II. Operis imperf. num. 42.) *ut manus serviunt operantibus: aut ita esset subsequens voluntatem* (genitalium motus) *ut numquam posset solicitare nolentem: qualem nunc non esse*

castitas docet; quae tales motus expugnat et in conjugatis, ne vel inter se indecenter lasciviant, vel in adulteria prolabantur; et in quibusque continentibus, ne huic consentiendo dejiciantur.

Eadem est *integritas primi hominis*, quam alii Patres delinearunt. Elegantissima sunt, quae disserit Sanctus *Athanasius* in Oratione contra Gentes num. 17. „Mundi opifex, et omnium moderator Deus, qui universa natura, et humana intelligentia longe superior est: ut vere bonus, ac summe benignus, per proprium Verbum, et Salvatorem nostrum Jesum Christum, humanum genus ad propriam imaginem fecit: qua illa secum similitudine, hominem ad rerum naturam cognoscendam, et contemplandam aptum reddidit. Hinc propriae etiam *aeternitatis cogitationem*, et cognitionem eidem impertivit, ut videlicet hac conservata similitudine, numquam cogitationem a Deo averteret, neque a Sanctorum convictu discederet; sed *datam Dei gratiam* .... retinens exultaret, et cum Deo familiariter viveret, *securamque* ac *vere beatam immortalem vitam* duceret. (Sic ergo) primum hominem, qui Hebraea lingua *Adam* dictus est, sacrae Scripturae narrant, *initio* summa cum libertate, et fiducia, mente Deo adhaesisse: Sanctorumque societate, et consuetudine positum fuisse in illam rerum caelestium contemplatione, qua illo in loco fruebatur, quem Sanctus *Moyses* tropo quodam (litteram non evertit tropus) *Paradisum* appellavit."

Ait etiam eadem in Oratione num. 3. Peccato discedentes a Deo Protoparentes, „in corporis cupiditatem misere inciderunt, et se *nudos esse* cognoverunt: quae ipsis causa fuit *erubescendi*. In diversas posthac, et singulas corporis cupiditates sese projecerunt: in illas ferri habitu coeperunt, adeo ut eas relinquere etiam reformidarent. Hinc denique factum est, ut timiditates, metus, ac libidines in anima orirentur; nihilque illa, nisi mortale, saperet."

Haec eadem obversabatur *Nazianzeni* animo effigies innocentis hominis in Oratione XXXVIII. quae est in Christi Nativitatem. „Hunc arbitrii libertate donatum, ut bonum non minus illius esset qui elegisset, quam ejus qui semina praebuisset, in *Paradiso* collocavit, plantarum immortalium cultorem, forte divinarum cogitationum, tam simpliciorum, quam perfectiorum: nedum quantum ad simplicitatem et vitam, arte et fuco carentem, atque omnis integumenti et munimenti expertem. Talem enim eum esse conveniebat, qui *primum esset creatus*."

Plura in hanc rem disserit *Joannes Chrysostomus* Homilia VIII. in Genesim: Hominem *de pulvere susceptum, inspiratumque spiraculo vitae, factum esse in animam viventem: hoc est efficaciter operantem, cui membra corporis serviant; cujusque voluntati, et efficaciae auscultent.... Nos eum subvertisse ordinem: et usque adeo invaluisse malitiam, quae in tantum cogit carnis concupiscentiis obsequi, ut deturbetur a throno suo Regina; cujus erat praesidere, ordinare, imperare.* Ea propterea docet ratione in Homilia *de Adam, et Eva*, se *nudos* videntes confundi coepisse post peccatum: *quia cupiditas, quae est radix omnium malorum, in cor eorum venerat.*

Hilarius Pictaviensis in Matthaeum Capite X. num. 23. „Tria tantum (ait) in homine reperimus: idest *corpus*, et *animam*, et *volun-*

tatem. Nam ut corpori anima data est; ita et potestas utrique utendi se, ut vellet, indulta est. Atque ob id lex est proposita voluntati. Sed hoc in illis deprehenditur, qui *primi a Deo figurati sunt*, in quibus coeptae originis ortus effectus est, non traductus aliunde. Sed *ex peccato*, atque infidelitate *primi parentis*, sequentibus generationibus coepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animae infidelitas.... Quae nos ex ea natos, atque a fide metuque Dei peregrinantes, accipiens ... in *ignoratione Dei*, et in *omnium vitiorum oblectatione* detinet." *Ambrosiastrum* addo ad Romanos Capite VII. v. 15. *Ante praevaricationem hominis*, *priusquam se manciparet morti; non fuisse* mundo, carni et Daemoni *potestatem*, *ad interiora hominis accedendi*, *et cogitationes adversas inserendi:* idque demum evenisse post peccatum.

II. Diligentia, et gravitate theologica hanc rem egregie pertractat S. Thomas. *Parvulorum*, qui nascerentur in statu innocentiae, praerogativas numerat, queis in hoc mortali corpore destituti illi sunt. *Pueri mox nati* (ait ille I. P. Qu. XCIX. Art. I.) *non habuissent sufficientem virtutem ad movendum membra ad quoslibet actus; sed ad actus pueritiae convenientes*, *puta ad sugendum ubera*, *et ad alia hujusmodi.* Magna modo in eisdem *apparet infirmitas* (ad 1.) *etiam quantum ad actus eorum pueritiae convenientes:* unde *juxta se jacentibus mammis, magis possunt esurientes flere*, *quam sugere.* Addit etiam ad 3. et 4. *nihil tunc appetivisse pueros*, *nisi ordinata voluntate convenisset res secundum statum eorum:* eoque in statu *potuisse aliquos esse defectus pueriles*, *qui consequuntur generationem*, nullos autem *qui ordinantur ad corruptionem.* Quid? quod *habuissent scientiam* (Qu. CI. Art. I. ad 2. et 3.) *quae eis competebat secundum tempus illud:* quaeve *sufficeret ad dirigendum eos in operibus justitiae*, *in quibus homines diriguntur per universalia principia juris.* Hinc *multo plenius tunc haberent hanc scientiam*, *quam nunc naturaliter habemus: et similiter aliorum universalium principiorum notitiam.* Admittendum tamen est, *quod non nascerentur perfecti in scientia;* sed *eam in processu temporis absque difficultate acquirerent*, *inveniendo*, *vel addiscendo.* Hinc etiam tametsi *pueri in statu innocentiae* (Art. II.) *non habuissent perfectum usum rationis, sicut habituri erant in perfecta aetate; habuissent tamen perfectiorem, quam nunc, quantum ad ea quae ad eos pertinebant quantum ad statum illum.*

Inquirit I. P. Qu. XCV. Art. II. *utrum in illo* (homine innocente) *fuerint animae passiones?* Eas removet, quae tranquillam vitam offendunt: admittit alias, nutui tamen voluntatis, et imperio rationis obsequentes. Partem priorem his verbis illustrat: *In primo statu nullum malum aderat, nec imminebat: nec aliquod bonum aberat, quod cuperet bona voluntas pro tempore illo habendum.* Unde *omnes illae passiones, quae respiciunt malum, in Adam non erant, ut timor, et dolor, et hujusmodi: similiter nec illae passiones, quae respiciunt bonum non habitum, et nunc habendum*, *ut cupiditas aestuans.* Objectionem ponit Thomas alter, scilicet Cajetanus, in Commentario: eo etiam in statu visui, v. g. et auditui potuisse tristia occurrere sensilia. Solvit eam: quia *occurrentibus improportionatis, aut tristibus sensibilibus, non fuisset fixa acies sensus in ea: ac per hoc nulla subsecuta fuisset tristitia.* Acce-

dit, ad suavissimam pertinuisse providentiam Dei, ut hominis integritate manente, ea impedirentur omnia, quae potuissent eamdem violare. Neque demum (ut alia praeoccupetur objectio) excitare metum, tristitiamque potuisset futuri peccati, ac poenae interminatae notitia: summa namque utramque vitandi facilitas fuisset. Haec ante disseruerat Augustinus Libro XIV. de Civitate Dei Capite X. „Quid autem (inquiens) *timere, aut dolere* poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum? Ubi nec mors timebatur, nec ulla corporis mala valetudo: nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur: nec inerat, quod carnem animumque hominis feliciter viventis offenderet. *Amor* erat *imperturbatus in Deum;* atque *inter se conjugum* fida, et sincera societate viventium: et ex hoc amore *grande gaudium.* Erat *devitatio tranquilla peccati:* qua manente, nullum omnino aliunde malum, quod contristaret, irruebat.“

Pars altera sequitur, quam Doctor Angelicus his verbis proponit: *Illae passiones, quae possunt esse boni praesentis, ut gaudium, et amor; vel quae sunt futuri boni suo tempore habendi, ut desiderium, et spes non affligens; fuerunt in statu innocentiae, aliter tamen, quam in nobis. Nam in nobis appetitus sensualis, in quo sunt passiones, non totaliter subest rationi: unde passiones quandoque sunt in nobis praevenientes judicium rationis, et impedientes: quandoque vero ex judicio rationis consequentes, prout sensualis aliqualiter rationi obedit. In statu vero innocentiae inferior appetitus erat rationi totaliter subjectus: unde non erant in eo passiones animae, nisi ex rationis judicio consequentes.*

Praeclaram aliam *innocentis hominis* praerogativam in eo positam, quod *falsa adprobaret numquam pro veris,* haud decipi umquam posset, ac sola etiam non duceretur opinione: immo unaquaque de re aut *verum* tamquam de re cognita *judicium* ferret, aut *nullum,* cum res prorsus esset ignota, aut illud suspenderet, si res animo oblatae essent incertae, et ambiguae: luculentissime idem Angelicus Doctor declarat Qu. XVIII. de veritate Art. VI. Verba ejus accipe: „Non solum in statu innocentiae *non potuit error esse,* sed nec qualiscumque *falsa opinio.* Quamvis enim potuerit esse *alicujus boni carentia,* nullatenus tamen esse poterat *aliqua corruptio boni.* Bonum autem intellectus est *cognitio veritatis* . . . Falsitas autem non solum est *carentia veritatis,* sed etiam *ipsius corruptio* . . . Unde cum in *statu innocentiae* non fuerit aliqua corruptio, vel aliquod malum; non potuit esse in eo statu aliqua *falsa opinio.*“ Ampliora pergit eodem in loco docere, quae praedictum innocentiae statum illustrant: „Semper contingit *inordinatio,* quando aliquid movetur a non proprio motivo: sicut si voluntas moveatur a delectabili sensus, cum debeat tantummodo moveri ab honesto. *Proprium* autem *motivum intellectus* est *verum* illud, quod habet infallibilem veritatem: unde quandocumque intellectus movetur a *fallibili signo,* est aliqua inordinatio in ipso, sive perfecte, sive imperfecte moveatur. Unde cum *nulla inordinatio in statu innocentiae* potuerit esse *in intellectu hominis;* numquam *inclinatus* fuisset magis in unam, quam in aliam partem, nisi *ab infallibili aliquo motivo.* Ex quo patet, quod non solum in eo nulla *falsa opinio* fuisset, sed penitus *nulla opinio.* Et quidquid cognovisset, secundum certitudinem cognovisset.“

III. Obvia difficultas occurrit ex *primo Adae peccato*: quod sine pravo mentis judicio haberi non potuisse videtur: nec pravum judicium dari potest, nisi falsum, quippe quo id judicatur bonum, et a voluntate amandum, quod nec bonum est, nec amore dignum. Paucis collectam responsionem habeto, quae alibi latiore sermone pertractatur.

Multiplicem intellectus creati defectum distinguas oportet: scilicet *nescientiam eorum, quae scire quis non tenetur*: tum *debitae carentiam cognitionis*, quae vincibilis ignorantia dicitur: *errorem* praeterea, quo adprobantur vera pro falsis, quod falsum judicium est: *considerationis* denique *defectum*. Primum *nescientiae defectum* ab Adamo removere, perinde foret ac ejus mentem increatam facere: nec enim mens creata scire omnia potest, aut debet. Unde comperta res est, hanc nescientiam statui non posse proximam peccati, quod admiserunt Protoparentes, causam. Non patitur *alterum defectum*, nec *tertium* vita eorum innocens: ubi debuit esse omne bonum integritati naturae conveniens, et omne abesse malum contrarium. Superest *defectus considerationis*.

Hunc *aliquando* negaverit nemo, puram esse putamque *negationem*, ut inquiunt: cum scilicet ad ideas omnes in mente latentes convertere animi considerationem non tenemur: nec enim spiritus creatus omnia simul actu novit, neque animi aciem ad ideas inexistentes tenere semper intentam debet, immo neque potest. At *aliquando* negatio considerationis evadit *privatio*: cum animadvertere, attendere, considerare negligimus pro ea temporis differentia, in qua quidpiam agendum imminet, illudque considerari, ac discuti debet. Culpa non caret haec *considerationis privatio*: et quidem duplici ratione juxta duplicem modum, quo eadem proficiscitur a voluntate. Haec enim duplex distingui debet: *praecedens* altera, et altera *consequens*. Voces istas adhibere placet, quibus notiones conveniunt, quas declaro. *Praecedentem* appello voluntatem, qua *nolumus considerare*, vel qua divertimus animum ad alia consideranda: quo utroque in casu sequitur eorum culpabilis inconsideratio, quae considerare tenemur. Voluntatem alteram, quam voco *consequentem*, eamdem intelligo, atque *pravam culpabilem boni apparentis electionem*, quae judicium inconsideratum consequitur: quatenus videlicet eadem prava electio in ipsum judicium inconsideratum *reflectitur*, illudque adprobat, atque culpabile denominat. Prava qualibet libera electione *reflexe* adprobari, quae ipsam praecedunt, comitantur, et in ipsam inducunt, certum compertumque. Ampliora, quae alibi pertractantur, hoc loco solum delibamus.

Jam vero conditi a Deo in *statu innocentiae* Protoparentes, ab ipso Deo notitiam ipsius acceperunt, castumque amorem: tenebanturque naturali, et divina lege, caetera si quae amarent, *cum relatione in Deum* ultimum finem amare. Cum nondum beati essent; satis erat, ut se suaque omnia, non actu, sed *virtute* semper in Deum referrent: ac praeterea urgebantur praecepto, ut *certis temporibus*, proque circumstantiis occurrentibus in expressam notitiam Dei prodirent, expressamque ipsius dilectionem, adeoque sui suorumque omnium relationem actualem in Deum. Proposita per serpentem

similitudine cum Deo per ea verba, *Eritis sicut Dii;* cogitatio propriae excellentiae in eorum mente, ipsis volentibus, aut non repugnantibus, excitata est. Eam cogitationem ad opus adplicuerunt, lato judicio *de propria excellentia amanda:* eamque amaverunt. Pravus amor hic fuit, *superbiae labe* infectus. In ea namque Daemonis, similitudinem cum Deo proponentis, circumstantia, actu diligere Deum summum bonum, seque suamque excellentiam cum actuali relatione in Deum amare tenebantur. Sed *judicium*, quo pravus propriae excellentiae amor regebatur, non erat *falsum*, sed *inconsideratum:* ejusdemque inconsiderationis reatus non ab aliqua priore, eademque prava, pendebat voluntate. Ex ipso pravo propriae excellentiae amore *consequente*, simulque *coexistente* procedebat: utpote quo, veluti *reflectente*, ipsa judicii inconsideratio adprobata fuit. Quo demum *superbiae* peccato admisso, in alia *gulae*, et *inobedientiae* crimina prolapsi sunt primi parentes: eorumque mens errori, deceptioni, falsisque opinionibus obnoxia facta est; ut jam cum Ecclesiaste dicendum sit, *Deum fecisse hominem rectum, et ipsum se infinitis miscuisse quaestionibus.*

IV. Felicissimum, quem delineavimus, *innocentis hominis* a Deo primum conditi *statum* si consideres; *legesque divinae providentiae* si expendas, quibus constitutum erat, hominem innocentem, si Deo adhaerere voluisset, posterosque ab eo prognatos, si status innocentiae perseverasset, nullo umquam turbandos fore passionis impetu, nullo concupiscentiae motu praeveniente pertrahendos in delectabilia sensuum, neque tenebris ignorantiae implicandos: compertum, certumque fit, *ignorantiam* qua modo laboramus, *motusque concupiscentiae rebelles*, pro poena a justo judice inflicta habendos esse. Haec est validissima argumentatio, qua *commune aliquod* concluditur *hominum peccatum*, quod est *originale.* In hac hypothesi, quam exequi voluisse Deum noverat *Augustinus* ex ipsa Dei revelatione in Scripturis divinis patefacta, urgebat, cogebatque *Pelagianos*, ut ex *ignorantia veri*, et difficultate agendi boni, quam *rebellis concupiscentia* inducit, colligerent veluti *ex poena culpam*, parvulis et adultis hominibus communem, ex Adamo scilicet omnium parente deductam.

Ait ille Libro XXII. de Civitate Dei Cap. XXII. *Omnem mortalium progeniem fuisse damnatam, haec ipsa vita, si vita dicenda est, tot et tantis malis plena testatur.* Luculentiora sunt, quae praecedente Libro XIV. habentur Cap. XV. „Ut breviter dicam, in illius *peccati poena*, quid *inobedientiae*, nisi *inobedientia* retributa est? Nam quae hominis est alia miseria, nisi adversus eum ipsum inobedientia ejus ipsius; ut quoniam noluit quod potuit, quod non potest velit? In Paradiso enim etiamsi non omnia poterat ante peccatum, quidquid tamen non poterat, non volebat: et ideo poterat omnia, quae volebat. Nunc vero sicuti in ejus stirpe cognoscimus, et divina Scriptura testatur (Psalm. CXLIII. v. 4.): *Homo vanitati similis factus est.* Quis enim enumeret, quam multa, quae non potest, velit; dum sibi ipse, idest *voluntati ejus* ipse animus ejus, eoque *inferior caro ejus, non obtemperat?*“ Adami statum exhibet Sanctus Pater, in quo tranquillissima fuisse creditur concordia voluntatem ac rationem inter, et appetitum sentientem atque carnem. Peccante Adamo, non aliam

inobedientiae ejus condignam fuisse poenam ostendit, quam carnis et appetitus inobedientiam. Unde restat, hanc appetitus inobedientiam in hypothesi maxime conditi hominis cum perfecta concordia, habitam esse ab Augustino loco poenae.

Mentem hanc suam aperit Libro II. de peccatorum meritis et remissione Cap. XXII. *Faciebat hoc ordo justitiae* (inquiens), *ut quia eorum* (primorum parentum) *anima famulum corpus a Deo acceperat; sicut ipse eidem Domino suo, ita illi corpus ejus obediret, atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistentia famulatum.* Lege posita, ut corpus, et appetitus congruum animae, et rationi sine ulla resistentia exhiberent famulatum, quamdiu ipsa anima, ac ratio, et voluntas Domino Deo obediret; *ordo justitiae* consurgebat, ut innocentia perdurante, haec nullo modo violaretur integritas. Lapsus est Adam per inobedientiam: ejusque integritas violata fuit in poenam.

Hujusce providentiae leges obversabantur animo Augustini, cum Libro I. de peccatorum meritis et remissione Capite XXXVI. inquiebat: *In illas ignorantiae densissimas tenebras, ubi anima infantis recentis ab utero, utique anima hominis, utique anima rationalis, non solum indocta, verum etiam indocilis jacet; quare, aut quando, aut unde contrusa est? Si natura est hominis sic incipere, et non jam vitiosa est ista natura; cur non talis creatus est Adam?* Non est natura hominis, ac ejus veluti essentia, ut necessario in malis ignorantiae, et concupiscentiae oriri debeat. Talis non fuit creatus Adam, ut Scripturarum testimonia patefaciunt. Si res ergo aliter se habuit in prima hominis conditione, necesse est poenas esse tot mala queis affligimur.

Ignorat nemo, Sanctissimum Patrem in pugna adversum Pelagianos ipsam etiam *recti ordinis ideam*, veluti principium constituisse, ex quo colligebat primum, *animae famulari corpus debere*, ut superiori inferius: tum vero *poenam esse carnis inobedientiam*, quam experimur. Sententia ejus est Libro I. de Doctrina Christiana Cap. XXIV. num. 25. *ut corpus, ejus concupiscentia edomita, sit spiritui subjugatum, naturalis ordo desiderat.* Sit ita: idque *desideret* naturalis ordo. At quinam ordo? Ille scilicet, quem faciunt, et exhibent *divinae Providentiae leges*, revelatione Dei per Scripturas loquentis notae, ac patefactae. Unde satis est Augustinianam argumentationem intelligere *juxta leges illas*, quas a Deo *in prima hominis conditione* statutas fuisse, Scripturarum documentis imbuti cognoscimus. Hinc *ordo* dicitur *naturalis* ea ratione, quod ipsum in ipsius *naturae humanae creatione* constituit Deus: neque ipsum dictum ab Augustino *naturalem*, ratio ulla postulat, acsi ipsa *rei natura*, et *essentia* illum sibi vendicet.

Haud iverim inficias, Augustinum, praetermissa aliquando revelatione Dei, qua leges in prima hominis conditione impositae innotescunt, animum convertisse ad *ideam ordinis* considerandam: ac inde nativo lumine *in conjecturam* abiisse, Numen supremum ita voluisse mentem, seu naturam superiorem unire corpori seu naturae inferiori, ut haec illi non qualicumque modo, sed perfecte subjecta foret, ac obtemperaret, donec ipsa mens, aut superior natura supremo suo Domino Deo adhaereret. Neque enim negari potest, convenientissi-

mam videri rationem, ut in hac mentis cum corpore unione, inferior pars perfecte superiori subjiceretur. *Perfectam* dico subjectionem, quae mentem exhibet cum potestate tum *non consentiendi*, tum *etiam non sentiendi*. Id ergo factum fuisse cum ex divina Scripturarum revelatione nosset Augustinus, ac humana etiam ratione conjectaretur; poterat nihil haesitans redigere Pelagianos, eosque cogere, ut *ignorantiam veri*, et *concupiscentiam carnis*, et *difficultatem bene agendi* faterentur peccati originalis poenam.

V. Non aliud huic inesse argumentationi momentum, vidit Angelicus Doctor, et egregie declarat Libro IV. contra Gentes Cap. LII. Ait ille: *Ex ipsa poena possumus certificari de culpa.* Principium est, quod negaverit nemo. Quam poenam nunc illatam intelligat, his declarat verbis: *Patitur autem communiter genus humanum diversas poenas et corporales, et spirituales. Inter corporales potissima est mors, ad quam omnes aliae tendunt. Inter spirituales autem est potissima debilitas rationis: ex qua contingit quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, et de facili labitur in errorem, et appetitus bestiales omnino superare non potest, sed multoties obnubilatur ab eis.* Jam ergo, ex hisce malis, quae poenae rationem afferunt, *peccati communis* meritum colligere licet: quod est *originale*.

Obvia, quae praesto erat, objectio affertur: *Hujusmodi defectus, tam corporales, quam spirituales, non esse poenales: sed naturales defectus, ex necessitate materiae consequentes. Necesse est enim* (inquit) *corpus humanum, cum sit compositum ex contrariis, corruptibile esse: et sensibilem appetitum in ea, quae sunt secundum sensum delectabilia, moveri, quae interdum sunt contraria rationi.* Satis huic difficultati facit solertissimus Thomas, tum *probabili nativi luminis conjectura*, tum *certa Scripturarum revelatione*. Prima ejus responsio est: „Sed tamen si quis recte consideret, *satis probabiliter* poterit aestimare: divina providentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut *ei dominaretur:* et si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturae contingeret, ejus speciali, et supernaturali beneficio tolleretur. Ut scilicet cum anima rationalis sit altioris naturae quam corpus, tali conditione *credatur* corpori esse conjuncta, quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae, per quam corpus vivit. Et similiter si ratio in homine appetitui sensuali conjungitur, et aliis sensitivis potentiis; quod ratio ab istis non impediatur, sed magis ei dominetur.... Sic igitur hujusmodi defectus, *quamvis naturales homini videntur*, absolute considerando humanam naturam ex parte ejus, quod est *in ea inferius;* tamen considerando divinam providentiam, et *dignitatem superioris partis* humanae naturae, *satis probabiliter* probari potest, hujusmodi defectus esse *poenales*. Et sic colligi potest, humanum genus peccato aliquo esse infectum."

Responsio altera *facto* inhaeret, quod Scripturis divinis revelatum innotescit. „Sic igitur *secundum doctrinam fidei* ponimus, hominem *a principio* taliter esse institutum quod quamdiu ratio hominis Deo esset subjecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset, per aliquod

impedimentum corporale; Deo, et *sua gratia supplente* quod ad hoc perficiendum natura minus habebat. Ratione autem aversa a Deo, et inferiores vires rationi repugnarent, et corpus vitae, quae est per animam, contrarias passiones susciperet.“ Luculentius nihil dici potest. Argumentatio superior, quae *nativo lumine*, ac rerum conditione absolute considerata innititur, *probabilitatem*, ac *verisimilitudinem* non excedit: eademque Scripturis munita, quae factum, aut praesentem providentiam revelant, vim obtinet *demonstrationis.* Recole Caput XLII.

CAPUT XLVIII.

Naturae bonum, et Dei conditoris munus, putabat concupiscentiam Julianus: colligebatque, poenam peccati non esse. Naturae defectum, ac malum quoddam dici eam debere, pluribus argumentis evincit Augustinus. Ejusdem malitia non est moralis.

I. Augustinianae argumentationis, qua premebatur *Julianus*, vires ut convelleret, nullum non movit lapidem. Concupiscentiam pro *defectu*, ac *malo quodam naturae* habebat *Augustinus:* eodemque malo expertem fuisse naturam innocentem, ostendebat tum *probabili* nativi luminis conjectura, tum certa et perspicua *Scripturarum revelatione:* concludebatque, malum illud, quod post peccatum intravit in mundum, loco *poenae* habendum esse. Contra *Julianus*, Pelagianus homo, censebat: non esse concupiscentiam *in malo* positam, sed esse *naturae bonum*, et *munus Dei conditoris:* expertem ejusdem non fuisse in Paradiso hominem, nec esse vindicationis materiam potuisse, nec poenam.

Adeo *bona* Juliano *concupiscentia* apparebat, ut eam primis hominibus concessam diceret, tamquam *munus*, ac *beneficium*, felicitate Paradisi dignum. Dissertissima sunt ejus verba apud Augustinum Libro II. de nuptiis, et concupiscentia Capite IX. *Voluptas ergo ista, quam diabolicam* (tu Augustine) *vis videri; jam in supradictis conjugibus* (Adamo, et Eva, adhuc innocentibus,) *habebatur; quae ut institutione bona, ita etiam benedictione permansit: non enim dubitatur, de hac ad Noe, et ad filios ejus corporum commixtione dictum, cujus jam usus inoleverat: Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Pergit ille Capite X. *Certe hanc concupiscentiam, sine qua nulla foecunditas est, malam naturaliter definisti. Unde ergo per donum caeleste in senibus* (Abrahamo, et Sara) *excitatur? Adstrue jam hoc, si potes, ad opus Diaboli pertinere, quod Deum vides conferre pro merito.*

Paria accipe, quae sequuntur ibidem Capite XII. *Ista corporum commixtio cum calore, cum voluptate, cum semine a Deo facta, et pro suo modo laudabilis, approbatur: quae aliquando etiam amplum efficitur munus piorum.* Et Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite XV. num. 31. *Motum genitalium, idest ipsam virilitatem, sine qua non potest esse commixtio, a Deo dicimus institutam.* Et Libro IV. adversus ipsum Julianum Capite XIII. num. 63. *Si in fructu ligni*

illius haec fuit libido, a Deo facta monstratur: et per hoc bona quoque ipsa defenditur.

Alia sunt, his gemina Juliani testimonia, quae Augustini operibus inserta occurrunt. Mentem ejus clariorem ut habeas, nonnulla profero animadversione digna. 1. Agit *Julianus* memoratis in locis de *concupiscentia*, aut *libidine*, quae sentitur ac viget in mixtione maris, et foeminae: verum perinde est hanc laudibus ornare concupiscentiam, ac aliam omnem, quae in alia delectabilia sensuum objecta impellit. 2. Miscet contentionis aestu percitus Pelagianus homo, et confundit *concupiscentiam* cum *foecunditate*, et *corporum commixtione*; ut quemadmodum ista in bonis conjugibus bona sunt, et aliquando munera Dei; ita eam collocet inter bona, et munera ipsius Dei. 3 Satis evincunt, quae superiore Capite disputata sunt, distinguendam esse *concupiscentiam* a *foecunditate*, et a *commixtione corporum*, immo etiam ab omni delectatione sentientis appetitus, quae rationis imperium consequitur: eamque consistere in motibus corporis, affectibusque quibusdam sentientis appetitus ita excitatis, ut *rationem praeveniant*, nosque *invitos ad sensibilia bona trahant*. Haec est illa *concupiscentia*, quae utrum bona sit, an mala, ad examen revocatur. 4. Bonam cum Julianus dicit concupiscentiam, non eam *bonitatem* intelligit, quam *moralem* appellamus: liberis nempe actibus propriam, imputabilemque ad laudem, ad meritum, ad praemium. Eo bonitatis genere bonam praedicat, quod *naturale* dici potest; acsi non in *defectu naturae* posita esset, sed *effectus* foret, quem Deus pro sua erga homines benevolentia facit in hominibus. Declarat eam exemplo *ciborum*, et *sensuum*: putatque non minus concupiscentiae motus, tametsi *rationem praeveniant*, ad usum honestum vitae, et matrimonii conferre posse; ac cibi conferunt, sensusque a Deo dati, licet his illisque interdum pro sua abutatur homo malitia in peccatum. Hinc Augustinus, cum Adversarii mentem perspectam haberet, haec urget in illum Libro III. adversus eumdem Capite XX. num. 41. *Vis* (Juliane) *intelligamus libidinem bonam, sed homines qui ea male utuntur, esse culpabiles: sicut bona est creatura panis, et vini; quamvis ea male utendo, peccetur.* Ipsius etiam Juliani verba sunt apud Augustinum Libro IV. Capite XIV. num. 73. *Nec vinum ebrietas nec cibum condemnet crapula: nec concupiscentiam infamet obscoenitas.*

Ex his, quae Julianus constituebat principia, sponte fluit, non potuisse *concupiscentiam* infligi *in poenam*: neque enim quod bonum est ac munus, materia vindicationis potest esse. Haud me latet, Julianum *ex ipsa ratione poenae*, quam inesse *concupiscentiae* contendebat Augustinus, deduxisse aliquando concupiscentiam esse bonam: unde videri posset, non eam haeretici hominis fuisse mentem, ut concupiscentiam, tametsi in bonis foret, poenam esse negaret. Verba ejus apud Augustinum prostant Libro V. adversus eumdem Capite III. num. 8. „Inseris alia (ait Augustinus,) de Libro meo verba, ubi dixi: *Carnis inobedientiam inobedienti homini dignissime retributam, quia injustum erat ut obtemperaretur a servo suo, idest a corpore suo, ei qui non obtemperaverat Domino suo.* Et conaris ostendere, *hanc inobedientiam carnis* (Juliani verba sunt) *potius esse laudabilem, si*

poena peccati est. Et tamquam persona sit aliqua, quae peccatorem scienter affligat; sic eam *velut ultricem sceleris,* (alia sunt verba Juliani,) *et in hoc Dei ministram*, tamquam magnum aliquod bonum cothurno sermonis exornas."

Haec *Julianus* dixerat, non quia *poenam esse concupiscentiam* demum sentiret; sed eam ut bonam quolibet arrepto, tametsi minus efficaci, ac levi suaderet argumento, quod occurrebat. Vanam ejus confidentiam castigat Augustinus loco citato: „Nec cogitas, (inquiens) posse te isto modo laudare Angelos malos, qui utique non sunt nisi praevaricatores, et impii: per quos tamen Deus meritas poenas irrogare peccantibus, sancta Scriptura testatur, dicens (Psalm. LXXXVII. v. 49.) *Misit in eos iram indignationis suae, indignationem, et iram, et tribulationem, immissionem per Angelos malos.* Lauda etiam istos, lauda eorum principem Satanam, quia et ipse vindex peccati fuit: quando *ei tradidit* Apostolus (I. ad Corinthios Capite XV. v. 4.) *hominem in interitum carnis* ... Lauda iniquum Regem Saulem, quia et ipse fuit poena peccantium, Domino dicente: (I. Regum Capite XVI. v. 14.) *Quia et hoc fuerat poena peccatoris.* Lauda caecitatem cordis, quae *ex parte* (ad Romanos Capite XI. v. 25.) *Israel facta est.* Nec tacetur quare: *donec plenitudo*, inquit, *gentium intraret:* nisi forte et istam poenam negabis esse: quam si lucis internae amator esses, non solum aliquam, sed valde magnam poenam esse clamares."

Statim vero Capite citato admonet Augustinus num. 9. *Omnia, quae pro sua coeca, et inconsiderata opinione dixerat* (Julianus:) *qua carnis concupiscentiam, eo ipso quod eam poenam diximus esse peccati, non solum non vituperandam, verum etiam laudandam putabat; quamlibet prolixa disputatione in eo fuerit immoratus, certissime evanuisse.* Nimirum ad suae opinionis principia regressus Pelagianus homo, urgebat semper, contendebatque: *bonam esse concupiscentiam,* et *poenam non esse,* propterea quod bona est.

II. Expositum Juliani systema ut everteret, vires omnes intendit Augustinus. Concupiscentiam ille, veluti bonam, ac bonum Dei conditoris munus, proponebat: contra adserebat iste, in malo, defectuque positam esse concupiscentiam. Malum istud in ea reponebat Augustinus, quam ipsa concupiscentia gerit pugnam contra spiritum, qui eamdem sentire et experiri volens nolens cogitur. Exemplo *creaturae panis et vini, quae bona est, quamvis ea male utendo peccetur,* a Juliano adhibito, utitur Sanctissimus Pater, ut ejusdem commentum refellat. Verba sunt Libro III. adversus Julianum Capite XX. num. 41. *Non intelligis, quid loquaris: ut non videas creaturam panis et vini non concupiscere adversus spiritum; sed ipsam potius inhoneste a male utentibus concupisci, et eam forinsecus in nostrum corpus intrare.*

Eodem momento rationis refellit Pelagianum hominem, *belluarum* exemplo utentem; in quibus mala non est concupiscentia. *Haec autem libido* (inquit Libro IV. Capite V. num. 35.) *ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, qua carent.* Hanc magis illustrat differentiam insequente Capite XIV. num. 74. „Jamvero et antea diximus, propterea hoc non esse *in pecoribus* malum, quia in eis *non concupiscit adversus spiritum.* Non enim habent rationem, quam libi-

dines subjugent imperando, fatigentque pugnando . . . . Ne (vero) putaretur, non esse malum carnis concupiscentiam, quia bonum est in pecore; ut eo se oblectet illa natura, cui non potest inesse concupiscentia sapientiae; ideo dictum est, bonum esse pecoris, cujus sine ulla repugnantia delectat spiritum; malum autem hominis, in quo concupiscit adversus spiritum."

Hinc vero patet, quam stolide cum *fecunditate*, quam a Deo Abraham, et Sara acceperant, *concupiscentiam* confuderit Julianus. Augustini verba accipe Libro II. de nuptiis, et concupiscentia Capite X. *Hoc dicit, quasi concupiscentia carnis illis* (Abrahamo, et Sarae) *ante defuerit, et hanc eis donaverit Deus. Quae procul dubio inerat in corpore mortis hujus; sed fecunditas defuit, cujus auctor est Deus; et ipsa donata est, quando voluit Deus.*

Hanc *mali rationem,* quae concupiscentiae inest in homine, versat uberrime *Augustinus* in operibus contra Julianum. Pugnam certe in animo experimur, cum spiritu in bonum honestum tendimus, ab eoque retrahimur concupiscentiae motu, in delectabilia sensuum pertrahente. Malum non est, animum velle delectabilia cum ordine ad finem a ratione praestitutum: id immo ad virtutem attinet. Malum est, et culpa sequi delectabilia, in eisque sistere: ac malum est *in defectu* consistens, quod animus invitus ad delectabilia trahatur, nullo praestituto ordine rationis. Porro *nulla pugna est* (inquit Augustinus Libro V. contra Julianum Capite VII. num. 28.) *sine malo. Quando enim pugnatur, aut bonum pugnat, et malum: aut malum, et malum: aut si duo bona inter se pugnant, ipsa pugna est magnum malum.* Quomodo namque malum non fuerit, famulum sentientem appetitum reluctari reginae menti, et concupiscere contra illam? *Homo es,* (verba sunt Sancti Patris Libro IV. Operis imperf. num. 33.) *qui potius in verecundia, quam facundia persuadere conaris: quod deformitas vel nulla, vel parva sit; ut cum subjecta esse caro spiritui debeat, adversus spiritum concupiscat.* Et Libro VI. alterius operis contra Julianum Capite XIX. num. 62. *Dici nequit, nullam esse iniquitatem, cum in uno homine vel superiora inferioribus turpiter serviunt,* (ut in peccatis, quae patrantur,) *vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiamsi vincere non sinantur,* (ut in motibus concupiscentiae).

Frenum concupiscentiae injici oportere, fatebatur *Julianus:* quo dato principio, malam esse concupiscentiam colligebat *Augustinus.* Juliani verba sunt apud eumdem Augustinum Libro IV. contra ipsum Capite II. num. 7. *Si calor genitalis, conjugalis honestatis minister, ab immoderatis procursibus tam studio fidelium, quam doni virtute retinetur, nec extinguitur per gratiam, sed frenatur; probabilis est* (seu adprobatione dignus) *in genere suo, et in modo suo: et solis accusatur excessibus.* Adversarium ita disserentem insequitur Sanctissimus Pater: *Cur non potius malum vocetur, quod fateris esse frenandum? Cur, quaeso, frenandum, nisi ne noceat? Nisi ne ad illicia, quae desiderat, relaxetur?* Paria sunt, quae habentur Libro VI. contra Julianum Capite XV. num. 46. *Nihil ne mali castigat* (homo sanctus in hoc mortali corpore,) *domat, vincit, opprimit? Nonne attendis, nonne per-*

spicis, quia tam vehementer corpus suum persequens, si nihil ibi persequitur quod displicet Deo, frustra persequendo, facit injuriam magnam Deo?

Reponebat *Julianus*, ex eo quod Sancti adhibent *contra concupiscentiam* studio colligi dumtaxat, malum esse concupiscentiae *excessum*, eaque abuti posse homines: quod exemplo *creaturae panis, et vini* declarabat. Ineptum esse exemplum, ostendit Augustinus: probatque, *magnam* etiam *concupiscentiam* dici debere bonam, si aliqua bona sit. Verba ejus sunt Libro IV. Operis Imperf. in Julianum num. 21. „Tu concupiscentiam carnis, nec quando *immodica* est, vis intelligi malum esse, sed bonum: eosque potius bono male uti, qui ea utuntur immodice. Ac per hoc si concupiscentia carnis bonum est; profecto et *modica* bonum est modicum, et *immodica* bonum est immodicum. Sed modica uti hoc est, ut dicis, bono bene uti; immodica vero uti hoc est, ut dicis, bono male uti. Sicut vinum procul dubio bonum est: omnis enim creatura Dei bona est. Et qui modico vino utitur, bono bene utitur: qui vero immodico vino utitur, bono male utitur. Sed Joannes (Apostolus) numquam diceret, vinum a Patre non esse; sicut *concupiscentiam carnis* dixit (Epistola I. Capite II. v. 16.) *a Patre non esse.* Non igitur invenis, quae concupiscentia carnis non sit a Patre, quia et immodica bonum est apud te: et ille potius non est bonus, qui bono immodico utitur; idest, qui bono male utitur."

Julianus reponebat, concupiscentiam ab Apostolo damnatam intelligi oportere *flagitiosum liberum voluntatis amorem*, quo bona mundi, et carnis amantur contra legem. Arma sua in ipsum torquet Augustinus ibidem num. 22. „Quasi possit esse *luxuria* quam vituperas, nisi consentiatur *concupiscentiae carnis*, quam vituperandam esse non putas; et bonum appellando, insuper laudas? Quid est autem insanius, quam *luxuriam* malum, et *concupiscentiam luxuriae* bonum dicere? Et putare, Apostolum Christi, nomine *concupiscentiae carnis*, non ipsam concupiscentiam carnis, sed potius accusare *luxuriam*, quae nulla est, nisi cum quisque *concupiscentia carnis* illicitur, trahitur, possidetur?" Duo distinguas oportet in luxuria: primo *indeliberatum sentientis appetitus affectum*, quo trahimur inviti in opera carnis ex occasione hujusmodi sensibilium factae in cerebro impressionis: deinde *liberum consensum*, instiganti affectui praestitum. Uterque dici potest *concupiscentia: alia indeliberata*, rationem praeveniens; alia *libera*, quae est liber actus voluntatis, quo sensile bonum delectabile eligitur. Illa ad peccatum inclinat, ista in ipso consistit peccato. Utramque damnat Apostolus, quia utraque mala est; at diversum utriusque genus est malitiae, ut infra dicendum.

Ex hac *instigatione ad peccatum*, evincit Augustinus, eamdem *in malo* positam esse, sive *modica* sit, sive *excedens*. Verba ejus sunt loco citato num. 41. *Quomodo bonum dicitur, quae urget et compellit hominem facere malum, si ei non resistatur? .... Excessus proinde libidinis in peccato est,* (cum peccato carnis peccant homines concupiscentia illecti;) *sed etiam impulsus* (est) *in vitio*, (tametsi peccatum, ad quod impellit concupiscentia, non perpetretur).

III. *Malitiae* genus, quod *omni concupiscentiae* attribuit Augustinus, jam diligentiore opera declarandum. Dici *concupiscentia* non

potest, neque debet *malum morale:* quod nempe imputatur homini, hominem peccatorem denominat, reumque poenae facit, diciturque vere ac proprie peccatum. Id evincit Augustini documentum, quod adhibet passim: tunc solum committi peccatum, cum praebetur concupiscentiae *consensus.* Cur ea peccatum dicatur, quaerit in Libro de perfectione justitiae hominis Capite XXI. Ait vero: *Alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccare sit.* Ait etiam Libro I. de nuptiis, et concupiscentia Capite XXIII. num. 25. *Vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit* (extorquendo consensum:) *sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat,* (occasionem scilicet praebendo, ut pigri fiant homines.) Haec item habet verba ibidem Capite XXVIII. num. 32. *Tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt: sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt quidem* (concupiscentiae desideria,) *sed non eis obeditur; nec malum perficitur, quia non eis obeditur: nec bonum* (perficitur,) *quia sunt. Sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiae malae non consentitur; et ex aliqua parte remanet malum, quia concupiscitur.*

Innocens homo *plena* in vires inferiores potiebatur *potestate:* nec sentientis appetitus motus sentiebat, nisi quos vellet, et quo vellet modo. Tam felix, ac plenum, perfectumque rationalis animi dominium, atque par corporis et sentientis appetitus *perfecta subjectio* iterum in futura resurrectione mortuorum redibunt. Mortali in corpore, quod modo gerimus, caro concupiscit adversus spiritum. Data occasione rerum sensilium, quarum vestigia imprimuntur cerebro, simul excitantur tum imaginationes delectationum sensibilium, ac *indeliberati erga illas affectus,* tum etiam in corpore motus, qui affectus conditioni et indoli conveniunt. Motus istos, affectusque impedire ne insurgant, aut pro nutu compescere cum insurrexerint, potestas nobis non inest: quos immo inviti patimur, ac sentimus. At potestas, quamquam non est *quoad sensum,* attamen adest *quoad consensum.* Libere bonum agimus, instiganti affectui resistentes: eoque tum in peccatum labimur, cum praedictum instinctum libero sequimur consensu.

Rem hanc verissimam confirmat S. Augustinus alio documento luculentissimo, quo docemur: *regnare* numquam in animo concupiscentiam, nisi voluntatis liber accedat consensus. Diserta accipe verba, quae habentur Sermone CXXVIII. alias XLIII. de Verbis Domini Capp. IX. et X. „Modo, quando caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, contentio mortis est: non quod volumus, facimus. Quare? Quia volumus ut nullae sint concupiscentiae; sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas; velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, infestant, surgere volunt. Premuntur, nondum extinguuntur.... Sed facite, quod potestis: quod ait Apostolus (ad Romanos Cap. VI. v. 12.) *non regnet peccatum* (idest concupiscentia) *in vestro mortali corpore, ad obediendum desideriis ejus.* Ecce quod nolo. Mala desideria surgunt; sed noli obedire... quandiu portatis mortale corpus, pugnat contra vos *peccatum* (seu concupiscentia); sed *non regnet.* Quid est *non regnet?* Idest, *ad obediendum desideriis* ejus. Si coeperitis obedire, regnat.“

Geminam sententiam accipe ex Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XXXI. num. 35. „Ad corpus mortis hujus intelligitur pertinere ut alia lex in membris repugnet quidem legi mentis, dum caro concupiscit adversus spiritum; etsi mentem non subjuget, quia et spiritus concupiscit adversus carnem. Atque ita quamvis *lex ipsa peccati* (quae est concupiscentia) captivum teneat aliquid carnis, unde resistat legi mentis; non tamen *regnat* in nostro, licet mortali corpore, *si non obeditur desideriis ejus.*" Paria demum verba sunt Libro II. Operis imperf. num. 226. „Concupiscentiam carnis cohiberi Apostolus praecipit, nec *regnare* permittit: eamque *peccati* nomine appellat: quia ... quisquis ejus motibus ad illicita consenserit, peccat: quae tunc nulla erit in nobis, quando immortale corpus habebimus. Ideoque cum posset dicere: *non regnet peccatum in vestro corpore;* cur addidit verbum, et ait: *in vestro mortali corpore?* Nisi ut tunc speraremus istam, quam *peccatum* vocat, *concupiscentiam* non futuram, quando mortale non habebimus corpus. Nam tu dic nobis, cur non ait: *non sit peccatum in vestro mortali corpore;* sed ait: *non regnet?* Nisi quia ista *concupiscentia,* quae non potest nisi esse in carne mortali, *in eis regnat,* qui desideriis ejus ad mala perpetranda *consentiunt?*"

Tertium Augustini sequitur documentum. Passim docet Sanctissimus Pater, haud nocere baptizatis *concupiscentiam,* sed *consensum:* quo ex loco pronum est colligere, neque in non baptizatis, sive peccatoribus hominibus per sese concupiscentiam peccatum esse. Verba affero, quae habentur Libro II. de peccatorum meritis et remissione Cap. IV. *Concupiscentia, tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur.* Concupiscentiam intellige maxime *habitualem,* quam in privatione sitam jam diximus perfectissimae concordiae, quae corpus inter et animam, ac sentientem appetitum inter ac rationem, inerat in homine innocente a Deo condito. *In parvulis baptizatis a reatu solvitur,* idest a *privatione* praecipuae partis, quae originalem justitiam constituebat, *gratiae,* et *caritatis sanctificantis:* qua permanente, permansisset corporis etiam subjectio ad animam, et sentientis appetitus ad rationem. *Ad agonem relinquitur.* In reformatione lapsi hominis per Christi merita, pars eadem praecipua integritatis instaurata est: partes reliquae non restitutae. *Ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur.* Parvulis baptizatis, ante agonem mortuis, nocumentum infert nullum concupiscentia. Non eos damnat: neque illos motibus suis, quibus resistere oporteret, vexavit, utpote ante rationis usum denatis. *Parvulos non baptizatos reos innectit* (non ipsa per sese, sed ob adjunctam gratiae sanctificantis privationem) *et tamquam irae filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.*

De concupiscentia actuali, motibusque ejus, qui **excitantur in** animo, pergit disserere. *In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus quidquid eidem concupiscentiae mens ad peccandum consentit, propriae voluntatis est; deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu, quo victos originaliter detinebat, ad agonem interim manet: non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura .... Consentientes autem sibi ad illicita, reos tenet.* Docentem habes Augustinum, in

baptizatis hominibus ratione utentibus manere *concupiscentiam:* et hanc *ad agonem* relictam esse. *Nocere* ipsam aliquibus, non omnibus: idque proficisci non ex ea per sese accepta, sed ex libero voluntatis consensu, quem praebent alii, alii negant. Par debet esse de peccatorum, et infidelium concupiscentia, deque motibus ejus sententia: ut ea scilicet tum solum reos illos teneat, cum *in eam consentiunt*, quamquam eosdem, donec peccatores aut infideles manent, semper in aliquam consentire concupiscentiam, notum est compertumque. Varii namque in his insurgunt concupiscentiae motus, quorum aliquibus ad inordinatum propriae excellentiae, propriaeque laudis, et gloriae amorem; aliis etiam ad venereas carnis delectationes; aliisque ad gulae, avaritiae, invidiae facinora inviti pertrahuntur. Singulis resistere valet homo gratiae praesidii adjutus: neque illis omnibus consentit quilibet homo peccator, sed alteri iste, ille alteri. Unde quemque reum tenet concupiscentia, *in quam consentit;* non illa, cui resistit.

Moralis denique *malitiae* immunes esse concupiscentiae motus, ea probat Augustiniana ratio: quia motus illi sunt *indeliberati*, ac *necessarii*, ac rationis advertentiam praevenientes; quos nimirum excitat rerum sensilium impressio in cerebro facta. Quod si eosdem ratio advertat, et illis resistat voluntas, nonnisi invita eosdem patitur. Rem hanc paucis verbis explicat Sanctus Pater in allegato Sermone CXXVIII. alias XLIII. de Verbis Domini Cap. IX. *Volumus ut nullae sint concupiscentiae; sed non possumus. Velimus, nolimus, habemus illas: velimus, nolimus, titillant, blandiuntur, infestant, surgere volunt.* Similes alias mitto Augustinianas sententias plures, quae evincunt, *moralem malitiam* inesse nullam *concupiscentiae*, si libera voluntas desit, quae eam sequatur, et amplectatur. Quod etiam denique evincunt Scripturarum testimonia. Siracides ait Cap. XVIII. v. 30. *Post concupiscentias tuas non eas.* Culpa est *ire* post concupiscentias, non easdem *sentire*. Neque liberos esse concupiscentiae motus, neque proinde culpae labe infectos, pluribus docet Apostolus Paulus. Ait enim ad Romanos Cap. VII. v. 16. *Quod nolo, illud facio.* Perinde est acsi diceret, concupiscentiae motum, quem non vult, experiri se. Et v. 17. *Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Libero scilicet consensu non amplectitur motus in delectabilia sensuum pertrahentes, quos excitat concupiscentia. Et v. 19. *Quod nolo malum, hoc ago.* Invitus nempe concupiscit delectabilia, quae non vult. Ait demum Jacobus in Epistola Cap. I. v. 14. et 15. *Unusquisque vero tentatur, a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Rationalem animum titillant, ac infestant concupiscentiae motus; at nondum est peccatum. Opus est *libero voluntatis consensu*, ut *concipiatur* culpa, *parturiaturque*.

CAPUT XLIX.

Concupiscentia actualis, qua parte rationem praevenit, eique non obtemperat, malum est, quod consistit in defectu: diciturque juxta praesentis providentiae leges malum poenae. Eadem inclinat in peccatum, quin attamen id attingat, quod formale peccati appellatur. Animadversiones. Hinc eadem concupiscentia est malum, quod spectat ad genus mali physici, nocumentum animo inferentis: quod attamen nocumentum non infert ipsa, nisi libero accedente voluntatis consensu. Agitur de malo, quod inest concupiscentiae habituali.

I. *Malum* ergo, quod inesse *concupiscentiae* contra Julianum evincebat Sanctus *Augustinus,* diligentissime discutiendum est. Id in ea primo expendo, quod est *rationem praevenire,* eique non perfecte obtemperare. Id vero est malum, quod positum est in *naturali,* et *physico defectu,* sive carentia tum perfecti dominii in ratione, tum perfectae subjectionis in appetitu: habetque rationem *poenae* juxta praesentes divinae providentiae leges.

Luculentissima est Sancti Thomae doctrina in II. Dist. XXX. Qu. II. Art. I. ubi inquirit: *utrum defectus, quos sentimus, sint nobis quasi poena pro peccato primi hominis inflicta.* Ait ille: „Dicendum, quod ea quae sunt ad finem, disponuntur secundum necessitatem finis... *Finis* autem, ad quem ordinatus est (in praesenti providentia) est *ultra facultatem naturae creatae:* scilicet beatitudo, quae *in visione Dei consistit;* soli enim Deo hoc connaturale est... Unde oportuit, *naturam humanam taliter institui,* ut non solum haberet illud, quod sibi *ex principiis naturalibus* debebatur; sed etiam *aliquid ultra,* per quod facile in finem perveniret. Et quia ultimo fini amore inhaerere non poterat, nec ad ipsum tenendum pervenire, nisi *per supremam partem suam,* quae est mens, et intellectus, seu ratio, in qua imago Dei insignita est, ideo ut illa pars in Deum tenderet, *subjectae sunt vires inferiores,* ut nihil in eis accidere posset, quod mentem retineret, et impediret ab itinere in Deum: et pari ratione *corpus hoc modo dispositum est,* ut nulla passio in eo accidere posset, per quam mentis contemplatio impediretur. Et quia haec omnia *ex ordine ad finem,* ut dictum est, homini inerant; ideo *facta deordinatione* a fine per peccatum, haec omnia in natura humana esse desiere: et *relictus est homo* in illis tantum bonis, quae eum ex naturalibus principiis consequuntur.... Secundum hoc ergo dico, quod *isti defectus* possunt ad naturam humanam *dupliciter* comparari: vel ad eam, secundum quod *in principiis naturalibus suis tantum* consideratur; et sic procul dubio *non sunt poenae ejus,* sed naturales defectus; sicut etiam *esse ex nihilo,* vel *indigere conservatione* est defectus quidam naturalis, omnem creaturam consequens, et nulli est poena. Vel ad eam, *prout instituta est:* et sic procul dubio *poena sunt sibi,* quia etiam *ex privatione ejus* quod gratis alicui conceditur, postquam concessum est, puniri dicitur aliquis."

Nativi luminis conjectura, maximeque Scripturarum revelatione certa edoctus picturam naturae humanae primo institutae delineat, non iis dumtaxat instructae, quae *ex principiis naturalibus debebantur,* sed etiam *aliquid ultra* habentis, quod ejus integritatem efformabat.

In ea non stetit homo praecipua suae integritatis parte, quae est *mentis ad Deum subjectio:* unde justum fuit ut vires inferiores rationi non subjicerentur, et corpus animae. Sunt quidem *defectus naturales*, ad naturalia naturae humanae principia comparati: sunt vero *mala poenae*, si ad eamdem comparentur *primo* institutam. Non solum locum habent inter *negationes*, simplicesque bonorum, quae non debentur *carentias;* sed *privationes* boni debiti evadunt.

Ad inordinatam sentientis appetitus concupiscentiam verba pertinent, quae habentur ad 4. „Dicendum, quod quandocumque multa conveniunt ad constitutionem alicujus, potest alicui eorum aliquid secundum se convenire naturaliter *secundum naturam propriam;* et aliquid convenit sibi *secundam naturam totius.* Patet de elementis, in mixtionem corporis venientibus. Secundum hoc ergo dico, quod *vis concupiscibilis* naturale habet hoc ut *in delectabile secundum sensum tendat;* sed secundum quod est *vis concupiscibilis humana*, habet ulterius ut tendat in suum objectum *secundum regimen rationis.* Et ideo quod in suum objectum tendat *irrefrenate,* hoc non est naturale sibi, *inquantum est humana;* sed magis contra naturam ejus, inquantum hujusmodi. Et secundum hoc *rationem poenae* habere potest: maxime considerata natura humana, secundum quod tota est sub regimine rationis, ut *in prima conditione* fuit.“ Irrefrenatam concupiscentiam habere *poenae rationem* docet Aquinas, *maxime considerata natura humana in prima conditione*, in qua *tota erat sub regimine rationis.* Ipsa ergo per sese *defectus* est *naturalis,* sive ex principiis ipsius naturae humanae sibi relictis consequens. Ad appetitum namque sensitivum spectat ferri *in delectabilia secundum sensum:* idemque, cum plene rationi non subjiciatur, rationem praevenire potest. Hinc vero *pugna contra rationem:* quam ipsa ratio impedire non valet, cum per sese pleno in appetitum sentientem dominio careat. Hinc *irrefrenata concupiscentia* in homine non est *naturalis*, ut ait Sanctus Thomas, idest *rationi conformis*, sed *magis contra rationem;* sed attamen est *naturalis defectus*, qui tum appetitum non perfecte subditum rationi, tum rationem non perfecte dominantem appetitui, sine dubio consequitur. Ampliora Sancti Thomae, quae nullo modo eludi possunt, dabimus infra documenta.

Malum poenae, quod inesse concupiscentiae inordinatae exponimus, amplissime declarat Augustinus. Naturae humanae *primo institutae* felicitatem praemittit: tum miserias enumerat, quas in *poenam peccati* patimur. Ejus est sententia in Libro de peccato originali Cap. XXXV. „Essent procul dubio *nuptiae*, etiam non praecedente peccato: quia neque ob aliam causam viro adjutorium, non alius vir, sed femina facta est ... Absit autem ut opinemur, tales futuras fuisse nuptias *in Paradiso,* ut in eis ad prolem seminandam, *non nutu voluntatis*, sicut pes ad ambulandum, manus ad operandum, lingua ad loquendum, sed *aestu libidinis* membra genitalia moverentur. Nec sicut *nunc* fit, virginitatis integritas ad concipiendos fetus, *vi turbidi vitiaretur ardoris;* sed *obsequeretur imperio* tranquillissimae castitatis... Haec ideo non creduntur, quia in ista mortalitatis conditione, inexperta sunt.“

Aliorum quoque officia sensuum, quae peragenda forent, *sine carnali concupiscentia* agerentur in statu innocentiae, ut ait contra Julianum Cap. XIV. num. 69. Futurus enim fuisset *agendi modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officiis, sine illius motu libidinis, implerentur*. Neque tamen propria cujusque sensus delectatio tunc deesset; sed omnis libera foret a ratione finem et modum praestituente ordinata. Accipe verba, quae ibidem habentur: „Sed ita, ut *omni modo rationali* subdita voluntati, non alias adesset, nisi cum per illam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagini consulendum. Et tanta adesset, ut nulla ex parte *mentem* de supernarum cogitationum delectatione *deponeret:* nullus *supervacuus*, sive *importunus* motus esset ex illa: nihil, nisi prodesset, fieret per illam: nihil omnino fieret *propter illam*."

Decidit hoc statu felicissimo, cum in peccatum lapsus est homo. „*Nunc* vero (inquit loco citato num. 70.) quam se *aliter* habet (concupiscentia)! Qui dimicant adversus eam, hi maxime sentiunt. Ingerit se *videntibus*, vel *audientibus* aliquid, quamvis propter aliud videant, et audiant.... In ipsis *cogitationibus*, etiam quando nihil illecebrarum adjacet oculis, aut insonat auribus, quae non conatur etiam obsoleta, atque sopita, *recordationibus inquietis*, cum turpi delectatione refricare: et castis, sanctisque intentionibus, *tumultu quodam* sordidae interpellationis obstrepere. Jamvero cum ad casum ventum fuerit *necessariae voluptatis*, per quam reficimus corpora, quis verbis explicet quemadmodum nos *modum necessitatis* sentire non sinat; et *ipsum limitem* procurandae salutis, in quaeque si adsunt delectabilia rapiendo, abscondat, et transeat: putantibus nobis, satis non esse quod satis est, dum libenter *ejus provocationibus* ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cum agamus potius cruditatis?" Haec mala sunt, quae in poenam peccati patimur.

II. *Malum aliud* inordinatae concupiscentiae actualis, in eo positum est, quod est *inclinare, trahere, allicere in peccatum*. Quod fides nos docet, hactenus allata *Augustini*, et *Thomae* documenta egregie illustrant. Siquidem inordinata concupiscentia animum fert in delectabilia sensilia bona, rationem praeveniendo, adeoque sine regula, et modo rationis: unde delectabilia ea bona hoc modo si amplecteretur libero consensu, peccaret voluntas.

Sunt vero hujuscemodi sensilia delectabilia objecta, in quae pertrahit concupiscentia, si comparentur ad rationem, alia quidem *illicita*, alia *per sese non illicita*. Ad priorem classem pertinent v. g. opera carnis, in quae *caelibes homines* sentiunt sese pertractos, ac etiam *conjugati* ad ea exercenda cum muliere v. g. non sua. *Malum* innotescit, quod hujusmodi concupiscentiae motibus inest. Ferunt ipsi per sese in bona delectabilia, quae rationi adversa inveniuntur. Ad alteram classem pertinet v. g. *delectatio* in conjugato captanda *cum muliere sua*. Verum enim vero ita concupiscentia in ejuscemodi delectationem inclinat, ut ipsa tamen non offerat rationis ordinem, qui exposcit, ut delectationem capiant conjugati propter finem propagationis, eoque modo qui praedicto fini sane convenit. Unde hac etiam ex parte malum inest concupiscentiae, quae praevenit rationem, eidem-

que non obtemperat. Hanc mali rationem Augustinus declarat Libro IV. contra Julianum Capite II. num. 10. *Si enim*, inquiens; *summum culmen obtinent conjugati pudicitiae conjugalis, faciunt boni aliquid per libidinem*, (seu concupiscentiam, eos trahentem in delectationem:) *quamvis nihil faciunt propter illam.* Finem scilicet propagationis praefigunt, ac modum delectationi imponunt. *Quod si* (libido, aut concupiscentia) *vicerit*, (ut ait ille Capite III. num. 33.) *et propter seipsam, non propter filios propagandos fieri aliquid extorserit voluptas, veniale peccatum est propter nuptias christianas.* Hinc demum colligitur, in conjugatis, qui nihil faciunt propter concupiscentiam, *non bonum concupiscentiae esse, sed bene utentis bonum esse;* ut idem admonet Augustinus Capite II. citato num. 7.

Alio modo istud inordinatae concupiscentiae *malum* declarat Sanctissimus Pater loco citato, et Capite II. num. 7. *Quod ipsa concupiscentia facit, sive ad licitum, sive ad illicitum indifferenter ardescere, utique malum est.* Delectatio namque, quam praeveniens concupiscentia affert, indifferenter ad illicitum licitumque se habet.

Jam vides attamen, praedictam inordinatam concupiscentiam ita dici *inclinare in peccatum*, ut id ipsa minime attingat, quod *formale peccati* appellatur, nempe dissonantiam a lege, et a ratione. Luculentissimam hac de re doctrinam affero, quam habent Carmelitae Excalceati Salmanticenses Tomo IV. Tractatu XIII. Disput. XVI. Dubio IV. §. II. num. 95. „Potest quaeri, quo pacto *concupiscentia* dicatur *ad peccatum inclinare*, an scilicet *formaliter* attingendo ipsam malitiam, et contrarietatem ad rationem: an vero *materialiter*, inclinando ad objecta, quae alias rationi contrariantur .... Supponimus, concupiscentiam, *in quavis parte animae resideat*, semper excludere a suo motivo, *saltem praecisive*, conformitatem cum regula rationis. Nam cum nulla pars animae dicatur *concupiscentia*, nisi formaliter inquantum *destituta est ordine rationis*, quem tribuebat justitia originalis, et ex tali destitutione oriri non valeat conformitas cum praedicta regula: necesse est quod omnis motus concupiscentiae elicitus, circa quaevis objecta versetur, *careat praedicta conformitate.* Et inde est, ut nullus actus formaliter honestus, et virtuosus, etiam si circa delectabilia sensus versetur, concupiscentiae tribuatur.“ Agimus hoc loco de *concupiscentia* rationem praeveniente, et rationi reluctante. Haec igitur a suo motivo excludit, *saltem praecisive*, conformitatem cum regula rationis. Hanc doctrinam accommoda inordinatae concupiscentiae *erga delectabilia spiritualia*, quam residere in ipsa voluntate docuimus Capite XLIV. num. III. et quam inviti sentire cogimur. Aliter se habent sentientis appetitus motus, quos ratio, et voluntas excitant, ac regunt. Hi *passiones* appellantur: aliquo modo libertatem participant, et ipsam *moralitatem* attingunt, ac sunt virtutes, vel vitia. Qua de re adhuc infra dicendum.

„Dicendum est, quod concupiscentia (de qua agimus) *non inclinat ad peccatum, formaliter attingendo ipsam malitiam*, sive contrarietatem ad rationem; sed solum *materialiter*, quatenus inclinat ad objecta sensibilia, quae alias rationi contrariantur: neque ita ad haec determinatur, ut non etiam saepe tendat ad aliqua quae alias rationi conso-

nant, (seu potius quae per sese rationi non adversantur, quibusve ratio bene uti potest, uti superius dicebamus)

„Ratio quoad primum est: quia appetitus (per sese spectatus) nullo modo attingit *ad sphaeram rationis*, neque limites sensibilis naturae transcendit. Atqui *malitia formalis* spectat ad ordinem rationis, et ordinem pure sensibilem excedit. Ergo nequit attingi ab appetitu sic sumpto. Adde, quod appetitus (per sese acceptus) non plura habet in homine, quam in bruto: sed in hoc non est capax attingendi malitiam formalem; ergo neque in illo. Adde secundo, quod malitia formalis nequit attingi per actum omnis libertatis expertem: ergo &c. (Quam ego rationem puto minus validam.)

„Ex quo habetur ratio quoad secundum. Nam appetitus prout sic *indiscriminatim* fertur *ad bonum delectabile*, sive conveniens naturae sensibili: neque ullo modo discernit, vel attendit, an alias consonet, vel dissonet regulae rationis: hoc enim superat conditionem talis appetitus sic sumpti. Sed contingit, aliqua quae rationi consonant, (aut per sese illi non dissonant,) *esse ita delectabilia*, et conformia naturae sensibili, sicut alia quae dissonant. Ita enim potest esse delectabilis *cibus necessarius* et *licitus*, sicut *prohibitus* et *superfluus*, et actus *matrimonialis*, sicut *luxuriosus:* ergo non est, quod appetitus (sic acceptus) determinate feratur in ea, quae rationi dissonant, excludendo quaecumque illi consonant, (aut ab ea non dissonant.) Quidquid ergo homo *ante omnem rationis advertentiam appetit*, sive sit rationi consonum, sive dissonum, dicendum est illum actum *ex concupiscentia* oriri.“ An inquies, haec documenta nimiam redolere subtilitatem scholasticam? Repono ego, maxime ea valere ad intimas concupiscentiae fibras perscrutandas; quas ignorare, aut negligere, perito absolutoque Theologo non licet.

III. Rem ego nonnullis animadversionibus magis illustro. Prima est: actualem concupiscentiam, quae inclinat in peccatum, perperam comparari *habitui vitioso:* hic enim, quemadmodum pravorum liberorum actuum frequentia ingeneratur, ita animum disponit, et habituali quodam modo inclinat in id, quod est *formale peccati*, scilicet in dissonantiam a lege, et a ratione.

Altera est: appetitum sentientem in homine, tametsi frequentius motibus inordinatis rationem praeveniat, et rationi obluctetur, sequi tamen aliquando rationis ductum, et imperium voluntatis: et aliqua pollere libertate ex conjunctione cum eadem dirigente ratione, et voluntate imperante. Hac de re agunt uberius Theologi. Tum vero *rectae rationis* ductum sequi potest, tum etiam *errantis et pravae:* ac priore modo sentientis appetitus actus *ad virtutem* pertinent, *ad vitium* modo posteriore: ac utroque demum modo *moralitatem* attingunt, conformitatem cum lege et ratione si boni sint, dissonantiam si mali, qua dicimus *formale peccati* constitui. Laudatos Theologos Salmanticenses consule loco citato a num. 92.

Tertio animadverte: latum esse *concupiscentiae*, qua de agimus, discrimen *a cibis, et sensibus*, quorum exemplo abutebatur Julianus: tum quia hujuscemodi res sunt objecta exteriora, et non consistunt in *actu interno*, rationem praeveniente, eique obluctante: tum quia

per sese utilitatem praestant ad bonos fines, nec aliquid habent, quod non posset honeste amari, aut eligi: tum demum quod inordinata concupiscentia, nonnisi tamquam *defectu* et *malo quodam*, bene uti possunt honesti homines, *eam scilicet frenando*, et *intra rationis limites continendo*.

Postrema animadversio latissimum quoque discrimen offert ab illis divinae gratiae indeliberatis et necessariis motibus, quos vocant *Spiritus sancti instinctus*, a Deo immissis, ad bonum nos pertrahentibus. Hi namque *ad bonum honestum* pertrahunt: *ad bonum delectabile sensus* trahunt concupiscentiae motus. Voluntatem illi alliciunt, ut *rationis ordinem sequatur*, et custodiat; isti *rationis ordinem nullum* offerunt, ac praebent voluntati occasionem, ut citra rationis ordinem consentiat. Sic illis tangitur homo intrinsecus, ut Deus *legibus* etiam externis voluntatis consensum solicitet: ut istis consensum deneget, lege imperat Deus, suadetque interius per immissos pios animi affectus. Isti demum *rationem praeveniunt:* et cum sint motus necessarii, tametsi inclinent in peccatum, non id attingunt, quod est *formale peccati*. At illi a Deo immittuntur, ut *rationem experrectam*, et *advertentem faciant:* ac licet sint actus necessarii, ad illud trahunt quod est *formale in actu bono*. Vide Caput insequens num. III.

IV. Sponte jam fluit, inordinatam concupiscentiam actualem ad genus *mali naturalis, et physici* spectare, quod *nocumentum animo inferre potest*. Physice bona dici potest comparata ad appetitum sentientem per sese sumptum; sed mala est, si comparetur ad animum rationalem, cum quo pugnat, et eidem nocere potest. At istud nocumentum infertur numquam, *nisi liber accedat voluntatis consensus*. Rem, quam docet fides, luculentissimis illustravimus *Augustini* documentis Capite superiore num. III. Neque vim concupiscentiae motibus tantam inesse putes, quae voluntatis consensum infallibiliter, aut necessario extorqueat. Accipe egregiam Thomae doctrinam Qu. IV. de Malo, Art. II. ad 10. *Concupiscentia, secundum quod est aliquid peccati originalis, non nominat necessitatem consentiendi motibus concupiscentiae inordinatis; sed nominat necessitatem sentiendi. Quae quidem manet post baptismum; sed non manet cum carentia originalis justitiae, ex qua est reatus poenae.* Carentiam intellige *justitiae originalis*, qua parte per gratiam sanctificantem ac praevalentem caritatem mens Deo subjicitur in baptismo.

Hinc vero Theologi sunt, qui animadvertentes, animo rationali nocumentum inferre nullum concupiscentiam posse, nisi liber accedat voluntatis consensus, eam ullo sine periculo erroris dixere *inclinare in peccatum formaliter sumptum:* scilicet non *per sese*, sed *per accidens*, mediante scilicet libero consensu, quem praestat voluntas delectationi secundum sensum, per inordinatos concupiscentiae motus in animo excitatae. Haud operae dispendium est, in hujuscemodi varios loquendi modos notas appingere.

V. *Malum* denique sequitur, quod inest *concupiscentiae habituali*. In *defectu* consistit, quem facile intelligimus exemplo *potentiae peccandi*, in rationali quacumque creatura inexistenti. Creatura nempe, cum *ex nihilo* facta sit, non habet omnem perfectionem, neque sibi

sua regula est. Nil aliud ergo est *potentia peccandi*, nisi voluntas ex nihilo facta: idque, quod *formale* ipsius vocatur, consistit in defectu, in carentia, in negatione totius perfectionis.

Quidpiam aliud addit *concupiscentia habitualis*, nempe carentiam in mente pleni dominii in appetitum sentientem, et carentiam perfectae subjectionis in eodem sentiente appetitu. Utraque perfectione pollebat gratuito Dei favore homo innocens: unde in homine lapso quod est *per sese* simplex *carentia*, et *negatio*, evadit *privatio*, ac *poena: quia etiam ex privatione ejus, quod gratis alicui conceditur, postquam concessum est, puniri dicitur aliquis*, ut Aquinatem docentem audivimus in II. Dist. XXX. Qu. II. Art. I.

CAPUT L.

Quomodo fiat praedicta mentis pertractio in peccatum per inordinatos concupiscentiae motus; et quaenam sit ejusdem pertractionis vis. Agitur de motibus concupiscentiae, in ipsa voluntate residentis. Obiter etiam pii salutares indeliberati, ac necessarii affectus expenduntur.

I. Tametsi inordinati concupiscentiae motus, cum insurrexerint, nos etiam invitos in peccatum pertrahant; nihilominus haec effrenis concupiscentia, *secundum quod est aliquid peccati originalis, non nominat necessitatem consentiendi, sed nominat necessitatem sentiendi*. Scripturarum, et Sanctorum Patrum doctrina est, quam paucis verbis comprehensam proponit Sanctus Thomas loco superius citato, Qu. IV. de Malo Art. II. ad 10. Uberrime declarat ipse pluribus in locis, quo fiat modo haec animi inclinatio, allicientia, pertractio in peccatum per inordinatos concupiscentiae motus: eaque promit documenta, quae demonstrant, liberam voluntati relinqui facultatem consentiendi, et non consentiendi.

Id vero inconcussi principii loco passim constituit: appetitu sentiente, ejusque motibus moveri non posse voluntatem, nisi *indirecte*, et *ex parte objecti*. Loca prostant luculentissima 1. 2. Qu. IX. Art. II. et Qu. X. Art. III. et Qu. LXXVII. Art. II. Verbis uti liceat Francisci Sylvii in Commentario ad locum priorem. „Appetitus sensitivus (aut concupiscentiae motus) non movet hominis voluntatem *directe*, et *efficienter*, eam scilicet impellendo, et in ea operando; sed solum *indirecte*, et *ex parte objecti*, invitando scilicet, et alliciendo eo modo, quo objectum (vel finis) potest allicere, seu movere potentiam-“ Id vero contingit multiplici modo.

Ac primo quidem: „quia *passio*, quae in homine suscitatur, saepe in causa est cur *cognitio varietur*, et cur *aliquod objectum appareat bonum*, ideoque voluntatem alliciat: quod *tali passione absente* nec bonum appareret, nec voluntatem alliceret.“ Intellectus quippe in deliberatione, quam peragit de re bona voluntati proponenda, *rationes convenientiae* perquirit, et expendit: ac sane objecti occurrentis *convenientiae* variantur juxta varias hominis dispositiones, sive quoad superiorem animae partem seu voluntatem, sive quoad inferiorem, seu appetitum sentientem, ipsumque corpus. Hinc vero cum homo se

per motus concupiscentiae intime sentiat in delectationes sensibiles pertractum, istas homini convenientes contingit ab intellectu judicari, ac amandas voluntati proponi. Clariora sunt Thomae verba, quam quae exponi debeant, 1. 2. Qu. IX. citata Art. II. „Dicendum, quod id quod apprehenditur *sub ratione boni*, *et convenientis* movet voluntatem *per modum objecti*. Quod autem aliquid videatur bonum, et conveniens, ex duobus contingit: scilicet *ex conditione ejus quod proponitur*, et *ejus cui proponitur*. Conveniens enim *secundum relationem* dicitur: unde ex utroque extremorum dependet. Et inde est quod iste *diversimode dispositus*, non eodem modo accipit aliquid, *ut conveniens*, et *ut non conveniens*. Unde Philosophus dicit 3. Ethicor. *Qualis unusquisque est*, *talis finis videtur ei*. Manifestum est autem quod *secundum passionem appetitus sensitivi immutatur homo ad aliquam dispositionem*. Unde secundum quod homo est *in passione aliqua*, videtur sibi aliquid *conveniens*, quod non videtur ei *extra passionem* existenti; sicut irato videtur bonum, quod non videtur quieto. Et per hunc modum *ex parte objecti* appetitus sensitivus movet voluntatem.

Modum alterum, quo passio, aut motus appetitus sentientis *indirecte* voluntatem movet, Sylvius proponit in Commentario citato cum Sancto Thoma: „Quandoque etiam *passio* (inquiens) appetitus sensitivi *indirecte* movet voluntatem alio modo, quatenus *eam distrahendo* impedit, ne actus sibi convenientes exerceat.“ Id modo duplici contingit. Utrumque exponit idem Sylvius 1. 2. Qu. LXXVII. Art. I.

Ac *primo*, inquantum passionum motus *mentem abstrahunt a consideratione ejus*, quod recta ratio dictat: praesertim quando sunt *vehementiores*. Per illam enim vehementiam contingit quod *ratio* circa proprium objectum vel *cesset operari*, vel *languide operetur*: atque ita homo sequatur impetum passionis, formando *judicium practicum ei passioni conveniens*. Ex quo deinde voluntas operatur juxta illud. *Secundo*, inquantum passionem appetitus sensitivi sequitur *apprehensio per imaginationem*.“ Imaginationem boni sensibilis, sub qua sentientis appetitus passio excitatur, distingue ab alia apprehensione per imaginationem, quae motum ipsum appetitus sequitur, acuitur, et fit vehementior. „Hanc vero *imaginationem* praecipue *vehementem*, plerumque sequitur *judicium rationis*, ac deinde *motus voluntatis*.“ Ita mente abstracta, sibi facilius *passio*, aut *delectabile passionis objectum* locum parat, ad movendam voluntatem: movet autem ipsam numquam, nisi *indirecte*, et *ex parte objecti*.

Ferme clariora sunt, quae loco citato Aquinatis verba habentur. Ea accipe: „Dicendum, quod *passio* appetitus sensitivi non potest *directe* trahere, ac movere voluntatem; sed *indirecte* potest. Et hoc *dupliciter*. Uno quidem modo, *secundum quamdam abstractionem*. Cum enim omnes potentiae animae in una essentia animae radicentur; necesse est quod quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur, vel etiam totaliter in suo actu impediatur. Tum quia omnis virtus, ad plura dispersa, fit minor: unde e contraria quando intenditur circa unum, minus potest ad alia dis-

pergi. Tum quia in operibus animae requiritur quaedam intentio, quae dum vehementer applicatur ad unum, non potest alteri vehementer attendere. Et *secundum hunc modum*, per quamdam distractionem, quando motus appetitus sensitivi fortificatur secundum quamcumque passionem; necesse est quod remittatur, vel totaliter impediatur motus proprius appetitus rationalis, qui est voluntas. Alio modo *ex parte objecti voluntatis*, quod est bonum ratione apprehensum. Impeditur enim judicium, et apprehensio rationis propter vehementem et inordinatam apprehensionem imaginationis, et judicium virtutis aestimativae, ut patet in amentibus." Phantasticas apprehensiones plures, et facultates distinguebant Philosophi veteres." Manifestum est autem quod passionem appetitus sensitivi sequitur imaginationis apprehensio, et judicium aestimativae.... Unde videmus, quod homines in aliqua passione existentes, non facile imaginationem avertunt ab his, circa quae afficiuntur. Unde per consequens *judicium rationis plerumque* sequitur passionem appetitus sensitivi; et per consequens *motus* (vel amor) *voluntatis*, qui natus est semper sequi judicium rationis."

Num vero passio, aut inordinatus sentientis appetitus motus, tametsi *vehemens*, ac *vehementer inclinans* in delectabile secundum sensum, aliquam inferat voluntati necessitatem consentiendi? Minime. *Indirecta* namque est hujuscemodi pertractio, et *ex parte objecti:* quatenus intellectus, qui deliberat *de re bona* voluntati proponenda, sumit *ex motu passionis* occasionem eidem proponendi bonum delectabile, relicto bono rationis. Haec vero, quae dicitur *allicientia*, et *pertractio ex parte objecti*, ac instar finis, vi caret omni necessitatem imponendi. Ampliore sermone rem illustrat Sanctus Thomas 1. 2. Qu. X. Art. III. ubi quaerit, *utrum voluntas moveatur de necessitate ab inferiori appetitu.* Ejus verba sunt: Dicendum, quod *passio* appetitus sensitivi movet voluntatem *ex ea parte*, qua voluntas movetur *ab objecto:* inquantum scilicet homo, aliqualiter *dispositus per passionem*, judicat aliquid esse *conveniens*, et *bonum*, quod *extra passionem* existens non judicaret."

Hujusmodi autem *immutatio hominis per passionem*, duobus modis contingit. Uno modo sic, quod *totaliter ratio ligetur*, ita quod homo usum rationis non habeat; sicut contingit in his, qui propter vehementem iram, vel concupiscentiam furiosi, vel amentes fiunt, sicut et propter aliquam aliam perturbationem corporalem. Hujusmodi enim passiones, *non sine corporali transmutatione* accidunt: et de talibus eadem est ratio, sicut *de animalibus brutis*, quae ex necessitate sequuntur impetum passionis: in his enim non est *aliquis rationis motus*, et per consequens *nec voluntatis.*" Intacta ratio, aut voluntas manet. Corporei motus, ac vestigia cerebri deordinantur. Unde *totaliter ratio ligari* dicitur: non ipsa immutatur, acsi hanc in ea passio immutationem imprimeret.

„Aliquando autem *ratio non totaliter absorbetur* a passione, sed remanet quantum ad aliquid *judicium rationis liberum* (aut expeditum) et secundum hoc remanet aliquid *de motu voluntatis.* Inquantum ergo *ratio manet libera*, et passioni non subjecta; intantum *voluntatis*

motus, qui manet, *non ex necessitate* tendit ad hoc, *ad quod passio inclinat.*"

Neque solum passio *necessitatem* non infert, sed neque ullum habet *infallibilem nexum* cum voluntatis consensu. Praesto sunt verba Thomae ad 2. „Cum in homine duae sint naturae, *intellectualis* scilicet, et *sensitiva:* quandoque quidem est homo *aliqualis uniformiter secundum totam animam*, quia scilicet vel pars sensitiva totaliter subjicitur rationi, sicut contingit *in virtuosis;* vel e converso ratio totaliter absorbetur a passione, sicut accidit *in amentibus*. Sed aliquando, etsi *ratio obnubiletur a passione*, remanet tamen *aliquid rationis liberum:* et secundum hoc potest aliquis vel *totaliter passionem repellere;* vel saltem *se tenere*, ne passionem sequatur. In tali enim dispositione, quia homo *secundum diversas partes animae diversimode disponitur;* aliud ei videtur *secundum rationem*, et aliud *secundum passionem*." Gemina sunt in Operibus Thomae frequentissima documenta. Ad rem qua de agimus, satis superque sunt quae descripsimus.

II. Concupiscentiam in *ipsa etiam voluntate* residere, adnotavimus Cap. XLIV. num. III. ejusque inordinatis motibus invitam pertrahi hanc hominis partem superiorem in delectabilia. His *immediate* affici, et pertrahi voluntatem, compertum est: cum sentientis appetitus inordinati motus *remotius* habeant sese. Non alia nihilominus eisdem inest vis movendi voluntatem ad consensum, nisi *indirecta*, et *ex parte objecti*. Deliberanti namque intellectui de bono, quod voluntati proponi debeat amore dignum, occasionem praebent illi inordinati motus, ut illud bonum judicet, quod voluntati convenit per eosdem motus inordinatos dispositae. Superius dicta consule, et quae numero insequente adnotamus.

III. Pios etiam salutares, eosque indeliberatos pariter ac necessarios, ad bonum pertrahentes, qui dici solent *instinctus Spiritus sancti*, a Deo in nobis fieri sine nobis, dubium nullum. Quid vero? Tametsi id habeant illi (ut obiter admoneam), quod ipsam *immediate* afficiant, ac bene disponant, et inclinent voluntatem ad salutare bonum; non attamen ad liberum deliberatumque consensum eamdem voluntatem pertrahunt, nisi *indirecte*. Id efficiunt, quod *qualis unusquisque est* (ut ait Aquinas) *talis finis*, qui diligi debeat, *videatur ei*. Nimirum divinitus immisi praedicti salutares affectus, queis bonum salutare dulcescit, placet, ac delectat, bonum idem libero voluntatis consensu amplectendum proponunt; aut certe intellectui, qui voluntatis actus dirigit, occasionem et ansam praebent, ut judicio suo eidem voluntati bonum proponat, quod piis praedictis affectibus conforme est, ac voluntati bene per eosdem affectus dispositae convenit.

Discrimina *pios praedictos affectus divinitus immissos* inter, ac *inordinatos motus concupiscentiae*, sive in appetitu sentiente, sive in voluntate residentes, adsignavimus plura superiore Capite num. III. Insigne aliud accipe. Concupiscentiae motus non feruntur pro data occasione, nisi in *singularia delectabilia bona:* ac pares etiam a Deo immittuntur affectus pii erga *singularia honesta, ac salutaria bona*. Verum dantur etiam divinitus immissi pii affectus, qui *universalitatem* habent *ex parte objecti*, in quod ipsi pertrahunt. Utique volun-

tatem gratia sua aliquando *excitat* Deus per eos, quos immittit pios affectus, ad *singularia bona officia*, quae agenda sunt; sed *universaliores* etiam pios affectus immittit erga magis ampla officia bona, v. g. *justitiam, pudicitiam, poenitentiam,* virtutes alias, quae alia complectuntur magis particularia, aut singularia officia. Id habent vero utriusque generis affectus, ut voluntatem *indirecte*, et *ex parte objecti* ad liberum moveant consensum, bonum scilicet veluti proponentes objectum. At illi praeterea, qui *universalitatem* habent, voluntati tribuunt potestatem *in efficientis* etiam *causae genere:* ut scilicet valeat ipsa ex *amore* v. g. *pudicitiae* se movere in amorem particularis officii ejusdem pudicitiae, et ex *amore poenitentiae* in amorem quo v. g. eligit jejunium, aut peccatorum confessionem, et similia. Haec vero *potestas*, ac etiam *pertractio ad bonum* ad genus *gratiae sufficientis* pertinent.

Consectarium est compertissimum, praedictam potestatem, cum in sola *sufficientia* per sese consistat, voluntatis actum non utique necessario, sed nec infallibiliter trahere. Sed neque prior illa piorum affectuum pertractio, cum sit *indirecta*, et *ex parte objecti*, ac *instar finis* allicientis ad consensum, vi ulla pollet, quae necessario, vel infallibiliter liberum consensum extorqueat. Luculentissima iterum affero Sancti Thomae verba Qu. VI. de Malo Art. I., quae hujuscemodi affectuum, sive boni sint, sive pravi, vim declarant. „Quod voluntas (inquit) feratur in id *quod sibi offertur*, magis secundum hanc particularem conditionem, quam secundum aliam conditionem, potest contingere ... *ex dispositione hominis:* quia secundum Philosophum, *qualis unusquisque est, talis finis videtur ei.*“ Modum illum ex Aquinate affero, qui maxime praesens ad institutum facit. „Unde aliter movetur ad aliquid voluntas *irati*, et voluntas *quieti;* quia non idem est *conveniens* utrique; sicut etiam aliter acceptatur cibus a sano, et aegro. Si ergo *dispositio*, per quam alicui *videtur aliquid bonum et conveniens*, fuerit *naturalis*, *et non subjacens voluntati;* ex *necessitate naturali* voluntas praeeligit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant *esse*, *vivere*, *intelligere.*“ Voluntatis erga hujuscemodi objecta necessitatem intellige *quoad speciem:* si namque in aliquem erga ipsa velit actum prodire voluntas, esse is debet *amor*, non odium, non fuga, non aversatio. Manet vero integra in voluntate libertas *quoad exercitium* amandi, vel non amandi. „Si autem sit talis *dispositio*, quae non sit *naturalis*, sed *subjacens voluntati;* puta cum aliquis disponitur *per habitum*, vel *passionem* (aut inordinatum concupiscentiae motum, aut etiam pium divinitus immissum affectum) ad hoc quod *sibi videatur aliquid vel bonum, vel malum in hoc particulari*: non *ex necessitate* (neque quoad exercitium, neque quoad speciem) movetur voluntas, quia *poterit hanc dispositionem removere*, ut sibi *non videatur aliquid sic:* ut scilicet cum aliquis quietat in se iram, ut non judicet de aliquo tamquam iratus.“ Hanc vero *dispositionis remotionem*, quae multiplici fieri modo potest, paucis ibidem exponit Aquinas ad 15. *Quia potest per ipsam voluntatem impedimentum praestari: vel removendo talem considerationem, quae inducit ad volendum; vel considerando oppositum; scilicet quod id, quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum.*

Quod utique impedimentum posse demum voluntatem piis divinitus immissis affectibus ad bonum pertrahentibus opponere, veritas est lucidissima. Thomae verba affero, quae habentur Lectione VI. in Caput XV. Joannis: „Christus attrahit verbo, signis visibilibus, et invisibilibus: *scilicet movendo, et instigando interius corda.* Proverbior. 21. *Cor Regum in manu Dei.* Est ergo opus Dei *interior instinctus ad bene agendum.* Et qui *ei resistunt* peccant: alias frustra dixisset Stephanus Actor. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Haec itaque cum sit hujuscemodi piorum affectuum *pertractio ad bonum*, ac *pertractionis conditio*, consectarium elicitur manifestissimum, in eisdem, eorumque ad bonum pertractione *efficaciam divinae gratiae* non consistere. Haec vero ita ex *antecedente* humanae libertatis usum *absoluto divinae voluntatis decreto* repetenda est, ut ejus potentissimam secum ipsa *intime*, ac *per se* deferat vim, infallibiliter determinandi, et adplicandi voluntatem, ejusque vires, ac potestatem, et sufficientiam, quae praesupponuntur, ad actum, easque conjungendi cum actu. Argumenti, quod versamus, conditio exposcit, ut obiter divinorum auxiliorum *sufficientiam*, et *efficaciam* indicemus. Consule, quae docuimus in dissertatione *de Gestis, et Scriptis, ac Doctrina Theophylacti Bulgariae Archiepiscopi* Cap. XXII. num. 90 et 91. Vide Caput superius XLV. num. VI.

CAPUT LI.

Ita peccati poenam Bajani, et Janseniani statuunt concupiscentiam, et ignorantiam, ut salva justitia non potuerit hominem innocentem cum his malis condere Deus. Possibilis purae naturae status, in quo ignorantia laboraret homo, motibusque concupiscentiae obnoxius foret, declaratur. Illum non inficiatur, sed permittit Augustinus. Hanc ab ipso opinionem aliquando revocatam, perperam contenditur. Luculentissimis documentis favet Angelicus Doctor.

I. *Augustini* mentem in ea, qua contra Pelagianos ex animi vitiis, *ignorantia* videlicet, et *concupiscentia*, peccatum originis inferebat argumentatione, *praesentem providentiam Dei* spectasse ostendimus circa primi hominis conditionem. Ita supremum Numen condere hominem voluisse, ut omnis in eo rectitudo effulgeret, quatenus Deo subjiciebatur mens, appetitus menti, et animae corpus; ac ita constitutum fuisse, ut prima subjectione mentis erga Deum custodita, reliquae naturae integritates permanerent, tum nativo lumine conjectabatur *Augustinus*, tum praesertim *manifesta Dei revelatione*, quae per divinas innotescit Scripturas, certo demonstrabat. Pronum erat exinde colligere, corporis et sentientis appetitus *inobedientiam*, quam experimur in hoc mortali corpore, ac *ignorantiam* qua laboramus, loco *poenae* habendas esse: propterea quod hisce malis justitia praescribit mulctari hominem, qui cum posset Deo obedire, noluit, ac lumine quo potiebatur, uti cum deberet, neglexit. Genus vero omnium hominum cum Sanctissimus Pater his obnoxium vitiis observaret, *commune* aliquod *peccati meritum* inesse hominibus inferebat, quod est peccatum a communi parente traductum; opinationemque Juliani, qui *concupiscentiam* veluti *natura sua bonam* laudabat, inficiabaturque materiam esse posse ultionis, aut poenam, validissime profligavit.

At *poenae rationem*, non solum *juxta praesentis providentiae leges*, verum etiam qualibet alia facta hypothesi, inesse *concupiscentiae*, et *ignorantiae*, nec istas in homine ante peccatum dari posse, contendunt *Bajani* homines, et *Janseniani*, possibilemque inficiantur *purae naturae statum:* in quo, sine praevio peccati merito, salva justitia Dei, ignorantia laboraret homo, motibusque passionum rationem praevenientibus, et rationi reluctantibus foret obnoxius. Bajanorum thesis est in Bulla Pii V. quinquagesima quinta: *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Theseos doctrinam vindicat Jansenius tribus editis *de statu purae naturae* libris.

II. Statum *purae naturae*, ad divinam *omnipotentiam* comparatum, *possibilem* nos dicimus: itemque possibiles *convenientissimas rationes* dari potuisse fatemur, *divinae sapientiae*, et *bonitati* consonas, propter quas puram naturam cum praedictis ignorantiae, et concupiscentiae defectibus condere *posset* Deus, ac *sapienter* vellet. Augustini, et Thomae Aquinatis agenda res est disertissimis documentis. Aequivocationis ansa in antecessum praecidenda est animadversione prolata Carmelitarum Excalceatorum Salmanticensium Tomo IV. Tractatu XIII. Disput. XVI. Dubio IV. §. 11. num. 99. „Loquendo *de concupiscentia, prout nunc est,* (inquiunt,) non daretur in *illo statu:* quia licet natura in suis potentiis eodem modo esset destituta rectitudine rationis; haec tamen destitutio non esset *privatio,* sed *negatio dumtaxat:* unde neque ejus carentia haberet rationem mali, sicut modo habet; neque aliquam requireret causam, (cum esset defectus, conditionem naturae ex nihilo factae consequens).“ In *praesenti statu* subjectio corporis, ac virium inferiorum collata a Deo fuit primo homini, sibi ab ipso supremo Numine quodammodo statuta lege, eamdem conservandi subjectionem, quamdiu mens hominis obediret Deo. Hinc eadem rectitudinis destitutio, ac subjectionis carentia *praesenti in statu* evadit *privatio,* ac *poenae malum* est.

„Si vero loquamur de concupiscentia, *quantum ad effectus;* eosdem haberet *tunc*, quos *nunc* habet. Quia cum anima, et potentiae carerent omni ea perfectione, quam de facto per peccatum amiserunt; eodem modo propenderent ad bona sensibilia, sicut de facto: et eodem modo appetitus sensitivus judicium rationis anteverteret, et ad malum inclinaret, (quo superius modo explicatum est). Neque quantum ad hoc aliquid refert, quod illa carentia esset *negatio*, vel *privatio.* Si vero postules, an talis *carentia negativa* appellaretur concupiscentia, sicut *privativa* nunc appellatur? nemo tibi dicet, quo vocabulo homines illius status eam nuncuparent: nomen autem, quod de facto habemus, pro sola hac nostra *carentia privativa* inventum videtur. Neque erit inconveniens, si etiam extendatur *ad negativam,* quae esset in praedicto statu; dummodo caute, et sine periculo eas confundendi, id fiat.“ Hanc puto necessariam, dignissimamque animadversionem.

III. Statum hujusmodi, tametsi data opera versaverit numquam *Augustinus,* satis indicat, ac permittit. Unius Dei bonitatem, sanctitatem, et justitiam, in cujus reprehensionem mala hujus vitae, corporis aerumnas, et vitia animi, advocabant *Manichaei,* pro virili vi-

dicat ille Libro III. de libero Arbitrio Capite XX. Quatuor distinguit modos num. 56. et 57. et 58. quibus animas a Deo produci, et corporibus conjungi, excogitare mens nostra valet. 1. Si *omnes animae ex una peccatrice anima*, via seminali, per carnalem propaginem traducerentur. Inter opiniones eo tempore reputabatur, animam ex anima traduci via quadam seminali. 2. Si *animae singulae in singulis corporibus a Deo per creationem infundantur*. Communior haec erat sententia, eademque modo ab omnibus jam probata. 3. Si omnes *in secreto aliquo loco prius existentes*, ad informanda postmodum corpora mittantur. 4. Si *ad corpora sponte sua delabantur ipsae*. Duo postremi modi ad *Commentum Origenianum* spectant.

Ad nostrum attinet institutum *secundus modus:* in quo tamen *duplex* ab Augustino satis indicatur *hypothesis*. Prima est, in qua primus a Deo conditus homo, *propria voluntate effectus peccator*, subeat cum posteris ab eo prognatis, poenae loco, ignorantiam veri, et difficultatem agendi boni, quam infert concupiscentia rebellis. Altera est, in qua anima corpori infusa, *sine praecedente peccati merito*, his malis obnoxia inveniatur. Nisi duas hujusmodi hypotheses distinxerit Sanctus Pater, diminute numerasset modos, quibus animam, vel hominem praedictis malis obnoxium esse, excogitari potest. Hypothesim primam, quae immo *thesis* est *catholicae fidei*, his verbis declarat: *Si autem singillatim fiunt* (animae) *in unoquoque nascentium, non est perversum, immo convenientissimum, et ordinatissimum apparet, ut malum meritum prioris* (animae, vel hominis) *natura sequentis sit, et bonum meritum sequentis natura prioris sit.* Idest ordinatissimum apparet, ut malum meritum prioris, scilicet *Adami peccantis*, sequentis *ab eo prognati* natura sit: idest ab ejus nativitate ipsi inhaerens, in ipsumque propagatum; quemadmodum si quod est bonum meritum sequentis, natura fuisset prioris, ipsi nempe in ejus creatione ab initio collatum. Quod est dogma Ecclesiae *juxta praesentem Dei providentiam:* in qua nulla potest esse Dei boni incusatio, si cum *ignorantia veri*, et *concupiscentia rebelli*, et boni agendi difficultate nascamur. *Quid enim indignum*, (rem evincit Augustinus,) *si etiam sic voluit Creator ostendere, usque adeo excellere creaturis corporeis animae dignitatem, ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus? Nam cum ad ignorantiam, difficultatemque pervenerit illa peccatrix; ideo poena recte dicitur, quia melior ante hanc poenam fuit.* Disertissima sunt haec verba, quae primum exhibent hominem cum rectitudine conditum, mala deinde prolapsum voluntate in peccatum, peccatumque ejus in posteros propagatum, ipsumque et istos obnoxios *poenae*, quae est *ignorantia veri*, et *difficultas boni agendi.*

Pergit continuo *Augustinus* disserere: *Si ergo altera talis esse coepit, non solum ante peccatum,* (sive proprium, sive a primo parente traductum,) *sed ante vitam suam*, (moralem, antequam quidquam libere agere posset,) *qualis alia post vitam culpabilem facta est*, (cum ignorantia veri, et concupiscentia,) *non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat.* En *hypothesim secundam* conditae a Deo naturae, *sine praevio peccato*, cum veri ignorantia, inobedientia concupiscentiae, et difficultate agendi boni. Ad hanc partem quod attinet,

eadem est ac *hypothesis purae naturae:* nec enim discrimen quodpiam inficiari lubet, quod inferius exponendum est. Rationes Augustinus plures ibidem accumulat, queis *possibilem statum illum* ostendat, ac etiam *decentibus rationibus* conformen. Primam accipe: quia *ipse ortus ejus*, (idest animae,) *et inchoatio quovis perfecto corpore est melior:* unde non parvum bonum habet, pro quo gratias Conditori suo agat. Altera: *Non enim mediocria bona sunt: non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus praecedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore, seipsam excolat; et pio studio possit omnes adquirere, et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante; et ab ignorantia caecante liberetur.* Ita nempe statum istum proponit possibilem Augustinus; ut anima corpori conjuncta corporis inobedientiam quidem experiatur, ac lumine careat quo bonum malumque facile discernat; simulque tamen, adjuvante Conditore, facultatem habeat, per quam et a difficultate cruciante liberetur, et ab ignorantia caecante. Haec adjutoria in *statu purae naturae*, quem possibilem adserimus, intra limites naturalis ordinis consisterent, viresque naturae adjuvarent ad naturales virtutes adsequendas, naturalemque Dei amorem exercendum. Tertia ratio est: *Non enim, ante omne meritum boni operis, parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam praeponat errori, et quietem difficultati; ut ad haec non nascendo, sed studendo perveniat. Quod si agere noluerit, peccati rea jure tenebitur; tamquam quae non bene usa sit ea facultate, quam accepit.* Acceptam quidem, datamque illi in ejus conditione hanc facultatem, ratio quarta ostendit: *Quamquam enim in ignorantia, et difficultate nata sit; non tamen ad permanendum in eo quod nata est, aliqua necessitate comprimitur.* Passione namque, tametsi rationem praeveniente, ac rationi reluctante, *non totaliter* ipsam semper absorberi rationem; adeoque rationem manere liberam, quae passionis motus vel *totaliter repellat*, vel *saltem se teneat* ne passionem sequatur, docentem Aquinatem attulimus Capite praecedente. *Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia, et difficultas supplicium peccati; sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium.* Augustini verba sunt, ex eodem loco descripta.

Has colligit omnes, ac profert ipse rationes Capite XXII. num. 64. „Creator vero ejus (animae) ubique laudatur: vel quod eam *ab ipsis exordiis ad summi boni capacitatem inchoaverit*, (ut in Adamo innocente factum esse credimus;) *vel quod ejus profectum adjuvet, vel quod impleat proficientem, atque perficiat,* (ut in eo statu possibili contingeret, si bene accepta facultate uteretur;) *vel quod peccantem, idest aut ab initiis suis sese ad perfectionem attollere nolentem*, (ut in prognatis ex Adamo peccatore se res habet,) aut *jam ex profectu aliquo relabentem*, (qualis esset anima, quae a Deo condita cum difficultate quidem, sed etiam cum facultate bene agendi, in peccatum laberetur,) *justissima damnatione* pro meritis ordinat.... Quod ergo ignorat quid sibi agendum sit, ex eo est quod nondum accepit: sed hoc quoque accipiet, si hoc quod acceperit, bene usa fuerit. Accepit autem, ut pie et diligenter quaerat, si valet. Et quod agnoscens quid sibi agendum sit, non continuo valet implere; hoc quoque nondum accepit. Praecessit enim quaedam pars ejus sublimior ad sen-

tendum; quod recte faciat, bonum; sed quaedam tardior, atque carnalis *non consequenter in sententiam ducitur*; ut ex ipsa difficultate admoneatur eumdem implorare adjutorem perfectionis suae, quem inchoationis sentit auctorem.[a]

IV. Seniorem, doctioremque factum Augustinum hanc sententiam, quam *contra Manichaeos* in Libris de libero Arbitrio docuerat, aut indicaverat, emendasse, et revocasse inquiunt Adversarii, cum quibus pugnam hanc pugnamus, in Operibus *adversum Pelagianos* confectis. Nihil minus. Rem adgredior demonstrandam Operum auctoritate, et documentis, quae perperam vocant in praesidium. Animadvertit Sanctus Doctor Libro I. Retractationum Capite IX. num. 6. *Ad miseriam justae damnationis pertinere ignorantiam, et difficultatem, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae.* Hanc *miseriam Pelagianos nolle ex justa damnatione descendere, negantes originale peccatum.* Aliter a se tamen in Libro tertio de libero Arbitrio quaestionem hanc diremptam: *ut etiamsi ignorantia, et difficultas essent hominis primordia naturalia, nec si culpandus, sed laudandus esset Deus.* Cur vero diversum genus pugnae *adversum Manichaeos* egerit ille, et *adversum Pelagianos*, causam reddit his verbis: *Quae disputatio contra Manichaeos habenda est, qui non accipiunt Scripturas sanctas Veteris Testamenti, in quibus peccatum originale narratur: et quidquid inde in Litteris Apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt a corruptoribus Scripturarum, tamquam non fuerit ab Apostolis dictum. Contra Pelagianos autem hoc defendendum est, quod utraque Scriptura commendat, quam se accipere profitentur.*

Caecutiant oportet, qui doctrinam in *Libris de libero Arbitrio* traditam ab Augustino, emendatam *loco posteriore*, revocatamque putant. Differentis, quam gesserat, pugnae rationem declarat: causamque affert, ob quam *Manichaeis* concesserat, ignorantiam et difficultatem non esse *supplicium peccati:* idque vero a *Pelagianis* credi, et subscribi exposcebat. Nempe accipiebant Veteris Novique Testamenti Scripturas Pelagiani: unde facto nitebatur Doctor Africanus, quod Scripturae revelant, ut eorum commentum profligaret. Narrant certe *sacrae Litterae*, innocentem hominem, rectum, sanum, immortalem a Deo conditum esse: minas mortis, et aerumnarum, si latum violaret praeceptum, interminatas fuisse: peccasse illum, adeoque in vindictam criminis mortalem effectum esse, ac suae nuditatis puduisse. Quae cum ita se habeant; poterat Augustinus, debuitque, *loco poenae* habere mortem et aerumnas, ignorantiam et concupiscentiam, et boni agendi difficultatem, *juxta leges divinae praesentis providentiae*, quae in prima hominis conditione effulsit: et ex hujusmodi poena omnibus hominibus communi commune omnium hominum inferre peccatum, scilicet *originale*. Scripturarum revelationem cum inficiarentur *Manichaei;* vano conatu in eorum confutatione proponerentur, *tamquam poenae*, praedicta animi vitia, et corporis aerumnae: quae omnia putabant illi *naturalia esse primordia*. Quod adserebant, permittit ille. Ea vero documenta tradit, quae possibilem exhibent *statum purae naturae:* probantque, in ea adhuc hypothesi *non culpandum*, sed *laudandum esse Deum*.

Paria sunt, quae habentur in Libro de dono perseverantiae Capite XI. num. 27. ubi integra refertur sententia, quae in primo *Retractationum Libro* legitur. Tum sic ait Augustinus: *Quamvis ergo in Libro III. de libero Arbitrio ita de parvulis disputaverim, ut etiamsi verum esset quod dicunt Pelagiani: ignorantiam, et difficultatem, sine quibus nullus hominum nascitur, primordia, non supplicia naturae; vincerentur tamen Manichaei, qui volunt duas, boni scilicet, et mali, coaeternas esse naturas.* Ne verbulum occurrit, quod indicet, hujusmodi naturae statum ab Augustino rejectum. *Hypothesim* hanc permittit: in eaque vinci posse *Manichaeos*, luculentissime ostendit; tametsi eamdem hypothesim, ut possibilem evinceret, operam suam minime impendat Sanctus Doctor, qui *importunam quaestionem* adsumere dirimendam noluit.

Eamdem aperit mentem suam Epistola CLVI. alias XXVIII. ad Sanctum Hieronymum num. 7. „*Ego quidem ante aliquot annos*, cum Libros quosdam scriberem *de libero Arbitrio*, qui in multorum manus exierunt, et nunc habentur a plurimis; *quatuor opiniones de Animae incarnatione*, utrum *ex illa una* quae primo homini data est, caeterae propagentur; *an singulis quibusque* novae etiam modo fiant; an alicubi jam existentes, vel *mittantur* divinitus, vel *sponte labantur* in corpora: ita putavi esse tractandas, ut *quaelibet earum vera esset*, non impediret intentionem meam, qua tunc *adversus Manichaeos* quantis poteram viribus agebam.“ Quae scripserat latiore sermone *contra Manichaeos*, paucis verbis recolit, nullo alicujus emendationis, aut retractationis indicio facto.

Verba illa animadvertenda sunt, *ut quaelibet earum vera esset:* quae *Jansenii* responsionem quamdam profligant inquientis, Augustinum confutasse Manichaeos ex hypothesi *ad hominem*, falsa quidem et impossibili, sed quae sufficeret ad eosdem revincendos Haereticos. Verum pro falsa minime Doctor egregius hypothesim habuit, in qua *primordia naturae* forent ignorantia, et difficultas boni agendi: immo disertissime admonet, se congruis contra Manichaeos pugnasse argumentationibus, *quaelibet vera esset* quatuor illarum opinionum, quas eodem loco distinxit; quarumve *altera* ad statum pertinet *naturae innocentis*, quam *ignorantiae, et concupiscentiae obnoxiam* condere potuisset Deus. Negotium facessit nullum locus Augustini in eodem Libro III. de libero Arbitrio Capite XVI. ubi docet contra eosdem Manichaeos laudandum fore Deum, etiamsi naturali necessitate homo peccaret: quae falsa, et impossibilis est hypothesis. Ait enim: *Si juste defenditur* (homo ille,) *non est peccator: lauda ergo Creatorem. Si autem defendi non potest, intantum peccator est, inquantum se a Creatore avertit: lauda ergo Creatorem.* At *hypothesim* proprie non conficit Augustinus: immo *dilemma* proponit, commentoque *de necessitate peccandi* utitur contra commentum aliud *de duobus principiis*, bono altero, ac altero malo, et reprehensibili. Quandoquidem in ea, quam *Manichaei* admittebant, necessitate peccandi, vel homo defendi et excusari potest, vel non. Si primum, jam homo non peccabit: nihilque fuerit, cur illius Creator reprehendi debeat. Si alterum, intantum homo erit peccator, inquantum se avertet a Creatore: adeo-

que Creator laudandus erit. Jamvero nemo non videt, quam longe differat, non commentum illud, sed *illa opinio*, quae ignorantiam, et concupiscentiam constituit *primordia naturae*.

Hunc *purae naturae humanae* statum evincunt denique possibilem Augustiniana frequentissima documenta, quae tradunt, *perfectam* corporis et appetitus in homine primum condito *obedientiam* non esse debitam, ac necessariam naturae humanae perfectionem, sed ad *munus gratiae*, sive doni gratuiti pertinere. Verba sunt Augustini Libro IV. contra Julianum Capite XIII. num. 63. *Non in fructu ligni fuit libido, et ideo bonum erat lignum. Sed mala est inobedientia libidinis*, (seu concupiscentia rationem praeveniens, aut rationi reluctans,) *quae adversus hominis inobedientiam, quam* (libero voluntatis arbitrio) *in ligno admisit, Deo deserente, surrexit.* Gratuitus favor erat corpus et sentientem appetitum continere perfectissime subjectum rationis, et voluntatis imperio: at *Deo deserente*, seu praedicto favore in peccati poenam subtracto, *surrexit inobedientia libidinis*, seu *concupiscentia*, quae rationem praevenit, pugnatque cum ratione. Luculentior est, quae legitur sententia ejus ibidem Capite XVI. num. 82. *Quid est gustato cibo prohibito nuditas indicata, nisi peccato nudatum, quod gratia contegebat? Gratia quippe Dei magna ibi erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui ergo vestitus gratia, non habebat in nudo corpore quod puderet, spoliatus gratia, sentit quod operire deberet.*

Geminam doctrinam tradit Libro XIII. de Civitate Dei Capite XIII. *Postquam praecepti facta transgressio est, confestim, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.* Et Libro II. de Genesi ad litteram Capite XXXI. num. 41. *Mox ut praeceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente, omnino nudati . . . in sua membra oculos injecerunt: eaque motu eo, quem non noverant, concupiverunt.* Et num. 42. *Ibi sentit, qua prius gratia vestiretur, quando in sua nuditate nihil indecens patiebatur.* Amplioribus docere verbis non poterat Augustinus, perfectam corporis et sentientis appetitus in primo homine subjectionem fuisse *gratiam Dei Conditoris*, et gratuitum donum. Jure negari ergo non potest, potuisse praedictam gratiam non conferri a Deo, utpote quae caeteroqui *gratia* non foret, neque ad liberam pertineret Dei voluntatem.

V. Augustini vestigia premit *Doctor Aquinas.* Documenta ejus, quae rem mirifice illustrant, affero omnia. In Commentario, quem junior scripsit in Sententiarum Libros, haec habet Libro II. Distinct. XXXI. Qu. I. Art. II. ad 3. „Poterat Deus a principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terrae formare: quem *in conditione suae naturae* relinqueret, ut scilicet *mortalis, et passibilis* esset, et *pugnam concupiscentiae ad rationem* sentiret. In quo *nihil humanae naturae derogaretur*, quia hoc *ex principiis naturae consequitur*: non tamen *iste defectus* in eo rationem *culpae*, et *poenae* habuisset, quia non per voluntatem iste defectus consecutus esset.“ Possibilem alium versat casum, in quo non propagaretur naturali generatione aliquis homo; sed virtute divina ex digito, quemadmodum Eva ex Adami costa, formaretur. Ait vero: *Similiter dico, quod in*

isto . . . tales defectus essent, si principiis suae naturae relinqueretur, nisi Dominus gratis hoc illi vellet conferre, quod primo homini contulit: neque tamen *rationem culpae, vel poenae haberent, cum non compararentur ad voluntatem, sicut ad causam.* Paucis collectas habes rationes omnes, quae possibilem *purae naturae* statum ostendunt: tum quia naturae principia sibi veluti debitum non vendicant *perfectissimum* rationalis animi in corpus, et sentientem appetitum *dominium:* tum quia hocce dominium primo collatum homini *ex gratuito* proficiscebatur *divino favore.*

Luculentissimam doctrinam, jam saepe adhibitam, iterum sub oculos ponere praestat, quae habetur in Compendio Theologiae Cap. CLXXXI. „Homo *in sui conditione* taliter institutus fuit a Deo, ut corpus omnino esset animae subjectum: rursumque inter partes animae, inferiores vires rationi absque repugnantia subjicerentur: et ipsa ratio hominis esset Deo subjecta. Ex hoc autem quod corpus erat animae subjectum, contingebat quod nulla passio posset in corpore accidere, quae dominio animae super corpus repugnaret: unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex subjectione vero virium inferiorum ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas, quia ratio humana *nullis inordinatis passionibus* turbabatur. Ex hoc vero, quod voluntas hominis erat Deo subjecta, homo referebat omnia in Deum, sicut in ultimum finem. Horum autem trium ultimum est causa aliorum. Non enim hoc erat *ex natura corporis*, si ejus componentia considerentur, quod in eo dissolutio, sive quaecumque passio repugnans vitae, locum non haberet. . . . Similiter etiam non erat *ex natura animae*, quod vires sensibiles absque repugnantia rationi subderentur; cum vires sensibiles *naturaliter* moveantur in ea, *quae sunt delectabilia secundum sensum,* quae multoties rectae rationi repugnant. Erat igitur hoc *ex virtute superiori Dei:* qui sicut animam rationalem corpori conjunxit, omnem proportionem corporis, et corporearum virtutum transcendentem; ita dedit animae rationali virtutem, ut *supra conditionem corporis* ipsum continere posset, et vires sensibiles, secundum quod animae rationali competebat.“ Clariora optari non possunt.

Eidem principio adhaeret Aquinas Libro IV. contra Gentes LII. „Si quis recte consideret, *satis probabiliter* poterit aestimare (nativi luminis conjectura), divina providentia supposita, quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit; quod Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei *dominaretur:* et si quod hujus dominii impedimentum *ex defectu naturae* contingeret, ejus *speciali, et supernaturali beneficio* tolleretur.“ Ad materiae, sive corporis defectum spectat corporis dissolutio. Congruit etiam ordini naturali, ut sensiles res agant in sensus, vestigia propria imprimant cerebro, sensationem excitent in animo, simulque indeliberata imaginationis judicia, indeliberatosque passionum affectus: quos cieri, et excitari motus in corpore, et affectus in animo, nisi *prius imperante ratione*, ac volente seu non reluctante voluntate, ratio nulla apparet, *ex ipsius rationis et voluntatis creatae conditione* desumpta, quae necessario exposcat. Unde jam patet, ad *naturalem defectum* pertinere

concupiscentiam, quae rationem praevenit, eique reluctatur. Hunc defectum *in conditione primi hominis* impedire, ac tollere supremo Numini placuit: poterat ergo illum non impedire, nec tollere: nec enim necessario debent esse, quae Deus gratuito favore confert. Hinc docet Angelicus Doctor: *hominem a principio taliter esse institutum secundum principia fidei, quod quamdiu ratio ejus Deo esset subjecta, et inferiores vires ei sine impedimento deservirent, et corpus ab ejus subjectione impediri non posset per aliquod impedimentum corporale:* (non ita rei natura exigente, sed) *Deo et sua gratia supplente, quod ad hoc perficiendum natura minus habebat.*

Paria tradit in Quaestionibus, quae *Disputatae* appellari solent. Ait enim Qu. XV. de Veritate Art. VII. *Sensualitas* (quo nomine concupiscentia intelligenda est) *in hac vita curari non potest, nisi per miraculum.* Momentum rationis accipe: „Quia id quod est *naturale*, non potest permutari, nisi *virtute supernaturali.* Hujusmodi autem *corruptio*, qua partes animae dicuntur corruptae, sequitur *quodammodo inclinationem naturae.* Quod enim *in primo statu* collatum fuit, ut ratio totaliter inferiores vires contineret, et anima corpus; non fuit *ex virtute principiorum naturalium*, sed ex virtute originalis justitiae, *ex divina liberalitate* superadditae.“ Hujusce doni, quod *gratiam* vocat Thomas, ac *virtute supernaturali* collatum, jam saepe diligentius exposuimus conditionem. His denique gemina sunt, quae habentur I. P. Qu. XCV. Art. I. *Manifestum est, quod illa subjectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis.* Adsertum probat Augustini verbis, qui ait Libro XIII. de Civitate Dei Cap. XIII. *Posteaquam praecepti facta transgressio est, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt.*

Duo Aquinatis opponi loca solent, veluti adversa. Primum est 1. 2. Qu. LXXXII. Art. III. ad I. *Quia in homine concupiscibilis* (seu appetitus sensitivus) *naturaliter regitur ratione; intantum concupiscere est homini naturale, inquantum est secundum ordinem rationis. Concupiscentia autem, quae transcendit limites rationis, inest homini contra naturam: et talis est concupiscentia peccati originalis.* Paria verba sunt Qu. IV. de Malo Art. II. ad I. *Aliquid potest esse homini naturale dupliciter. Uno modo inquantum est animal: et sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile secundum sensum, communiter loquendo. Alio modo, inquantum est homo, idest animal rationale: et sic naturale est ei, quod concupiscibilis feratur in delectabile sensus secundum ordinem rationis. Concupiscentia ergo, per quam prona est vis concupiscibilis, ut feratur in delectabile sensus praeter ordinem rationis, est contra naturam hominis, inquantum homo est, et ita pertinet ad peccatum originale.* Simile testimonium expendimus Cap. XLIX. num. I. Sensus germanus est, appetitui sensitivo, quatenus inest homini rationali, *naturale* esse ut rationis ductum sequatur, et non esse rationi *naturalem*, aut *conformem*, aut *consentaneam* ejusdem appetitus *repugnantiam contra rationem.* Sed haec tamen repugnantia alio sensu *naturalis* homini dicitur: quatenus ex principiis ipsius naturae humanae sibi relictae proficiscitur, in qua neque mens pollet pleno perfectoque dominio in appetitum sentientem *quoad*

necessitatem sentiendi, neque appetitus plene ac perfecte menti subjicitur. Concupiscere *primo modo* foret etiam in Adamo innocente: *altero modo* concupiscere ad *peccatum originale* pertinet. Concupiscere hoc secundo modo in pura natura *simplex defectus* fuisset: in homine lapso, est etiam poena. Hunc sensum confirmant caetera, quae bene multa prompsimus, Aquinatis testimonia.

CAPUT LII.

Jansenii effugia pracluduntur: ac primo, hypothesis Augustiniana contra Manichaeos permissa ex praevio peccato minime pendet. Duplex alia fieri potest hypothesis conditae naturae cum defectibus ignorantiae, et concupiscentiae: altera, naturae elevatae ad finem supernaturalem; altera, naturae ad finem solummodo naturalem ordinatae. Scholasticorum opiniones de posteriore hac hypothesi. Auxilia divina quae in eadem praesto forent: quod accurate declarat Thomas de Lemos.

I. *Hypothesim*, quam Augustinus in pugna *contra Manichaeos* permisit, ut Capite superiore ostendimus, longe lateque differentem contendit *Jansenius* ab *hypothesi purae naturae*, quam etiam juxta Augustiniana documenta possibilem demonstrare conati sumus. Sic disserit ille Libro III. de statu Naturae purae Cap. XVII. „Nam 1. Augustinus *in illa hypothesi* supponit *peccatum praecessisse*, quod ignorantiam, ac difficultatem, totamque consequenter corporis mortalitatem promeruerit. 2. *Status purae naturae* essentialiter postulat, ut in eo *nihil omnino gratia sit*, nulla fides, nulla caritas, nulla ad supernaturalem statum elevatio, nulla incorruptionis, ac felicitatis aeternae, quam fides christiana futuram credit, expectatio. *Hypothesis* vero *Augustini* in eo statu, quo ignorantia, et difficultas essent *primordia naturalia*, universa ista supponit.“

Partem priorem his evincere momentis nititur. „Nam illa totius origo disputationis istius fuit: quod cum *punitum esse* primum hominem ignorantia, difficultate, et mortalitate, constitisset; quaestio moveretur, cur proles ejus cum iisdem miseriis nasceretur. *Hic occurrit illa quaestio* (Libro III. de libero Arbitrio Cap. XIX. num. 53.), *quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam se, accusare parati sunt. Dicunt enim: si Adam, et Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiae caecitate, et difficultatis cruciatibus nasceremur?*“ Et Capite sequenti (XX. num. 55.) pergit ostendere: hoc *rerum moderatori summo Deo justissime placuisse.* „Defendit hoc autem secundum *quatuor modos* incarnationis animarum (ibidem num. 56.), quos cogitare possemus. Ut videlicet *anima prolis ex anima parentis propagetur:* vel in *corpore jam corrupto nova creetur:* vel *ante creata ad illud mittatur a Deo:* vel *eo sponte labatur*. Sed in omnibus illis quatuor modis supponitur corpus parentis, et consequenter corpus prolis, quod inde generatione ducitur; et ab anima prolis quocumque quatuor modorum animandum est, *primi parentis iniquitate esse violatum*, utpote qua tam sibi, quam proli poenam ignorantiae, difficultatis, ac mortalitatis accerserit.“

Discrimen animadversione dignissimum est, quod primum inter, ac caeteros modos intercedere, Jansenius adnotat: *Sed in hoc,* inquiens, *est inter illos quatuor modos differentia; quod in primo quo anima prolis ex parentis anima propagatur, istae poenae non solum patris sed et prolis tamquam peccatricis* (in anima scilicet, ex qua peccatrice traduci effingitur) *supplicia esse statuantur; in reliquis tribus, patris tantum.* Janseniana haec responsio germanae adversatur Sancti Augustini menti. Hanc ipse aperit in Libro de dono perseverantiae Cap. XII. num. 29. „In *tertio Libro de libero Arbitrio* (inquiens) secundum utrumque sensum restiti Manichaeis, sive *supplicia,* sive *primordia naturae* sint ignorantia, et difficultas, sine quibus nullus hominum nascitur." Viden *hypothesim ab Augustino permissam,* in qua mala praedicta forent *primordia naturae,* non *supplicia:* non supplicia, inquam, neque patris simulque prolis, neque patris in prole.

Animadverte verba illa, *secundum utrumque sensum restiti Manichaeis.* Primus intelligitur sensus, qui cum Catholicis admittit *originale peccatum:* et consequenter ignorantiam, et difficultatem esse supplicia peccati. Sensus alter est, qui cum Pelagianis negat originale peccatum: et consequenter ignorantiam, et difficultatem admittit hominis *primordia naturalia,* quae naturae sibi relictae constitutionem consequuntur. In utroque sensu revincendi fuerant *Manichaei,* qui hujusmodi mala, ac peccata hominum in supremum malum quoddam principium, aut in commixtionem naturae bonae, et naturae malae refundebant. Primum catholicum sensum exhibet quidem, *quod attinet ad propagationem peccati,* primus inter quatuor modos: at ipsius propagationis ratio non ab omnibus admittebatur catholicis, qui animam ex anima trahi inficiabantur. Hinc vero superiore Capite adnotatum est, in secundo modo *duplicem* contineri *hypothesim:* ac primam illam catholicae fidei, ac frequentiori Doctorum sensui consonam, in qua *singillatim animae fiunt in unoquoque nascentium* per novam creationem: eaedemque in unione cum corpore inficiuntur peccato, ex primo parente peccatore propagato. Qua in hypothesi *non est perversum, immo ordinatissimum et convenientissimum apparet, ut malum meritum prioris* (hominis peccatoris) *natura sequentis sit ab illo progeniti. Ubi natura sequentis* appellatur *malum meritum prioris,* eo quia malum idem meritum ad sequentem transfunditur in ejus nativitate, eique ab ipsa nativitate inhaeret.

Ad *aliam* pergit *hypothesim* Augustinus: *Si ergo altera,* inquiens, *talis esse coepit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia* (anima) *post vitam culpabilem facta est; non parvum bonum habet, unde Creatori suo gratias agat.* Qua in hypothesi negat aperte, *nascentibus animis ignorantiam, et difficultatem esse supplicium peccati;* sed ait, esse *proficiendi admonitionem, et perfectionis exordium.*

Verum denique enim vero Jansenianis indulgeamus, *in hac etiam hypothesi,* in qua proles nasceretur ignorantiae, et concupiscentiae obnoxia, *praevium poni peccatum prioris parentis:* at ipsi ultro fatentur *Janseniani,* ejusdem prioris parentis peccatum non transire in prolem. Hinc vero jam colligitur fieri posse, ut homo, nullo sive *proprio,* sive *alieno* maculatus *peccato,* sit concupiscentiae obnoxius, et ignorantiae, et aliis aerumnis, ac morti. Colligitur etiam maximum inter

utrumque, parentem peccatorem, et prolem sine peccato discrimen. In illo namque concupiscentia, et ignorantia, et aerumnae forent poena peccati, seu *malum meritum*, ut ait Augustinus: at in prole forent eodem Augustino docente, *natura*. Unde *Jansenius* demum refellitur, qui eadem mala in prole vocat supplicium, et poenam, non *prolis innocentis*, sed *patris peccatoris*.

II. Commenti sui partem alteram, qua non excludi in eadem Augustiniana hypothesi *dona*, *et auxilia gratiae* contendit, congestis Augustini testimoniis ostendere nititur *Jansenianus*. Verba affert, quae habentur Libro allegato III. de libero Arbitrio Capite XX. num. 56. *Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus praecedit; sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat.* Et num. 57. *Dedit enim illi et facultatem boni operandi in laboriosis officiis, et viam fidei in oblivionis caecitate.* Et Capite XXII. num. 64. *Ignorantia vero, et difficultas si naturalis est, inde incipit anima proficere, et ad cognitionem et requiem, donec in ea perficiatur vita beata, promereri.* Haec Sancti Patris loca, et similia hypothesim exhibent, in qua *adjutorium Dei*, et *donum fidei* praesto essent; vitaque beata, seu clara Dei visio promissa foret. Haec naturam elevatam probant, non indicant *purae naturae* statum.

Nolim ego contentionis funem ducere: neque pertinaciter contendo, admissum ab Augustino *purae naturae statum*, quem Scholastici Theologi possibilem tuentur. In hac hypothesi sola foret *ordinatio naturae ad finem ultimum naturalem*, ac praesto forent *media proportionata*. In eadem hypothesi nasceretur homo in ea conditione, quam principia essentialia naturae exposcerent: ex quibus sane fluit, *ut mortalis, et passibilis esset; et pugnam concupiscentiae ad rationem sentiret*, adnotante Sancto Thoma in II. Dist. XXXI. Qu. I. Art. II. ad 3. Hanc data opera illustratam non fuisse ab Augustino *hypothesim*, haud inviti fatemur: at eamdem demonstrari posse *possibilem* contendimus ex ejusdem documentis, quae habentur in Libro III. de libero Arbitrio, et de dono Perseverantiae Capite XII. et primo Retractationum libro Capite IX. His in locis tametsi hypothesim efformet, in qua homo conditus esset *ad finem supernaturalem elevatus*, cum mediis proportionatis, idest *dono fidei*, et *spei*, et *caritatis*, atque supernaturalibus gratiae adjutoriis; in eadem tamen hypothesi permittit fieri potuisse, ut ignorantia, et concupiscentia, et difficultas agendi bona, forent *primordia naturalia*.

Duo praecipua difficultatum capita Jansenianī opponunt: alterum ex eo desumptum, quod *innocens homo ad claram Dei visionem* non esset ordinatus; alterum, quod idem homo innocens, *absque peccati praecedentis merito*, conderetur a Deo cum ignorantiae, et concupiscentiae malis. Difficultas prior statum naturae purae impetit, qualem tuetur possibilem frequentissima Theologorum natio. Theologorum, ac etiam Augustini hypothesi communis est difficultas posterior. Primam sermone jam amplissimo expedivimus plurium Capitum serie: alteramque difficultatem submoveri omnem positis ab Augustino principiis, traditisque documentis, hactenus ostendimus.

Id vero in statu purae naturae admittendum est, quod sua in hypothesi admitti oportere docet Augustinus: praesto nempe homini sic a Deo condito fuisse *facultatem, ut adjuvante Creatore seipsum excoleret, et pio studio posset omnes adquirere et capere virtutes, per quas et a difficultate cruciante, et ab ignorantia caecante liberetur.* Haec facultas, et haec adjutoria Creatoris in *hypothesi Augustiniana*, non ordinis dumtaxat *naturalis* essent, sed etiam *supernaturalia* forent, clarae visioni Dei proportionata, ad quam elevatus, ordinatusque foret homo: at in statu *naturae purae* facultas, et adjutoria ad ordinem naturalem pertinerent. Haec vero, ipsorumque conditio ut splendide innotescant, Theologorum documenta ad examen vocare liceat.

III. Diversas, quae hac de re feruntur opiniones, recensent, et expendunt Carmelitae Excalceati Salmanticenses Theologi Tomo V. in Disputatione Prooemiali Capite I. §. III. Contra *statum purae naturae*, qui sit possibilis *juxta decentem modum operandi Dei*, objectio proponitur num. 36. his verbis. „Deus *attenta communi lege,* (juxta suae sapientiae, et bonitatis decentias,) nullam naturam producere valet *in eo statu*, in quo non possit consequi *suum finem ultimum*, ipsumque non consequatur de facto saltem *in aliquibus individuis.* Sed natura humana *in illa sua nuditate*, omnique auxilio *gratis* concesso destituta, non consequeretur, immo nec consequi posset suum ultimum finem: ergo non potuit *juxta communem providentiam* sic produci. *Major* constat: auctor enim rerum juxta suavem providentiam tenetur, vel res ipsas in suo fine constituere, vel conferre media necessaria, ut illum assequantur. *Minor* probatur: nam medium necessarium ad assequendum finem ultimum humanae naturae, sive *naturalem*, sive *supernaturalem*, est *amor absolutus, et efficax talis finis.* Homo autem in illo statu non haberet *sufficientes vires* ad hunc amorem, etiam *respectu finis naturalis* (ob eam difficultatem agendi bonum, quam inferunt ignorantia veri ac effrenis concupiscentia)."

Tres afferunt laudati Auctores solutiones juxta tres Theologorum sententias. Primam, quam *satis communem* vocant, his verbis exponunt num. 50. „Respondetur, concedendo *Majorem.* Quamvis enim natura humana ob *disparitatem* principiorum, et partium *rationalis*, et *sensitivae*, ex quibus essentialiter coalescit, differat in hoc ab aliis *simplicioribus* naturis, quod non *in pluribus* sicut illae, sed *in paucioribus* finem suum consequatur: non tamen ideo denegandum est, quod adhuc *sibi ipsi* et *communi providentiae* relicta, habeat consequi illum, *saltem in aliquibus.* Sed neganda est *Minor* argumenti. Ad cujus probationem responderi solet: quod condito homine *in illo primo statu*, ad divinam providentiam pertineret succurrere illi efficacius, et majores vires superaddere *per aliqua auxilia ordinis naturalis:* non tamen *debita* (naturae in eodem statu consideratae), sed *gratis collata;* attamen *sufficientia*, ut posset servare naturalem legem, et elicere *actum dilectionis Dei super omnia*, ac alios requisitos ad ultimum finem (naturalem) assequendum. Et licet Deus ita se gereret cum natura humana, non propterea extraheret illam ab *statu purae naturae:* quia neque ordinaret illam ad *finem supernaturalem:* neque *gratiam proprie dictam*, aut etiam *naturae integritatem* (intra

naturalem ordinem) illi conferret. Et haec providentia esset quidem *consentanea* naturae rationali; sed dici non posset *debita*, aut petita ex meritis (aut ex conditione) ipsius naturae: sed veluti ex naturali misericordia Dei, cujus *sapientiae*, et *bonitati* valde consentaneum est, naturam *debilem* et infirmam non in sua debilitate relinquere; sed abundantius illi, et liberalius, *quam ipsa* postulet providere."

Hanc doctrinam confirmat animadversio, quam offerunt laudati Theologi §. II. praecedente num. 39. „Non sufficiunt (inquientes) ad constituendum *novum statum* (abs statu naturae purae diversum), *specialia illa auxilia*, quae Deus naturae *in puris* conditae gratiose superadderet, (supra debitum, et exigentiam ejusdem). Quia de ratione status est aliqua *firmitas*, et *immobilitas*: quam praedicta auxilia, utpote *solum transeuntia*, et moventia ad actus occurrentes, non afferrent; unde talia auxilia non extraherent *absolute*, et *simpliciter* naturam humanam a suo illo primo statu *naturae purae*, sed in eo relinquerent." Insigne exemplum praesto est in *statu naturae lapsae*, a quo non extrahitur homo, quem auxiliis non solum ordinariis, sed *specialibus* ac *indebitis* instruit Dei misericordia ad opera bona, eximia et excellentia, peragenda. Quod si adderetur ipsi naturae aliqua *forma permanens*, cui ejusmodi auxilia suo modo deberentur; talis forma constitueret quidem statum distinctum abs statu *naturae purae*, non tamen diversum ab *statu naturae integrae*: (in quo ordinario Dei concursu opera illa bona agerentur, quae nonnisi specialibus auxiliis agi possent in statu naturae purae)."

Jo. Baptistae Gonetti locum descripsimus Capite XXXVIII. num. IV. ubi *puritatem naturae* delineat, *excludentem omnia indebita, seu ab essentia connaturaliter non postulata, vel omnia dona gratuita, quae sunt duplicis generis, alia ordinis supernaturalis, alia ad naturae integritatem spectantia intra naturalem ordinem.* Omnia scilicet *indebita* excludebat ipse *permanentia*. Ad auxilia *specialia* transeuntia quod attinet, mentem suam aperit Tomo IV. Disput. I. de necessitate gratiae Art. IV. §. IV. num. 227. „Respondeo posse hominem *in statu naturae purae* Deum, ut naturae auctorem, *super omnia diligere*; non quidem per auxilium *ordinis supernaturalis*, neque cum *solo concursu generali*; sed per auxilium *speciale ordinis naturalis*, quod Deus in tali statu offerret, quando urgeret obligatio praecepti dilectionis; hoc ita exigente *providentiae suae suavitate*, quae homini in nullo statu impossibilia praecipere potest. Nec *status naturae purae* omnem *gratiam specialem* excluderet; sed solum gratiam *supernaturalem entitative*, vel *naturalem* per modum habitus, et *formae permanentis*; qualis foret gratia ... naturam *integram integritate pure naturali* constituens."

Minus haec Salmanticensibus arridet sententia. Sed eam tuto sustineri posse facile existimaverim aliquo modo temperatam, ut mox dicendum est: eamque video hypothesi ab Augustino factae consonam. Doctorum sententiam aliam afferunt num. 52. „quae asserit hominem *in puris naturalibus* constitutum habere *sufficientes vires* ad diligendum Deum *super omnia*, et ad servandam legem naturalem, cavendumque a peccato mortali, saltem *non longo tempore*, (sive intra non longum tempus). Et cum hoc esset in *potestate naturae*; concursusque, ad id

necessarius ex parte Dei, a natura ipsa *saltem pro aliquibus postularetur:* non deessent qui ita observarent, et qui *in ea observantia decederent*, ac proinde qui post hanc vitam suam *assequerentur naturalem beatitudinem*, et finem ultimum. Haec in eo statu potestas naturae ad diligendum Deum colligi posse videtur: tum quia innocens a Deo conderetur, sine ulla ab ipso Deo fine ultimo naturali aversione: tum quia non ita in eodem statu effrenis concupiscentia foret, sicuti in statu naturae lapsae, ut infra dicendum. Illud vero in hac sententia minus commodum videtur, quod *status viae*, in quo ad suam beatitudinem tenderent homines, ad angustias *non longi temporis* restringitur: nec potestas inesset homini in amore Dei longo tempore perseverandi. Itaque aut *infra non longum aliquod tempus* Deum diligerent, ipsorumque *via* finem haberet: aut *post longum aliquod tempus* deciderent ab amore Dei, in aliumque statum incurrerent damnationis. Quidni haec possit cum priore conciliari sententia? Dicendum esset, cum sufficientia naturae, ac Dei ordinario concursu posse hominem *intra breve tempus* diligere Deum super omnia: non posse longo tempore citra *speciale auxilium*, quod Deus offerret juxta providentiae suae suavitatem. Cum Thoma de Lemos res est infra diligentius illustranda.

Id vero colligitur, non ita *de statu purae naturae* judicasse *Scholasticos*, tametsi varias pro genio ingenioque excogitaverint opiniones, acsi in eo foret *expectatio nulla futurae beatitudinis* intra naturalem ordinem, ac *media praesto non essent* ad illam adsequendam requisita. *Tertiam* loco citato *sententiam* afferunt Salmanticenses a num. 54. quam nimium subtilem existimo, neque certe necessariam, ut solidiorem melioremque *de possibili purae naturae statu* notitiam hauriamus. Status *naturae purae* proponitur, qui obligationes homini impositas imminuit, amoremque Dei quemdam invehit imperfectissimum, ad quem eliciendum sufficerent debiles ejusdem naturae vires: ac hisce minoribus bonis officiis potuisse tunc homines adsequi beatitudinem asserit, quae statuta a Deo foret. Hanc si quispiam tueri velit opinionem, aut rejicere, per me licet.

IV. Thomae de Lemos documentis censeo inhaerendum esse, quae habentur in Panoplia Gratiae Tomo I. Tractatu I. de laesione liberi arbitrii per peccatum originale Capite IV. Verba ejus referre liceat, quae rem hanc diligentissime exponunt. „Dicendum est 1. Quod si homo *in puris naturalibus* conderetur, idest in solis suae naturae debitis, sicut originali justitia, ita illius proprio effectu careret. Unde *corpus subditum animae non esset;* sed ipsam aggravaret, et sicut compositum ex contrariis per mortem dissolveretur. Similiter nec essent in illo *inferiores partes perfecte rationi subjectae;* sed motus inferiorum partium praeter rationem insurgerent, aut etiam contra illam.

„Dicendum 2. Si Deus crearet hominem *in puris naturalibus*, ipsi naturae debitis, absque ordine aliquo *ad supernaturalem finem*, cum solo ordine *ad finem naturalem:* quem posse ita Deum creare, nec est vertendum in dubium; posset *cum generali Dei concursu*, illi statui proportionato, *per aliquod breve tempus*, Deum auctorem naturae

super omnia diligere, ac totam naturalem legem implere. In hoc omnes sine controversia conveniunt .... Per hoc *homo talis* in illo statu, ab homine *in statu naturae lapsae* non reparato per gratiam, distingueretur: quia nec ad breve tempus, sine gratiae (specialis) auxilio, posset Deum super omnia actu absolute diligere, aut totam legem implere...

„Dicendum est 3. Talem hominem *in natura pura*, cum eodem *solo generali Dei concursu*, non posse *diu* totam naturalem legem servare, et multo minus in bono rationis finaliter perseverare. Haec inter Sancti Thomae discipulos communis est. Rationes, quibus illam probant, omnes huc tendunt: quod cum in illo statu *vehementes insurgerent passiones*, et motus concupiscentiae, gravissimae ac multiplices tentationes; licet arbitrium suis naturalibus viribus, et cum Dei generali concursu, *aliquibus posset resistere; tamen omnes vincere*, et *diu* illas omnes superare minus posset.

„Dicendum 4. Posse hominem illum, *in puris naturalibus* constitutum, *cum particulari et extraordinario auxilio, vel auxiliis*, in sua substantia *naturalibus*, omnia mandata *diu* servare, totam legem collective sumptam implere, immo in ipsa servanda finaliter perseverare... Quis enim neget posse Deum hominem illum, si ipsum conderet *in ordine ad solum finem naturalem*, auxiliis specialibus *illius ordinis*, illi naturali fini proportionatis, ita juvare, ut illum naturalem finem consequi valeret? ...

„Dicendum 5. Ad *Dei providentiam* pertineret, ut si talem hominem sic *in pura natura* crearet, minus potentem *generali Dei concursu*, ad *diu* omnia servanda mandata, totam collective legem implendam, ac in bono rationis finaliter perseverandum; illa *particularia auxilia*, in substantia *ordinis naturalis*, ei conferret, quibus posset *diu* totam legem implere, et finaliter in bono perseverare. In hoc fundamento, licet non ita illud expresse constituant Sancti Thomae disciputi, tamen reipsa conveniunt. Solum enim ipsi negant, humanam naturam in illo statu integritatem posse habere, vel *consonantiam ad rationem diuturnam*, cum solo generali Dei concursu. De *particulari* autem, aut *extraordinario* id negant. Inter quos *Guillelmus Estius* in hoc sensu videtur fuisse loquutus, cum dixit, *justitiam originalem homini in illo statu esse naturalem.* Nec enim intelligit de *propria et perfecta justitia originali*, quae perfectam integritatem naturae tribuebat; sed *de hac consonantia rationis*, quae illi homini esset connaturalis, divina providentia ita eum adjuvante, ut in illa diu posset perseverare, illamque finaliter conservare....

„Quaeret forte aliquis, an illud *speciale auxilium*, quod in illo statu Deus homini daret, esset tunc homini in illo statu *debitum*, an non? Ad quod dicendum, non esse debitum *illi statui*; sed Deus ipse *deberet sibi, et suae providentiae*, illi dare speciale auxilium: quo posset *diu* totam legem servare, et in illa perseverare, si vellet: sicut et modo gratia infallibiliter contrito homini datur, nec tamen contrito homini debetur; sed sibi ipsi Deus debet, ut legi quam statuit, talem gratiam dare.“ Recole superius dicta: divina specialia hujuscemodi naturalis ordinis auxilia ad suavitatem divinae providentiae spectare:

integritatem quamdam per eadem homini conferri, minime permanentem, sed transeuntem, quoad actus: hinc vero hominem illum per eadem non extrahi a purae naturae statu: ac simile praesto esse exemplum in homine lapso, etiam per gratiam sanato, qui tametsi divinis specialibus gratiae auxiliis, statui lapsae naturae indebitis, adjutus in dilectione Dei permaneat, graves vincat tentationes, ac legem adimpleat, ab eodem lapsae naturae statu non omnino extrahitur, ut superius admonuimus Capite XL. num. II. Ita vero *delineatum purae naturae statum*, tum Dei omnipotentia per sese spectata *possibilem esse*, tum etiam cum caeteris divinae bonitatis ac sapientiae attributis conjuncta, cur inficias iverimus? Haec utique *possibilitas* vindicata maxime confert ad *integrae naturae*, maximeque ad *ordinem supernaturalem* elevatae notionem rite constituendam, pretiumque dignoscendum quod eximiis sublimioris ordinis beneficiis inest, quae gratuito favore creatis mentibus elargiri Deo placuit. Horridam qui efformant *purae naturae* effigiem, hostem fingunt quem feriant. Sentire nos cum praestantissimis Theologis, satius est.

CAPUT LIII.

Purae naturae status, quem exposuimus, non pugnat cum idea recti ordinis: Thomae Aquinatis doctrina. Consonus esse potest cum divinis bonitatis, et sapientiae attributis. Nihil obstat, quominus in eodem statu pudenda diceretur concupiscentia: et quomodo. Haec ideo longe differt a concupiscentia, quam delineabat Julianus Pelagianus. Malum quoddam modo inest eidem, quo ipsa careret in statu naturae purae. An, et quomodo sit, et non sit a Deo.

I. *Recti ordinis* ideam opponunt adversarii, ut suadeant, si quidem valent, condi hominem non potuisse *concupiscentiae obnoxium:* adeoque nonnisi praecedentis peccati eam esse poenam. Inquiunt enim; *Spiritus*, natura sua considerata, longe superior est *corpore*, ac rationalis voluntas longe praestat sentienti appetitui. Recto igitur ordine salvo, ita spiritus corpori, et ratio appetitui sentienti conjungi debent, ut spiritus, et ratio dominentur, eisdemque obediant corpus, et vires inferiores. Hanc argumentationem exhibent Augustinus Libro I. de Doctrina Christiana Capite XXIV. num. 25. *Ut corpus, ejus concupiscentia edomita, sit spiritui subjugatum, naturalis ordo desiderat.*

Hanc *ordinis* ideam expendimus Capite XLI. num. II. et Capite XLVII. num. III. Duplicem *recti ordinis* ideam distingue in eo, quod menti *dominium* competit in corpus, et appetitum, et in ea quae in appetitu et corpore *subjectio* correspondet erga mentem. Alius est *ordo*, qui ea omnia exposcit, quae menti et corpori conjunctis per sese conveniunt: alius est *ordo*, qui ex dono aliquo gratuito consurgit. Jam vero *rectus* sine dubio est *ordo*, si rationalis animus ita corpori ac sentienti appetitui *dominetur*, ut *nisi volens* non sentiat concupiscentiae motus, imperio suo praeveniat eos, pro nutu excitet eosdem, comprimat, et extinguat, eosdemque ad finem, modumque rationis reducat. At *rectus* etiam *ordo* est, si rationalis animus, tametsi appetitus sentientis motus impedire non valeat, quominus eosdem sentiat; *potestatem* tamen habeat *negandi consensum* eisdem, ac opus impediendi ad quod impellunt. *Ordo prior* non est sine dono

gratuito; *posterior ordo* ad naturam humanam per sese spectatam pertinet.

Ad hunc illustrandum amplissima jam protulimus Sancti *Augustini*, et *Sancti Thomae* documenta. Testimonium Aquinatis addo, quod habetur 1. 2. Qu. IX. Art. II. ad 3. „*Ratio*, in qua est voluntas, movet *suo imperio* irascibilem et concupiscibilem, (seu appetitum sentientem,) non quidem *despotico principatu*, sicut movetur servus a domino; sed *principatu regali*, seu *politico*, sicut liberi homines reguntur a gubernatore, qui tamen possunt contra movere. Unde et irascibilis, et concupiscibilis *possunt in contrarium movere voluntatem*.“ Rationem, et appetitum considerat Aquinas juxta dominium illud in ea, et subjectionem in isto, quae ipsis per sese conveniunt. Valet sine dubio ratio recta, ac voluntas boni honesti frequentius regere appetitum, ipsumque ad proprios motus excitare, eosque ad virtutis nomen, ac decus redigere. Valet etiam ratio errans aut perversa, ac voluntas pravi finis movere appetitum sentientem, ejusque passiones, ac passionum sensibilibus objectis inhaerere; quod est peccata patrare, ac vitiis inquinari. Hoc utroque modo rationis et voluntatis regimen sequitur appetitus. At praevio etiam nullo rationis imperio, insurgere possunt sentientis appetitus motus: eosdem, cum insurrexerint, pro nutu suo non valet ratio tollere, aut extinguere. Cur vero? Quod rationis imperium in appetitum non est *despoticum*, sed *politicum*: unde ipsi etiam inest potestas *movendi* ac trahendi voluntatem *in contrarium*.

Hocce ex fonte duplex illud mentis dominium, *perfectissimum*, *minusque perfectum*, ac duplicem subjectionem appetitus, *perfectissimam*, *minusque perfectam*, hauserunt Theologi Scholastici. Ita vero frequentius rem hanc exponunt. Explicandum est, quaenam sit subjectio *perfectissima*, et *indebita*: et quaenam subjectio *minus perfecta*, et *debita*. Perfectissima subjectio est, per quam pars inferior, hoc est appetitus sensitivus, est *ita perfecte subordinata superiori*, hoc est voluntati, et rationi, ut proposito suo objecto, hoc est bono sensibili, non possit appetitus illud appetere, nisi voluntas consentiat, vel saltem non reluctetur: et non possit in ullo corporeo membro, voluntate reluctante, causare ullum motum, nec ullam alterationem. Haec subjectio est *indebita naturae humanae*. Ratio est, quia voluntati naturaliter non convenit *tantum dominium* supra caeteras potentias (*dominium despoticum* vocat Sanctus Thomas), ut possit impedire, ne propositis objectis, moveantur ab ipsis (et datis in corpore motibus, ne pares excitentur motus in appetitu). Ex. gr. non potest voluntas impedire ne oculus videat, proposito objecto visibili; ne auris audiat, proposito objecto audibili (ne sensibilium objectorum vestigia in cerebrum ascendant): ergo etiam ne appetitus sensitivus appetat bonum sensibile propositum: et ne ex actibus appetitus sensitivi sequantur aliquae alterationes, et aliqui motus proportionati in corpore, v. g. ex timore sequatur tremor, frigus, motus sanguinis ad cor, etc. *Subjectio minus perfecta*, *et debita* est, per quam voluntas rationalis *ita dominatur appetitui* sensitivo, ut possit contra inclinationem appetitus ad bonum sensibile, eligere bonum honestum, et movere corporea membra ad illud efficiendum per actiones, etiam

contraria appetitui sensitivo. Haec subjectio est *omnino debita* naturae humanae: et si natura crearetur sine illa, esset *inordinata*, et *mala*. Sine vero *perfectissima subjectione* est solum *defectuosa* aliquo naturali defectu; eo pacto, quo omnis natura creata est essentialiter defectuosa. Consule Cap. XLV. et XLVII. et XLIX.

Rem hanc totam exprimunt paucissima Thomae verba, docentis: concupiscentia rebelli *necessitatem* inferri *sentiendi*, minime *necessitatem consentiendi*. Quae vero *naturae purae* facultas inesset *non consentiendi*, ex auxiliis Dei conditoris, etiam *specialibus* intra naturae ordinem eam pendere, quod attinet ad opera egregia, ad amorem Dei, ad victoriam gravis tentationis, satis indicavimus, et exposuimus Capite superiore, quin natura a *sua puritate* extraheretur. Quae dicta sunt recole, et expende.

II. Hunc *naturae purae* statum *divina tantum omnipotentia si spectetur*, possibilem fatentur Theologorum nonnulli: possibilem inficiantur, si eadem omnipotentia consideretur, *ut conjuncta cum aliis divinis attributis*, maxime cum bonitate, et sapientia. Imbecille effugium, istud jam praeclusum est Cap. XXXVIII. num II. et III. Pauca profero. Egregia est Aquinatis doctrina, inquientis I. P. Qu. XXV. Art. V. ad 1. *In Deo est idem potentia, et essentia, et voluntas, et intellectus, et sapientia, et justitia: unde nihil potest esse in potentia divina, quod non possit esse in voluntate justa, et in intellectu sapiente ejus.* Hinc possibile quidpiam adserere spectata *Dei omnipotentia*, illudque possibile inficiari spectatis *aliis attributis divinis*, perinde est ac paradoxum obtrudere.

Solidissimam rationem affert ipse Thomas ibidem ad 2. „Deus non debet aliquid alicui, nisi sibi. Unde cum dicitur, *quod Deus non potest facere, nisi quod debet*; nihil aliud significatur, nisi quod Deus *non potest facere, nisi quod ei est conveniens, et justum*. (Haec est divina omnipotentia cum aliis attributis conjuncta.) Sed hoc quod dicitur *conveniens, et justum*, potest intelligi dupliciter. Uno modo sic, quod hoc quod dico *conveniens, et justum*, prius intelligatur conjungi cum verbo *est*: ita quod restringatur ad standum *pro praesentibus*; et sic referatur *ad potentiam*. Et sic falsum est, quod dicitur: est enim sensus, *Deus non potest facere, nisi quod modo conveniens est, et justum*. Si vero prius conjungatur cum hoc verbo *potest*, quod habet vim ampliandi, et postmodum cum hoc verbo *est*; significabitur quoddam praesens confusum. Et erit locutio vera, sub hoc sensu: *Deus non potest facere nisi id, quod si faceret, esset conveniens, et justum.*“

Itaque *omnipotentia divina*, quae *caeteris attributis conjuncta*, hominem condendo rectum, et sanum, ac perfectissimo pollentem dominio in appetitum sentientem, id effecit *quod est conveniens et justum*; caeteris etiam attributis conjuncta, si hominem conderet in statu purae naturae, id efficeret *quod esset conveniens, et justum*. Haud opus est, nobis innotescere *possibiles* hujusmodi *convenientiae*, ac *decentiae rationes*, ex attributis divinae bonitatis, divinaeque sapientiae desumptas: idque vero requiritur, ac satis est, naturae humanae principiis diligentiore examine si ea considerentur, repugnantes non apparere

praedictos ignorantiae, concupiscentiae, difficultatis bene agendi defectus. Quid? quod rationes affert Sanctus *Augustinus* in Libro III. de libero Arbitrio Cap. XX., quae Dei bonitati, ejusque sapientiae maxime congruunt: *animae dignitatem*, quae tametsi praedictis obnoxia defectibus, creaturis quibusque corporeis excelleret: *naturale judicium*, quo *studendo* ad ea perveniret, quae *nascendo* non accepit: ipsius Dei creatoris sapientiam in eo maxime elucentem, quod ipsi etiam naturae creatae defectus primordiales forent *proficiendi admonitio, et perfectionis exordium*. Superiora Capita consule.

III. *Pudendos esse concupiscentiae motus*, pergunt opponere Adversarii: nihil vero concipi, aut dari posse inquiunt, in homine innocente a Deo condito cujus *ipsum puderet*. Augustini testimonia congerunt non pauca. Ait ille Libro II. de nuptiis et concupiscentia Cap. IX. num. 22. *Sed propter illud nos pudet, quod puduit primos illos homines, quando pudenda texerunt. Illa est poena peccati, illa plaga vestigiumque peccati . . . Hujus nos pudet, et merito pudet. Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio, vel de poena nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Ait etiam Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. XVI. num. 32 et 33. *Ut nuditatis suae* (Adam et Eva) *quam quotidie profecto intuebantur, nec confundebantur, eos subito sic puderet, ut membra illa jam nuda ferre non possent; sed statim operire curarent: nonne et ille* (Adam) *in motu aperto, et illa* (Eva) *in occulto, contra suae voluntatis arbitrium inobedientia illa membra senserunt, quibus utique nutu voluntario, sicut caeteris, dominari debuerunt? . . . Hoc pudoris genus, haec erubescendi necessitas certe cum omni homine nascitur . . . Itaque sua culpa sibi accedens malum natura humana permittatur agnoscere; ne cogatur, aut (quod est impudentissimum) de his suis motibus non erubescere, aut (quod est ingratissimum) de sui Creatoris operibus erubescere*. Sed hanc demum erubescentiam non fuisse ante peccatum futuram, docet contra Julianum Libro III. Cap. X. *Satis te debuit admonere*, inquiens, *nihil pudendum futurum fuisse in operibus Dei, nisi praecessisset, cur natura humana deberet de sui meriti deformitate confundi.*

Mentem Sanctissimi Patris adsequi germanam, facile valent, qui recolant: 1. gravissimam illam *Augustinum* inter, ac *Julianum* actam esse quaestionem, num *bonum*, aut *malum* dicenda foret *concupiscentia*, quae rationem praevenit, ac rationi reluctatur: eamque inter *bona*, ac *munera Dei* collocatam a Juliano fuisse; in *malo*, seu *defectu quodam* repositam ab Augustino. Recolant 2. Quaestionem eamdem egisse Augustinum tum *conjecturali nativo lumine*, tum *certa Scripturarum revelatione*: quibus evincebat praedictam concupiscentiam, toti humano generi communem, *poenae loco* haberi debere, utpote *privationem* perfectissimi dominii, quod animo rationali in ejus conditione collatum fuisse in appetitum sentientem, nativo lumine conjectabatur, ac lumine revelationis certissime noverat. Hinc vero colligant, argumentationem ex *pudendis concupiscentiae motibus* instructam in eo suas exercere vires humanae naturae statu, quem sua culpa incurrit homo, ex alio statu decidens, in quo ipsum Deus condiderat, sicuti inno-

contentum, ita etiam perfectissimo in appetitum sentientem dominio donatum.

Possibilem *purae naturae* statum, qualem effingunt *Scholastici Doctores*, data opera versat nuspiam Sanctus *Augustinus*: at illum satis indicat in operibus *contra Pelagianos*, magisque declarat *contra Manichaeos*. Urget frequentius *adversum Pelagianos*, gratuitum donum fuisse primi hominis rectitudinem: non inficiatur *contra Manichaeos*, ignorantiam, concupiscentiam, difficultatem boni agendi esse potuisse *primordia naturalia*. At vero natura humana *sibi*, *suisque principiis essentialibus relicta*, utpote ex nihilo facta, *tamquam sibi debitum* non exposcit *perfectissimum* rationalis animi *dominium* in appetitum sentientem. Sic ergo natura humana condita *defectum* habet, ex quo sequitur, motus appetitus sentientis praevenire posse rationis advertentiam, ac rationi etiam advertenti reluctari. Ejus ergo *puderet* hominem in statu *purae naturae* constitutum, non ea ex parte qua opus Dei est, seu inclinatio in bona sensibilia; sed ex parte *defectus annexi*, qui a Deo non est, sed ab ipsa creatura ex nihilo facta.

Quamquam praeterea animadvertendum est, in statu praesenti plura esse, quae circumstant concupiscentiam, quorum *pudere* nos debeat, quae in possibili *purae naturae* systemate non fuissent. Modo namque est *effectus peccati*, est *peccati poena*, est quodammodo *instrumentum Diaboli*, magis denique effrenis est, ut infra dicendum.

IV. Hinc latissimum discrimen innotescit inter concupiscentiam, quae foret in *purae naturae* statu, ac inter eam quam Pelagianus *Eclani Episcopus* invehebat, extollebatque magnis laudibus: ac patet etiam sententiae Theologorum, qui possibilem tuentur *purae naturae cum motibus concupiscentiae* statum, ab ea concertatione *Augustinum* inter et *Julianum* agitata. Ac 1. Theologi purae naturae possibilis adsertores tradunt cum Augustino, libidinem menti rebellem neque illo in statu futuram fuisse *bonam*: illam vocat Julianus *naturae bonum*. 2. Ait iste, ita bonam esse, ut fuerit *beneficium*, quod primis parentibus contulerit Deus in felicitate paradisi constitutis: immo libidinis omnes expertes a Deo conditos esse innocentes illos homines, docet Scripturis eruditus Doctor Africanus, ipsumque tuto sequimur. 3. Ita praeterea *in malo* positam sustinemus concupiscentiam, quae rationem praevenit, ut Adamo peccante, ejusque peccato posteris inquinatis, justa Dei ultione in vindictam ea fuerit conversa, ac poena evaserit: haec inficiabatur omnia Julianus. 4. Magnis ipsam laudibus extollebat Pelagianus homo: cum Augustino *vituperabilem* dicimus, odioque dignam, quod vocant *displicentiae*. 5. Concupiscentiae, ejusque motibus consentire, pro licito Julianus habebat: fide nos catholica credimus, ratione licere nulla consensum in eam, ejusque motus: neque id *in purae naturae* statu licitum fuisset.

Hanc vero libidinem, quae in praesenti statu *ex peccato est*, ac *poena est*, potuisse in alio statu possibili solum esse *purae naturae* sibi relictae conditionem, in *defectu bonitatis*, aut in *imperfectione* consistentem, adserunt in Scholis frequentius Theologi, nos etiam cum illis sentimus: qua utique de re nulla Augustino disputatio fuit cum Juliano. Quidni etiam, si Julianus consensisset, libidinem bene-

ficio Dei exulasse a paradiso, eamque in vindictam peccati posteris Adae permissam, adeoque in malo positam esse, non in bono, tametsi *naturalem homini sibi relicto, congenitamque* simul contenderet, nullam cum Augustino contentionem incurrisset? Id enim satis novisse Augustinum, indicat ipse in Libro III. de libero Arbitrio in ea, quae cum Manichaeis agebatur quaestione, ut superius dictum est, retractatione doctrinae, quam eo in loco tradiderat, nullibi sane indicata. 4. Ait etiam contra Julianum Libro V. Cap. VII. num. 27. „Cum igitur libidinem, et naturalem esse, et vinci posse, ambo dicamus: utrum *bonum* vincamus, an *malum*, ipsa inter nos versatur *quaestio*." Adnotat quidem ibidem, *naturalem* abs se dici concupiscentiam, *quia* (post Adae lapsum) *cum illa nascitur omnis homo*: ac *naturalem* a Juliano dictam, *quod cum illa sit conditus* (innocens) *primus homo*. Sed tota ad illud caput quaestio redigitur, utrum ea sit *bonum*, an *malum*? Cum Augustino *malum* esse tenemus, eo genere mali, quod animo inferre nocumentum potest, sed non infert citra consensum ejus: quin ulla demum ratione error Juliani in calumniam possibilis naturae status, quem tuentur praestantissimi Theologi, traduci queat.

V. Sed vires ad hujusmodi nocumentum animo inferendum ampliores inesse concupiscentiae *in statu naturae lapsae*, quam *purae naturae*, sustinent Theologorum plerique. Hominem quippe *lapsum* potestati Daemonum obnoxium factum esse, credimus: ac ipse praeterea lapsus homo, tametsi divina gratia sanctificatus, non omnino eidem diabolicae potestati subtractus dici potest. Quis iverit ergo inficias, malorum Daemonum, qui ad seducendum homines proni sunt, potestate excitari motus concupiscentiae, acui et augeri? Haec in homines *naturae purae*, qui sine ullo peccato nascerentur innocentes, nulla foret potestas Daemonum: id utique status ille non exposcit.

Idem homo *naturae purae*, sicuti nullo peccato infectus, ita nulla *a Deo ultimo fine naturali aversione voluntaria* male dispositus, cum ad usum rationis, ad illudque vitae mortalis instans perveniret, in quo ipsi de seipso deliberandum foret, viribus instructus esset *sufficientibus*, ex illo etiam *amore boni communis* qui nobis inest, desumptis, ad ipsum amoris Dei super omnia implendum praeceptum. Ita Doctissimi Theologi docent, qui praedictam *sufficientiam* ad aliquod *breve saltem tempus*, quin aliquo *speciali auxilio* Dei conditoris opus esset, extendunt. Aut ergo quod implere posset praeceptum, libera voluntate violaret: ac sane e statu *naturae purae* decideret in statum *naturae lapsae* intra ordinem naturalem. Aut vero praeceptum observaret, liberum exserendo amorem Dei ultimi finis naturalis: quo utique Dei amore vires ejus naturales augerentur ad implenda legis naturalis officia, quae saltem infra breve tempus occurrerent, et ad cohibendos etiam, si qui tunc insurgerent, concupiscentiae motus. His adde *majora*, et *specialia*, quae Deus intra naturalem ordinem auxilia offerret, ac sine dubio homini conferret, qui bene ordinariis auxiliis uteretur. Ampliora Theologorum documenta paucis indicamus. Dicta consule Capite superiore num. III. et IV.

Longe differt *lapsi hominis* conditio, qui per *originale peccatum* nascitur *aversus a Deo*, non solum tamquam *fine supernaturali*, verum-

etiam *fine ultimo naturali*. Nimirum pro certa, minimeque in dubium vocanda, hanc sententiam habeo, quam frequentius tenet Theologorum chorus; eamque aversionem intelligo *voluntariam* ex voluntate primi hominis, qui volens peccavit, seque suosque posteros reddidit aversos a Deo. Jam vero iverit nemo inficias, *praedicta aversione* male affici, ac disponi lapsi hominis voluntatem circa finem suum naturalem, ac impedimentum praeberi non modicum ad boni honesti prosecutionem, maximeque ad amorem ejusdem Dei, finis ultimi naturalis, per ea quae facta sunt cogniti. Hinc Theologi docent, in praesenti *naturae lapsae* statu satis non esse speciale auxilium *intra ordinem naturalem*, sed omnino *speciale* requiri *supernaturalis ordinis* divinum auxilium, ut ipsum Deum, finem ultimum naturalem, diligere super omnia valeat lapsus homo. Vide Caput XXXIX. num. VI.

Quod si praeter hanc *aversionem a Deo*, quam infert *originale peccatum*, accedant peccata actualia, sive perversae liberae conversiones ad bona commutabilia; eo magis rationalis animi vires attenuari oportet, effrenatioresque fieri concupiscentiae motus. Fac vero, peccatorem hominem, auxiliis gratiae roboratum, ad Deum converti, ac dono gratiae sanctificantis justificari, nemo tamen in eodem licet justo, negaverit in cerebro remanere posse praecedentium concupiscentiae motuum, quibus peccando consenserat, vestigia: quo fit, in homine lapso, etiam justo, facilius, et fortius, et frequentius concupiscentiam posse, data sensibilium objectorum occasione, aut etiam *incitante Daemone*, pugnam contra spiritum agere, quam in homine *purae naturae*. Consule dicta Cap. XXXIX. num. VI. Ita vero Theologorum, quos memoravimus, illustrare sententiam licuit partim certis documentis, ac partim verisimilibus. Addere cuique liceat, si meliora occurrant.

VI. Disquirendum postremo loco manet, *an, et quomodo sit, vel non sit a Deo concupiscentia*. Eam in hocce *lapsae naturae* statu *ex peccato esse*, certum compertumque. Peccati merito, quod peccavit Adam, propagavitque in posteros, subtractum est donum perfectissimi in mente dominii in appetitum sentientem, itemque donum perfectissimae in appetitu subjectionis. Qua posita *privatione*, vires hominis, tum superior, tum inferior, in sua naturali conditione remanserunt cum pronitate ad peccandum, et cum rebellione appetitus pertrahentis ad peccatum.

Sed ipsa concupiscentia per sese sumpta expendi debet. Alia est *habitualis*, *actualis* alia. Ea vero comparari debet *potentiae peccandi*. Sicuti ergo quidquid in ista *positivum* inest, auctorem habet Deum; ipsa vero *defectibilitas* non aliam originem habet, nisi creaturam ex nihilo factam; ita quidquid est *positivum* in *concupiscentia habituali*, a Deo proficiscitur. Ad ipsam naturalem partium hominis conditionem pertinet posse concupiscere effrenate: rationalis quidem partis, quae per sese caret *perfectissimo* in appetitum sentientem *dominio*: et partis appetitivae, quae per sese non habet *perfectissimam subjectionem*. A Deo est potentia concupiscendi: a Deo non est effrenis concupiscentiae defectus, qui naturae conditionem sequitur.

Non absimili modo, a Deo est *motus* sentientis appetitus in *bonum sensibile*: a Deo non est, quod rationi non subjiciatur, ipsamque

rationem praeveniat, eidemque advertenti reluctetur. Id oritur omne ex *naturali defectu*, quem in mente vocamus carentiam perfectissimi dominii, et in appetitu sentiente carentiam perfectissimae subjectionis. Sunt vero hujuscemodi *defectus*, aut *carentiae* praeter intentionem Dei, qui *positivum omne* producit in concupiscentia sive *habituali* sive *actuali*. Aptissimo rem patefacit exemplo Sanctus Thomas 1. 2. Qu. LXXXV. Art. VI. „*Duplex* conditio (inquiens) potest attendi in aliqua materia; una scilicet, *quam agens eligit*: alia, *quae non est ab agente electa*, sed est secundum conditionem naturalem materiae. Sicut faber ad faciendum cultellum eligit materiam ductilem, et duram, quae subtiliari possit, ut sit apta incisioni: et secundum hanc conditionem ferrum est materia proportionata cultello. Sed hoc, quod ferrum sit frangibile, aut rubiginem contrahens, consequitur ex naturali dispositione ferri; nec hoc eligit artifex in ferro, sed magis repudiaret, si posset. Unde haec dispositio materiae non est proportionata intentioni artificis, nec intentioni artis.“ Unionem animae et rationis cum corpore et sentiente appetitu efficit Deus: conditio utriusque partis, alterius *non plene dominantis*, et alterius *non plene subjectae*, accidit *praeter intentionem* ipsius conditoris. „Sed Deus (ut ait ibidem Sanctus Thomas), cui subjacet omnis natura, *in ipsa institutione hominis*, defectum supplevit naturae, *dono justitiae originalis*:“ collato menti *perfectissimo* in appetitum sentientem *dominio*, ac *perfectissima* in appetitu sentiente posita *subjectione*. Sed in ipsa etiam *natura pura*, tametsi foret *necessitas sentiendi*, maneret integra *libertas non consentiendi* pro eo qualicumque, quod rationis perfectio dominium exposcit in appetitum inferiorem.

CAPUT LIV.

Messaliani originale peccatum statuebant in hominis mente per exclusionem caelestis animae, itemque in substantiali quadam cum homine peccatore unitione Diaboli. Refelluntur. Matthiae Flacci Illyrici commentum, quo peccatum idem dicitur ipsa hominis substantia, quae cum bona esset, mala facta sit. Genuinus Scripturarum sensus.

1. *Originalis peccati*, quo humanam vitiari ac premi naturam multiplici argumentorum genere ostensum est, non una ratione definiunt, aut constituunt *essentiam* Catholici Doctores, et homines heterodoxi, qui propagationem ejus in Adae posteros non inficiantur. Haereses hac de re procusas refellere, placita Theologorum diversa ad examen vocare, ac sententiam seligere ac illustrare demum, quae convenientior apparet, operae pretium est.

Messalianorum commentum refero primum. Nomen eorum adnoto derivatum a radice Chaldaea, vel Syriaca צלא, latine *oravit*. Participium plurale in forma *Pahel*, ut inquiunt Grammatici, sic effertur apud Esdram Cap. VIII. v. 10. מצלין, *Metsalain*: unde sine dubio *Messaliani* dicti sunt, idest latine *Orantes*, ut eorum error praecipuus indicaretur. Hieronymus in Prologo in Dialogos contra Pelagianos, appellat eos *Syriae haereticos*: eosque admonet, *sermone gentili Abin, et Paanin, idest perversos, et Messalianos, graece*

εὐχίτας vocari. Corruptus locus est. In Codicibus Mss. quos affert *Martianaeus* in nova Sancti Hieronymi Operum Editione, loco *Abin*, et *Paqnin* lectio occurrit *ΔΕΙΣΤΡΑΜΝΝΙ*, et ipsa corrupta, ac depravata: quae tamen indicat veram lectionem *ΔΙΕΣΤΡΑΜΕΝΩΣ*. Hinc *Michael Lequienus* in notis ad Librum Joannis Damasceni de Haeresibus, Hieronymi locum emendandum proponit: *Quos sermone gentili*, *διεστραμμένως*, *idest perverse Massalianos* (perperam scilicet orantes) *vocant*. Gentiles quosdam *Messalianos* distinguit Epiphanius Haeresi LXXX. num. 1. et 2. aliosque *Christianos*: ac istos erupisse *Valentiniani*, *et Valentis temporibus*, testatur Theodoretus Libro IV. Historiae Eccl. Cap. X. adeoque ante *annum* 375. quo mortem obiit *senior Valentinianus*, relictis Valente, Gratiano, et Valentiniano juniore.

Sectae duces fuerunt, eodem Theodoreto teste, *Dadoes*, *Sabas*, *Adelphius*, *et Symeones*, *aliique*. Adelphium vocat Photius Codice LII. *plebejum*, *ac privatum hominem:* Sabam, *Monachorum habitum praeferentem:* Dadoem denique, et *Συμεώνην*, *Semesonem* (ut scribit), *Daemonis Zizania*. Alium Sectae hominem addit Photius ibidem *Lampetium*: *qui primus ex dicta haeresi surripere furtim sacerdotii dignitatem*, *ac subire potuit*. Librum ab ipso concinnatum refert, quem *Testamentum vocabat*: *ipsumque refutatum* memorat *a Severo*, *qui Antiochenam invasit sedem*, *Presbytero adhuc existente*. Quo ex loco colligi potest, ante annum 513. quo Antiochenam Cathedram occupavit Severus, *Messalianorum* haeresim, *Lampetio* duce, instauratam fuisse.

Lampetianis adjungit *Marcianistas* Sanctus Maximus in Scholiis ad Cap. VI. Dionysii Areopagitae, vel alterius Auctoris de Ecclesiastica Hierarchia: *Nota* (inquiens) *contra Lampetianos*, *sive Messalianos*, *aut Adelphianos: vel*, *quod idem valet*, *Marcianistas*. Paria scribit *Sophronius Jerosolymitanus* in Epistola ad Sergium, quae Actione XI. Synodi VI. Oecumenicae refertur. *Lampetius*, *nec nominandae Marcianistarum haereseos princeps*. Itaque alius, sectae dux, *Marcianus* nomine, distinguendus videtur: jamque innotescit, adnotante Lequieno, *Marcianistarum* haeresis (non *Marcionitarum*, ut legi fortasse debere putabat Gussanvillaeus) quam *Gregorius Magnus* Libro VI. Epistola XV. XVI. et XVII. ignotam significat sibi fuisse.

Originale peccatum fatebantur illi: at monstro simillima est, quam tradunt expositionem ejus. *Joannes Jejunator*, Episcopus Constantinopolitanus, hanc *Messalianorum* thesim, veluti a Concilio Ephesino Oecumenico inter alias anathemate percussam, ad Gregorium Magnum transmisit: nempe: *Adae anima in peccato mortua fuit: et Diabolus in cor illius*, *qui peccat*, *ingreditur*. Summi Pontificis responsa, ac pravum quo thesim intelligebant, sensum *Messaliani*, exposuimus Cap. XII. num. II. et IV. Theodoretus his errorem, quo de agimus, verbis describit: *Adelphius* .... *latens venenum totum evomuit*, *dicens*, *sacrum baptismum nullam iis*, *qui eum consequuntur*, *utilitatem afferre*; *sed sola sedula oratione Daemonem inhabitantem expelli. Omnes enim qui eduntur in lucem*, *ex primo parente trahere ajebat*, *quemadmodum naturam*, *sic et Daemonum servitutem*: *his autem per sedulam orationem fugatis*, *advenire deinceps Spiritum sanctum.*

Erroris capita plura diligentius recenset *Joannes Damascenus* Libro de Haeresibus num. 80. Nimirum 1. „Habitare cum homine, *ἐνυποστάτως, personaliter* Satanam, eique in omnibus dominari. 2. Satanam, et Daemones humanam mentem possidere: hominumque naturam *communione* jungi cum spiritibus nequitiae. 3. *Baptismate* homines non perfici, nec sacrorum Mysteriorum perceptione animam expiari: sed solis, in quas se illi impendunt, *precibus*. 4. Hominem post etiam Baptisma susceptum, *(συμπέφυκται ὁ ἄνθρωπος τῇ ἁμαρτίᾳ,) commixtum esse peccato*, seu in massa peccati esse. 5. *φύσει τὰ κακά*, mala constare *natura*. 6. Hominem oportere *duplici anima* esse praeditum: una, quam hominibus communem dicunt; altera, quam caelestem.“ Itaque Messalianorum delirium erat: duas in homine quolibet animas esse, *communem* unam, *caelestem* alteram; hanc per peccatum excludi, adeoque hominem ex parte mori: ac insuper Diabolum cum homine peccatore *personaliter* conjungi, nec ulla Baptismi alteriusve Sacramenti virtute abigi posse, nisi *per orationem:* nasci demum posteros Adae mortuos, ac Daemoni subjectos, eique *substantialiter* conjunctos.

II. Monstruosam haeresim satis fuerit refellere, proposita *Synodorum* auctoritate, quae malum prompto remedio sustulere. Tres memorat Synodos *Theodoretus* loco citato: *Letonis Melitenensis Episcopus*, inquiens, *vir singulari studio erga pietatem exardescens, cum videret multa Monasteria, immo vero speluncas latronum, hunc contraxisse morbum, ea incendit, et lupos a grege abegit. Eodem modo praestantissimus ille Amphilochius, urbis primariae Lycaoniae* (Iconii) *Pastor, et moderator totius nationis, cum intellexisset eam perniciem in ea loca invasisse, denuo repulit: et greges, quos ipse verbo pavit, illa labe eripuit. Quin etiam Flavianus Antiochiae Episcopus, vir multorum sermone celebratus, cum accepisset hos Edessae aetatem agere, et suum venenum in vicinorum animos infundere;* serpenti morbo remedium tulit: *et erroris morbo retecto, Syria exacti sunt; sed in Pamphyliam profecti, eam eadem pernicie referserunt.*

Uberius de his Patrum Synodis, aliisque *Photius* agit, qui codicem hac de re scriptum nactus est, legit, recensuit. Ait vero: „Lecta *Synodus Sidae* habita (urbs erat Side, Pamphyliae Metropolis) adversus haeresim *Messalianorum* ... Praefuit Synodo *Amphilochius* Iconii Episcopus considentibus et aliis viginti Episcopis. In eodem Libro lecta est ipsius Synodi ad Magnum *Flavianum*, Episcopum Antiochiae, Synodica epistola. Quapropter etiam ipse *Flavianus Synodum* indixit adversus eosdem illos haereticos, accedentibus tribus Episcopis, *Biza* Seleuciae, et *Marutha* gentis Sapharenorum, et *Samio:* ad quos se cum Presbyteri, tum Diaconi ad triginta conjunxerunt .... Porro scripsit *Flavianus ad Osroinenses*, (Osrhoenae provinciae Metropolis erat Edessa, quam memorat Theodoretus,) epistolam, ea quae gesta essent edocentem ... Responsumque est, acceptis ab Episcopo litteris: et Flaviano pro his gratiae actae, atque consensus datus. Scripsit et *Litotius*, (Letonem vocat Theodoretus,) *Armeniae Episcopus*, (Melitenensem dicit Theodoretus, est enim Melitene in Armenia secunda,) de *Messalianis* interrogans: cui missum est synodicum de illis decre-

tum, (editum scilicet in Synodo Flaviani.)". Ad eumdem circiter annum praedictas Synodos omnes pertinere, *Sidensem*, *Antiochenam*, *Osrhoenam*, et *Melitenensem*, ex eo colligi facile potest, quod acceptis Concilii Sidensis litteris, Antiochenum Concilium coegit Flavianus: deditque synodicas litteras ad Osrhoenos, et Melitenenses. *Amphilochius* Iconii, et *Bisa* Seleuciae subscripti leguntur in Concilio Constantinopolitano, quod a Nestorio in causa duorum Episcoporum, Sedem eamdem Bostrensem sibi vendicantium, anno 394. celebratum fuit. Quo deinceps anno mortem obierit Amphilochius, incertum. In Sedem Antiochenam anno 381. suffectus Meletio fuit *Flavianus*, diemque supremam anno 404. clausit, ut ostendit Pagius ad eumdem annum num. XIX. Unde jam constat, Synodos praedictas post annum 381. et ante annum 404. celebratas fuisse. Annum circiter 383. definiunt Baronius, Baluzius, et Conciliorum Collectores.

Scripsit et Atticus Constantinopolitanus Episcopus (Photii verba sunt) *Episcopis in Pamphylia existentibus, ut undique Messalianos exturbarent. Quin et idem ad Amphilochium, τὸν Σίδης, Sidae Episcopum scripsit.* Atticum anno 406. post Arsacium electum Constantinopoleos Episcopum, Pagius probat ad annum praecedentem CCCCV. num. 8. Hinc plura addisci possunt. 1. *Messalianorum* haeresim extingui priorum Synodorum conatibus non potuisse. 2. Adversum illos coactam ab *Attico* Synodum vel anno 406. ad finem vergente, vel post illum. 3. Concilii Constantinopolitani Synodicam directam ad *Amphilochium Sidae*. 4. Hunc Episcopum distingui oportere ab *Amphilochio Iconii*, aliamque Sidensem Synodum celebratam esse a priore distinctam, cui Amphilochium Iconii praefuisse narravimus.

Aliam memorat in eadem causa celebratam Synodum Photius: in qua *Sisinnius Constantinopolitanus, et Theodotus Antiochenus communem epistolam ad Berinianum, et Amphilochium in Pamphylia Episcopos dederunt: cujus Epistolae haec inscriptio est: Deo carissimis Sacrorum Collegis, Beriniano, et Amphilochio, omnibusque adeo in Pamphylia Episcopis, Sisinnius, atque Theodotus, et universa Sancta Synodus, quae Dei gratia in Magna Urbe Constantinopolitana congregata est, consecrandi gratia Deo amantissimi Episcopi Sisinnii, jussu, et auctoritate pientissimi, et Christo cari Imperatoris nostri Theodosii, salutem in Domino.* Berinianum *Pergensem*, et Amphilochium *Sidensem*, ambos intellige Episcopos in Pamphylia, ubi *Messaliana* pestis invalescebat. Synodum praedictam *Sidae* celebratam, deceptus existimavit *Petavius* de Doctrina Temporum Libro XIII. ad Annum CCCCXXVII. Locum se nescire, ubi coacta ipsa fuerit, profitetur *Baronius* ad eumdem annum num. 23. At Regia in urbe *Constantinopoleos* habitam fuisse, allata verba dubitare non sinunt: quod etiam confirmari potest ex *Definitione Sanctae, et Oecumenicae Synodi Ephesinae contra impios Messalianos*, quae Parte II. ejusdem Concilii exstat in Editione Harduini. Haec enim ibidem leguntur verba: *Attulit ... Episcopus Valerianus Schedulam Synodicam, de illis compositam in Magna Constantinopoli, sub beatae memoriae Sisinnio.* Non anno 427. Sed anno praecedenti 426. illigandam esse Synodum, monet Pagius ad Annum CCCCXXVII. num. 8. ac superius allata verba evincunt; eo quia

Sisinnius hoc eodem anno consecrationem, cujus occasione Synodus habita est, suscepit; hoc est, *sub Consulatu Theodosii XII. et Valentiniani junioris Aug. II.* ut scribit Socrates Libro VII. Histor. Capite XXVI.

Narrationem suam texere pergit Photius: *Fecit item decretum* (contra Messalianos) *Sacra, et Oecumenica Synodus Ephesina tertia,* (anno 431. celebrata,) *quae et illum* (Adelphium) *cum blasphemiis, capitibusque haereseos, quotquot in illorum Libro Ascetico essent, detexit, et anathemati subjecit.* Memoratum decretum prostat loco superius citato sub titulo, *Definitionis Sanctae et Oecumenicae Synodi Ephesinae contra impios Messalianos, qui et Euchetae, et Enthusiastae quoque appellantur:* ibique Synodica Sisinnii Episcopi epistola *probata* dicitur, *quod bene sit condita, recteque se habeat.* Haec adduntur verba: *ut solida sint et ea, quae in Alexandria acta sunt;* unde palam fit, hanc haeresim ab ipso etiam *Cyrillo Alexandrino* proscriptam fuisse, profligatamque. Refert denique Photius, quae contra *Lampetium,* haereseos instauratorem, gesta sunt. Nostra interest animadvertere, memoratis in Conciliis errorem *Messalianorum*, quo *originalis peccati* natura perverse exponebatur, damnatum fuisse.

III. Monstrosiorem *Messaliana* excogitavit, procuditque haeresim *Matthias Flaccus Illyricus.* Fuit ille, Lutheranae Apostasiae temporibus, Magdeburgensis Minister: ac rigidiorum, quos vocant, Lutheranorum antesignanus. *Peccatum originale esse* docuit *ipsam hominis substantiam:* unde qui ejus adhaeserunt commento, *Substantialistae* dicti fuerunt. Mentem ejus declarant, quae ab ipso prolata documenta profert Bellarminus Tomo III. Libro V. de statu peccati Capite II. *Manichaeismi* invidiam amoliri primo nititur ea ratione; quod *Manichaei* duas in homine inducerent naturas, bonam, et malam: unam ipse dumtaxat constitueret, quae bona cum esset ante lapsum Adami, mala facta est post ejusdem peccatum. Bonam a Deo conditam esse docebat, factamque malam opera Diaboli. Addebatque, unam eamdemque hominis substantiam esse *totam a Deo*, simulque *a Diabolo totam:* a Deo quidem qui eam procreat, et conservat; a Diabolo vero, qui vitiavit eamdem, vitiatamque quotidie facit. Quo in dogmate non apparet, quomodo distingui certo, ac perspicue in anima peccatoris queat, quid *operationi divinae*, quid etiam *diabolicae* tribui debeat: sibique praeterea adversari videtur Flaccus, qui modo adserit, *totam animae substantiam,* modo *partem ejus supremam,* commutatam a Diabolo fuisse.

Delirum commentum nemo non videt, pluribus adversari fidei Catholicae capitibus. *Manichaeismi* notam effugere non valet, propterea quod *substantiam malam* ultro concedit: ac uno etiam in peccatore sin substantias duas, ejusdem saltem *animae*, *partem alteram* bonam distinguit, *alteramque* malam. Haec procul dubio adserta in Articulum *unius Dei Creatoris* impingunt.

His etiam laeditur *unius Dei boni sanctitas:* cum in una eademque substantia, quam totam ait a Diabolo vitiatam, simulque totam a Deo procreatam conservatamque, *nulla Sophistarum novacula acuta* (verba Illyrici sunt) *distinguere possit, quid sit Dei, et quid Diaboli.*

Error est, quo eluditur *Incarnationis Dominicae, Resurrectionis*, et *Vitae aeternae* fides omnis. Neque enim fieri potest, ut *substantia hominis mala*, quae modo post Adae peccatum nascitur, vita beata fruatur in patria: neque mala quae modo est, eadem fuerit substantia in resurrectione mortuorum: neque demum similis nostrae dicenda erit *adsumpta a Verbo divino substantia*, nisi fortasse absurdiore commento malam adsumpsisse Verbum substantiam dicatur. Sed eodem denique errore *humana Philosophia* convellitur, quae rationalem animum distinguit a materia, neque partes ullas in eo novit: nec aliam in spiritu mutationem agnoscit, nisi penes aut subtractionem, aut accrementum luminis in intellectu, et affectionum in voluntate; quae non est *substantiae permutatio*, sed *modorum ejus*, aut accidentium.

IV. Scripturarum textus, quibus abutitur insanus homo, ad examen vocare praestat, eorumque germanum exponere sensum, ut propriis etiam armis ineptiens Flaccus confodiatur. Geneseos verba opponit Capite VI, v. 5. *Et vidit Deus, quod multa malitia hominis esset in terra: et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Textus Hebraeus habet: וכל־יצר, *et omne figmentum cogitationum cordis ejus tantum malum omni die.* Et Capite VIII, v. 21. *Sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*: vel juxta Hebraicum textum, *Figmentum cordis hominis malum a pueritia sua.* Et in Epistola ad Romanos Capite VI. v. 6. *Vetus noster homo simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.*

His innixus testibus Illyricus ait: nominibus, quae *substantiam* significant, cujusmodi sunt, *Figmentum cordis*, *Vetus homo*, *Corpus peccati*, peccatum ipsum denotari, quo deterior facta est natura humana. Mirum est, Geneseos verba ab homine haeretico adduci potuisse, quae commento ejus maxime adversantur! Non ipsum *cor hominis* dicitur *Figmentum malum*; sed malum enuntiatur *Figmentum cordis*, et *cogitationum ejus*. Hebraicum יצר, est latine *Figulus*; qui sicuti ex luto ollas, sive testas efficit, alias in honorem, et alias in ignominiam; ita cor hominis, veluti artifex, vanissima quaeque cogitat, meditatur, amat, desiderat: unde cordis cogitationes, et affectiones, quae non sunt substantia hominis, sed modi ejus, et accidentia, dicuntur locis citatis hebraice יצר, seu latine *Figmentum malum*. Sed hanc eamdem vocem adhiberi in Scripturis ad bonam animi affectionem significandam, Lexicographi adnotant. *Figmentum* vero *cogitationum cordis* dictum intellige *tantum malum omni die*: vel ὑπερβολικῶς, ut plurimae, ac frequentissimae, non omnes, cogitationes, affectionesque hominum, plurimorum etiam non omnium, significentur pravae, ac vitio laborantes: vel etiam dicto illo, ad peccatores restricto, propter quos diluvium a vindice Deo inductum fuit. Sensum utrumque confirmat obvius textus Capite VI. v. 12. ubi *omnis caro dicitur corrupisse viam suam;* cum attamen *Noe vir justus, atque perfectus* appelletur v. 9. *in generationibus suis*.

Apostoli Pauli verba, quae allata sunt, minime Illyrico favent. Nihil enim ipsi aliud est *vetus homo*, quam pristina vivendi ratio, et consuetudo in concupiscentiis, et peccatis. Seipsum explicat in Epistola ad Colossenses Capite III ubi v. 9. et 10. sic ait: *Nolite men-*

tiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis; et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Eodem in Capite diligentius modum exponit, quo nos oporteat *veterem hominem* deponere v. 8. *Nunc autem deponite et vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* Modumque praeterea docet, quo novus induendus homo sit v. 12. *Induite vos sicut electi Dei, et sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, et humilitatem, modestiam, patientiam.* Eadem occurrunt in Epistola ad Romanos Capite VI. v. 13. *Sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato; sed exhibete membra vestra, arma justitiae Deo.* Et v. 19. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae in sanctificationem.*

Jam duo sponte fluunt. 1. Peccatum non in *substantia* esse positum, sed in *animi affectionibus,* actionibusque. 2. *Προσωποποίαν* usurpari hoc loco ab Apostolo, qua rei inanimae, ac modo rei, seu accidenti tribuitur, quod est animatorum proprium, et substantiae: adeoque *crucifixum* dici *veterem hominem,* quia sicuti per crucem non sine gravi dolore pervenitur ad exitum; ita neque pravi cordis amores absque dolore, ac detestatione expungi possunt, et extingui. Haeret figurae Paulus, dum ait: *Et destruatur corpus peccati;* quod ita etiam appellat, non aliquam ut inducat *malam peccati substantiam,* sed ut significet deponendam a nobis multitudinem omnem, et congeriem peccatorum. Sensum confirmat locus ad Colossenses Cap. III. v. 5. ubi non alia peccati, et veteris hominis intelligenda membra praebet, nisi pravas animi affectiones, operationesque: *Mortificate,* inquiens, *membra vestra, quae sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam.*

Malam, desperatamque pergit causam suam ineptissime perorare *Illyricus,* iis in argumentum pertractis divinarum Scripturarum locis, in quibus homo dicitur *ad imaginem, et similitudinem Dei* factus. Inquit vero, imaginem hanc positam esse in ipsa natura, aut *substantia.* Adsumit deinde, eamdem imaginem peccato vitiari, deteri, et amitti. Concludit tandem *peccato mutari substantiam hominis,* ut quae prius tota bona erat, tota deinceps mala facta sit. Objectionem elidit solidissima doctrina Aquinatis. *Similitudinem,* et *imaginem* invicem confert I. P. Qu. XCIII. Art. II. et IX. docetque: *similitudinem* aliquando patere latius *imagine,* et aliquando imaginis perfectionem exhibere: creaturas omnes dici similes Deo, tum quia causam adumbrat suam quilibet effectus, tum quia gradum *entis* participant, aliasque similes communes rationes: at solam denique mentem esse *imaginem Dei,* utpote quae ipsam veluti imitatur differentiam Dei, quae in eo posita est, quod *seipsum intelligit, et amat* ut ait Art. IV. Hoc eodem in loco animadvertit Doctor Angelicus, tripliciter imaginem considerari posse: *uno modo, secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, et amandum Deum: alio modo, secundum quod homo actu, vel habitu Deum cognoscit, vel amat, sed imperfecte: tertio modo, secundum quod homo Deum actu cognoscit, vel amat.* Hinc docet, *primam rationem* imaginis in ipsa mentis natura, et sub-

stantia positam esse: *alteram* in actu cognitionis, et amoris, et virtutum habitibus, maximeque gratiae donis: *tertiam* demum, in dono gloriae. Ultra pergit Articulo IX. ac tradit, *imaginem illam Dei*, quae ipsius mentis naturae, aut substantiae inest, perfici, ac veluti magis Deo similem fieri per veras cognitiones, bonosque amores, ac adjunctas virtutes.

Illyrico indulgeamus, ac ultro fatemur etiam, aliquam imaginis Dei rationem in hominum *natura*, ac *substantia* repositam esse. Hanc sine dubio perfici imaginem tenemus per actus cognitionis, et amores, et virtutes: quae porro omnia non sunt substantia hominis, sed *ejus modi*, et accidentia. Atque in his demum mutationem peccato factam adserimus. Apertissima doctrina est Apostoli ad Colossenses Cap. III. ubi *renovari in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum*, nihil aliud est quam *deponere iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem; et induere viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Sunt nimirum affectiones, et modi animi, non ejus substantia, tum virtutes, tum vitia, ac peccata.

Alia duo Scripturarum expendo loca, quibus abutitur heterodoxus homo. *Joannes* in Evangelio Cap. VIII. v. 44. Jesu Christi verba affert, Scribas increpantis, et Pharisaéos: *Vos ex patre Diabolo estis.* Affert etiam verba Apostoli ad Ephesios Cap. II. v. 3. inquientis: *Eramus natura filii irae.* Naturam pro *substantia* accipit Illyricus: sustinetque, ipsam substantiam peccatoris hominis a Diabolo vitiari, propterea quod *pater* dicitur ille peccatorum hominum. Joannis textum versat Augustinus in Libro contra Adimantum Manichaeum Cap. V. futilemque, ac vanam, et falsam ostendit quam profert Illyricus expositionem. „*Tribus* (inquit) *modis* in Scripturis sanctis *Filiorum* nomen accipitur. Uno *secundum naturam;* quomodo Isaac filius Abrahae, vel etiam caeteri Judaei, qui ex eadem origine veniunt. Alio *secundum doctrinam*, ut filius ejus in ea re quisque appelletur, a quo aliquid didicit: sicut *filios* suos Apostolus appellat (I. ad Corinth. Cap. IV. v. 15.) qui ab illo didicerunt Evangelium. Tertio modo *secundum imitationem:* sicut *Filios Abrahae* nos vocat Apostolus (ad Galat. Cap. III. v. 7.) qui ejus fidem imitamur. Duobus ergo modis peccatores infideles Judaei, *Filii Diaboli* vocantur a Domino, vel quod ab ipso impietatem didicerunt, sicut de ipso Diabolo Apostolo dicit (ad Ephes. Cap. II v. 2.): *Qui nunc operatur in filiis diffidentiae:* vel quod eum imitantur, quod magis pertinet ad id, quod de illo dictum est (apud Joannem Cap. VIII. v. 44.) *Et in veritate non stetit:* quia et ipsi Judaei in veritate legis, quae sibi data est, non steterunt.“

Admonet Sanctissimus Pater Libro I. Retractat. Cap. XXII. num. 3. *Aliis modis Filiorum nomen accipi in Scripturis sanctis. Sicut dicitur Filius gehennae, vel Filius adoptivus: quae utique nec secundum naturam, nec secundum doctrinam, nec secundum imitationem dicuntur.* Hinc eo sensu *Filius gehennae, et Filius irae* dicitur, quo *filium mortis* dictum legimus Libro II. Regum Cap. XII. v. 5. et *filium perditionis* apud Joannem Cap. XVII. v. 12. et in Epistola II. ad Thes-

salonicenses Cap. II. v. 3. morti scilicet, perditioni, irae, et gehennae obnoxios propter peccati meritum. Unde *originale* constituere *peccatum* in substantia, propterea quod *irae filii* dicuntur, qui eo vitiati nascuntur; error est enormis. Patet enim, nomen בן in Hebraico textu, et nomen *filius* in novo Testamento periphrases facere insignes, quae minime *ad substantiam* attinent. Sic Deuteronomii Cap. XIII. v. 14. *Filii nequitiae* sunt homines improbi: Hoseae Cap. X. v. 9. *Filii iniquitatis* denotant iniquos, vel pravos: I. Regum Cap. I. v. 51. *Filius virtutis* est *homo bonus*: Lucae capite X. v. 6. *Filius pacis* idem est ac pace, vel salute dignus; quod explicat Matthaeus Capite X. v. 13. *Et si quidem*, inquiens, *fuerit domus digna, veniet pax.* Neque vocem *naturae* urgeat Illyricus: *natura filii irae:* cum perinde sit, ac *originaliter*, seu *ab ipsa nativitate* esse hominem irae obnoxium: quo sensu ajebat David, se *in iniquitatibus conceptum, et in peccatis editum a matre sua.*

CAPUT LV.

Communis Lutheranorum, et Calvinistarum error peccatum originale non distinguit a concupiscentia: quae manet etiam in renatis. Veteres Haeretici idem olim procuderant commentum. Refellitur Scripturarum auctoritate: ac primo Jacobi Apostoli. Item Apostoli Pauli. Methodii Episcopi commentarius. Consona aliorum Patrum documenta.

I. Communis *Lutheranorum*, et *Calvinistarum* succedit haeresis. Hanc propriis *Amesii Calviniani* verbis profero, quae habentur apud Vitum Ebermannum in Vindiciis Bellarminianis. Ait ille Libro V. Cap. V. *Quaestio est, utrum corruptio naturae* (mortalitas corporis, et animi ignorantia, et infirmitas, et boni agendi difficultas), *ac praesertim concupiscentia, qualis invenitur etiam in baptizatis, et justificatis, sit proprie peccatum? Pontificii negant, nos affirmamus.* Id vero discriminis baptizatum et justificatum hominem inter, ac illum qui sancto baptismate tinctus non est, nec habet justitiam, constituunt heterodoxi homines: quod isti, non illi corruptio naturae, aut concupiscentia *imputatur*. Unde Amesius ait Cap. VII. num. 3. *Sola ordinatio ad poenam tollitur in remissione peccati, non vero dignitas. Ordinationis autem illius actualis fundamentum proximum est justitia Dei, persequens peccatum vindicta: et hoc fundamentum post gratiam remissionis in Christo, non manet.* Et infra: *Deus quando remittit, non judicat peccatum non esse; sed ex gratia judicat, non esse vindicta prosequendum.*

Adversam doctrinam, quam semper docuit, docetque Ecclesia catholica, perspicuis verbis proponit Synodus Tridentina Sessione V. „Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, *reatum originalis peccati* remitti negat: aut etiam asserit, *non tolli* totum id, quod veram et *propriam rationem peccati* habet: sed illud dicit tantum radi, aut *non imputari;* anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia *nihil est damnationis in iis* (ad Rom. Cap. VIII. v. 1.), qui vere consepulti sunt cum Christo per baptismum

in mortem: qui non secundum carnem ambulant; sed veterem hominem exuentes, et novum induentes, qui secundum Deum creatus est, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti sunt, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: itaut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. *Manere* autem *in baptizatis concupiscentiam*, vel fomitem, haec Sancta Synodus fatetur, ac sentit; quae cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Jesu Christi gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc *concupiscentiam*, quam aliquando Apostolus (ad Rom. Cap. VII.) *peccatum* appellat; Sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam numquam intellexisse *peccatum* appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit; sed quia *ex peccato est*, et *ad peccatum inclinat*. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit."

II. Haeresis est, quae jam olim in Ecclesia vetere ortum habuit, et obitum. *Methodius*, Olympi Lyciae, deinde Tyri Antistes, qui sub Diocletiano, vel, ut alii putant, sub Decio, et Valeriano, Martyrii palmam reportavit, elucubrationem conscripsit *contra Originem*, instar *Dialogi*, in quo colloquentes inducuntur *Aglaophon*, *Proclus*, *Auxentius*, et ipse *Methodius*. Fragmenta plura apud Epiphanium Haeresi LXIV. proferuntur.

Origeni patrocinari videtur *Proclus*, ejusque tueri opinationes. Origenis ergo, vel aliorum commentum de re, qua de agimus, profert Proclus num. 25. „Ut e magnificorum Templorum structura caprificus enascens . . . non prius excrescere desinit, quam disjectis ex eo unde prodierit, loco lapidibus, tota penitus labefactata domus concidat . . . Ita quamdiu corpus vivit, nec adhuc mortuum est, *cum eo vivere peccatum* necesse est, et occultas in nobis ipsis radices agere . . . . Atqui etiam post susceptam fidem, sanctissima illa aquae lotione perfusi, peccatis saepius obstringimur: neque enim adeo se immunem ab omni esse peccato gloriari quispiam potest, ut ne cogitatione quidem ullum scelus admittat. Ex quo consequens est, *reprimi* quidem, ac *consopiri* modo fide *peccatum*, ne perniciosos fructus emittat; *non omnino* tamen, *ac radicitus extingui* . . . At in futuro illo statu mali omnis vel cogitatio tolletur." Novatorum commentum haec indicant verba.

Id adserentes Veteres illi eodem innitebantur momento, quod obtrudunt *Lutherani*, et *Calvinistae*. Procli verba affero num. 26. „Neque vero quod dicimus, Scripturarum testimonio caret; si quis veritatem sincere profiteri velit. Nam et Apostolus *peccati radicem* nondum ex hominibus sensit *omnino sublatam*, cum ita loquitur: (ad Rom. Cap. VII.) *Scio enim quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adjacet mihi; perficere autem bonum, minime. Non enim quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc facio. Si autem quod nolo, hoc facio; non jam ego perficio illud, sed quod habitat in me peccatum. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et omnino captivantem me legi peccati, quae est in membris meis.* Ita nondum peccatum *ab ipsis radicibus* excidi penitus potuit: neque enim funditus extinctum est, sed *etiamnum vivit*." Multiplicium peccatorum

quae patrant homines, tum adhuc manere *radicem*, tum radicem istam esse *peccatum*, docuisse Veteres illi videntur: qui Novatorum error est.

III. Concupiscentiae notiones, quas tradidimus, ac diligentissime exposuimus Capite XLV. et Capite XLVI. errorem convellunt, quo de agimus. *Habitualis* namque est *concupiscentia*, vel *actualis*. Nihil aliud prior exprimit, quam partes hominis, *animam* et *corpus*, *rationalem animum* et *appetitum sentientem*, potestate et subjectione carentes: *subjectione* videlicet corpoream partem et sentientem, et animum rationalem *potestate et imperio:* quo scilicet nonnisi praeeunte imperio excitentur sentientis appetitus affectiones cum proportionatis in corpore motibus; et cujus nutu impediantur, ne insurgant; et cum insurrexerint, temperentur, aut omnino comprimantur. Altera *concupiscentia actualis* in ipsis consistit corporis motibus, affectibusque sentientis appetitus, rationis ac voluntatis imperium praevenientibus, ac rationi advertenti et nolenti voluntati reluctantibus. Absurdum quis non videat, in hisce motibus corporis, aut *sentientis appetitus affectibus*, utique *necessariis ac indeliberatis*, vel etiam in ipsis naturae humanae partibus *perfecta illa carentibus concordia*, quae in primo vigebat homine a Deo condito, *veram* constituere *peccati rationem*, veramque animae immunditiam, odio Dei dignam, ac morte aeterna?

Neque *concupiscentiam* praeterea ita posse concipi ostendimus Capite XLVI. acsi dici debeat *vitiosus unus habitus*, aut veluti *unus*, qui permanenter intus inhaereat, *actus* aut superbiae, aut cupiditatis, aut amoris proprii, ex quo germinent particulares quaeque liberae malorum appetitiones. Immo nomine *actualis concupiscentiae*, quae contra rationem dimicat, et in peccatum pertrahit, tot significantur indeliberati ac necessarii sentientis appetitus motus effrenes, quot excitari in nobis possunt pro varia objectorum sensilium impressione. Proficiscuntur vero omnes, tamquam ex radice una, a *concupiscentia habituali*, quam nihil esse aliud adnotavimus, quam ipsas hominis partes, *superiorem*, et *inferiorem*, ea carentes concordia, quae primo in homine erat: perfectissimo scilicet dominio destitutam superiorem partem, et perfectissima subjectione inferiorem.

Immo etiam *actualem concupiscentiam* aliquo modo *radicem*, *et causam* dici posse *omnis peccati*, docet Aquinas Lectione II. in Caput VII. Epistolae ad Romanos. Egregiam accipe doctrinam: „*Concupiscentia* dicitur *generale peccatum:* quia radix, et causa omnis peccati est *aliqua concupiscentia specialis.*“ Nullum scilicet, aut ferme nullum in hoc mortali corpore peccatum committitur, in quod homo *speciali aliqua concupiscentia* non fuerit pertractus. Sunt enim concupiscentiae motus, qui contra rationem insurgunt, trahentes alii ad objectum superbiae, alii ad objectum avaritiae, ad iram, ad gulam, ad impudicitiam alii, vel etiam ad bonum quodcumque proprium sine ordine rationis. „Et ideo *concupiscentia* (etiam actualis) est *generale malum:* non communitate generis, vel speciei, sed *communitate causalitatis,* (sensu jam exposito.)“ Si qui sunt alii catholicae Theologiae sensus, eos exposuimus citato Capite XLVI. Quod ipsi demum sive *actuali*, sive *habituali*, malum inest *concupiscentiae*, longe dissitum ab Haereticorum commento, diligentissime declaratum est Capite XLIX.

Praesto sunt *Scripturarum testimonia*, ac *Patrum documenta*, quae liquido patefaciunt: *peccatum* non esse *concupiscentiam*, quae *manet in renatis:* neque peccatum dici posse concupiscentiam in impiis, et peccatoribus, *eidem si liber denegetur consensus.* Jacobi Apostoli, cujus Epistolae catholicae *αὐθεντίαν* non inficiatur Calvinus, textum affero ex Capite I. v. 14. *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde cum concupiscentia conceperit, parit peccatum.* Tentantem nos voluptatis illicio *concupiscentiam* heic habes: quae nondum tamen *peccatum* est. Immo nec ipsa per sese umquam peccatum est; sed illud concipere, ac parere dicitur, cum *liber accedit voluntatis consensus*, qui veri nominis *peccatum est.*

Favent *Augustinus*, et *Cyrillus* Alexandriae Episcopus. Ait ille Libro VI. contra Julianum Capite XV. num. 47. „Cum dicit Apostolus Jacobus: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus: deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum:* profecto in his verbis *partus a pariente* discernitur. *Pariens* enim est *concupiscentia*, partus *peccatum.* Sed concupiscentia non parit, *nisi conceperit:* nec concipit, nisi illexerit: hoc est ad malum perpetrandum *obtinuerit voluntatis assensum.* Quod ergo adversus eam dimicatur, hoc agitur, ne concipiat, pariatque peccatum. Dimissis itaque *in Baptismate* peccatis omnibus, idest omnibus *concupiscentiae foetibus* . . . manet ipsa . . . etiamsi adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere, ac parere ne sinatur."

Ait etiam *Cyrillus* Libro IV. in Joannem Capite LI. „*Voluptas quaedam* (ecce concupiscentiam, ejusque motum indeliberatum) ante omne peccatum praecurrit: et fervens cupiditas ad delicta solet illicere, quae *ante peccandi actum* insidet; et mentis consensum arripit, *persuadens* facile hac via veniendum nobis esse quo gliscimus. Quod verum Christi discipulus ostendit, dicens: *Nemo qui tentatur, dicat a Deo se tentari: neminem enim Deus tentat.* Sed *unusquisque a sua cupiditate distractus, atque seductus tentatur. Cupiditas deinde postquam conceperit, parit peccatum.* Porro *consummatio* (idest liber, deliberatusque voluntatis consensus) *mortem generat.* Vides, quomodo ex cupiditate improbitas ortum ducit: vides, quomodo ex voluptatis semine delicta producuntur."

Paullo aliter apostolicam declarat sententiam *Beda* in Commentario ad eumdem locum. „Tribus modis tentatio agitur: *suggestione, delectatione, consensu:* suggestione hostis, delectatione autem, vel etiam consensu nostrae fragilitatis. Quod si hoste *suggerente, delectari*, aut *consentire* peccato nolumus; tentatio ipsa nobis ad victoriam provenit, qua coronam vitae mereamur accipere. Si vero et hostis *suggestione* paullatim a recta intentione abstrahimur, et vitio incipimus illici; *delectando* quidem offendimus, sed necdum lapsum mortis incurrimus. At si delectationem concepti corde facinoris etiam *partus* pravae sequitur actionis, (seu pleni consensus, ut inquiunt Theologi,) nobis jam mortis reis victor hostis abscedit." Concupiscentiae *partum* reponit Beda in pleno perfectoque deliberato, quem concupiscentiae impellenti damus, consensu: ejusdem vero *conceptum* intelligit consensum imperfectum, ut in iis motibus Theologi declarant, quos vocant

secundo-primos. Sed ubi *sola suggestio* est, corporis videlicet motus ab exteriori proveniens objecto, et insurgens in appetitu sentiente affectio, aut rationem praeveniens, aut rationi advertenti reluctans, nullum esse ibi lapsum docet Beda. Una manet suggestio, aut tentatio, quae nobis *in victoriam* cedit.

IV. Catholicum dogma vel ipsa suadent, et evincunt Apostoli Pauli testimonia, quae adhibent *heterodoxi* in praesidium erroris. Haec habentur verba ad Romanos Capite VI. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore ad obediendum ei* (peccato) *in concupiscentiis ejus.* Sensu duplici haec intelligi sententia potest. Ita scilicet primo, ut *peccatum* proprie accipiatur: nosque admoneat Paulus, ne sinamus peccatum regnare in nobis, libere consentiendo concupiscentiis ejus. Sensum habes catholicum, Novatorum commento adversum: tum quia *concupiscentiae* intelligi possunt libera flagitiosa peccati regnantis in corde desideria: tum quia si *concupiscentiae* intelligi debeant sentientis appetitus actus indeliberati, data rerum sensilium impressione insurgentes; jam ab *istis* distinguitur *peccatum:* neque *concupiscentia* peccatum est, sed *libera,* quae praestatur eisdem, *voluntatis obedientia.*

Accipi in eo praeterea textu *peccatum* potest pro ipsa *concupiscentia:* atque tum Apostoli sensus est, ne *concupiscentiam,* quae nobis inest, *regnare* sinamus in nobis *per liberum consensum* pravis ejus motibus, ac illiciis praestitum. Liquet vero, jam á *peccato* discerni *concupiscentiam:* ac istud in libero constitui consensu; eamque vero minus proprie ab Apostolo vocari *peccatum,* tum quia *ex peccato* est, tum etiam quod *ad peccatum* inclinat. Posteriorem hunc sensum adoptat Augustinus Libro II. Operis imperf. contra Julianum num. 226. „*Concupiscentiam carnis,* per quam nascitur, et cum qua nascitur homo ... cohiberi Apostolus praecipit, nec *regnare* permittit: eamque *peccati* nomine appellat, quia et *de primo peccato* originem ducit, et quisquis ejus motibus *ad illicita consenserit,* peccat. Quae tunc nulla erit in nobis, quando immortale corpus habebimus. Ideoque cum posset dicere, *non regnet peccatum in vestro corpore;* cur addidit verbum, et ait: *in vestro mortali corpore?* Nisi ut tunc speraremus, istam quam *peccatum* vocat, *concupiscentiam* non futuram, quando mortale non habebimus corpus. Nam tu dic nobis, cur non ait: *non sit peccatum in vestro mortali corpore;* sed ait, *non regnet?* Nisi quia ista *concupiscentia,* quae non potest esse nisi in mortali corpore, *in eis regnat,* qui desideriis ejus ad mala perpetranda *consentiunt.*“

Apostoli verba, quae habentur in Epistola ad Romanos Cap. VII. jam olim objecerat *Proclus Origenianus:* eademque in ipsum Proclum, errorem ejus ut convellat, regerit *Methodius.* De utroque actum est num. II. Verba sunt apud Epiphanium Haeresi LXIV. num. 56. In boni, malique medio positus (Adami innocentis nomine colloquitur), utpote liber, ut quod velim integrum mihi sit eligere... cum in id inclinassem ut spirituali legi minime parerem ... et serpentis monitis obtemperarem: propter hunc delectum in peccatum prolapsus, Diabolo sum venditus. Hinc *malum,* velut obsidens, *mihi adhaerescit:* atque in carne mea, tamquam in domo

quadam, habitat... Mihi itaque violati mandati poena haec imposita est, ut *malo quodammodo venderer.*" Malum istud, cui traditus est homo peccator, intelligitur *concupiscentia rebellis.* „Propterea *quod facio, non intelligo; et quod odi, facio.* Quae non sic accipienda sunt, quasi *malum perficere,* et *committere* dicatur; sed ad solam cogitationem referri par est; cum plerumque *alienae* nobis, et *absurdae cogitationes* advolent; et ad ea quae nolumus, illudendo nos provocent." Concupiscentiam statuit *Methodius* in alienis, et absurdis cogitationibus, ac inde sine dubio exortis sentientis appetitus necessariis affectibus, invitam rationem, ac voluntatem pertrahentibus in peccatum: eamdemque discernit *a peccato veri nominis.*

Uberiora sunt, quae *Methodius* disserit ibidem num. 57. „Neque enim *in nobis* situm est, abhorrentia cogitare, vel non cogitare; sed uti, vel non uti cogitatis. Nam ne nobis istiusmodi cogitationes obrepant, quae probandi nostri causa extrinsecus immittuntur, *prohibere non possumus: non assentiri, et oblatis non uti possumus.*" Unde peccatum consistit in usu pravo cogitationum, ac motuum concupiscentiae, liberoque in consensu eisdem dato; non in ipsis cogitationibus, motibusque concupiscentiae. „Alioquin quomodo tandem Apostolus *malum* quod sibi displicebat, maxime *committeret;* bonum vero quod placebat, *nequaquam faceret?* Nisi de peregrinis cogitationibus loqueretur, quas animo quandoque *vel inviti*, incertaque nobis ex causa, tractare solemus."

Apostoli verba sequuntur eodem in loco v. 17. 18. 20. et 23. *Nunc autem jam non ego operor illud* (malum scilicet, de quo dixerat v. 15. *quod operor, non intelligo*), *sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae.* Nempe, ut *Methodius* observat num. 60. „his verbis *peccatum* modo significat (Apostolus), quod ex illa divini mandati violatione per cupiditatem est invectum. Quo ex *peccato*, tamquam germina quaedam, et surculi, ita *voluptariae in nobis cogitationes* oriuntur." Heic habes *rebellem concupiscentiam* in vindictam inobedientiae *loco poenae* invectam: eamque non alia *peccatum* ratione vocari ab Apostolo, nisi quia *ex peccato* provenit, et *ad peccatum* illicit. Admonet *Methodius* num. 61. „Apostolum *tria* legum genera hoc in loco distinxisse, Quorum unum est, insito nobis bono consentaneum: quam aperte *legem mentis* appellat. Alterum est, quod ex Nequissimi impressione conflatum, nostram animam in perturbationis plenissimas plerumque cogitationes, ac phantasias conjicit: quam *adversari legi mentis* dixit. Postremum genus est, quod per peccatum ex ipsa cupiditate in carne nostra occalluit: quam ille *peccati legem habitantem in membris nostris* nominat." *Lex prima* in ipsis consistit boni, et honesti notionibus quae a Deo impressae nobis insunt. *Lex tertia* posita est in animi cogitationibus affectionibusque indeliberatis, quae rerum sensibilium impressione facta, rationem praeveniendo insurgunt, animumque perturbant, ac pertrahunt in malum: quae uno verbo *concupiscentia* est. Quae *secundo loco* numeratur *lex*, ad operationem Diaboli pertinet, quae intus existentem concupiscentiam *saepe adversus nos excitat* (ut

ait ibidem Methodius), *atque ad injustitiam, et scelerata facinora compellit.* Cur vero *peccatum*, et *peccati lex* vocitetur demum *concupiscentia;* iterum docet Methodius num. 62., quia *per mandati transgressionem latebras in nobis constituit, ac denique ad justitiae necem animam nostram, variis imaginibus illudendo, pertrahit.*

V. Haec vetustissimi Patris doctrina communis est sequiorum temporum Patribus. Singulas Apostoli Pauli sententias eodem semper sensu intellexit, ac declaravit *Augustinus.* Verba refero, quae habentur de nuptiis et concupiscentia Cap. XXVII. num. 30. „Agit aliquid *concupiscentia carnis,* etiam quando ei non exhibetur vel *cordis assensus*, ubi regnet; vel membra (non exhibentur) velut arma, quibus impleatur quod jubet. Agit autem, quid? nisi ipsa *desideria mala*, et *turpia.* Non enim si bona et licita essent, eis obedire prohiberet Apostolus, dicens: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Non enim ait, *ad habenda desideria ejus;* sed, *ad obediendum desideriis ejus;* ut quoniam sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque in hominis interioris novitate profecerit, in hoc agonem justitiae, pudicitiaeque servemus, ne illis obediamus.“ *Mala* vocat Augustinus concupiscentiae *desideria,* quia pertrahunt ad peccatum: at malum est *consensus* in ea eo genere mali, quod est *peccatum veri nominis.* Hinc lex qua peccata prohibentur, non vetat habere concupiscentiam, ejusque desideria, sed his obedire desideriis.

Sequitur Augustinus: „Ut tamen nec *ipsa* sint *desideria,* velle debemus (id enim est finis perfectionis nostrae, in patria tandem obtinendus); etiamsi in corpore mortis hujus id obtinere non possumus. Hinc et alio loco idem Apostolus loquens, velut ex suae personae introductione, nos instruit dicens: *Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi illud facio;* idest *concupisco:* quia et hoc nollet facere, ut esset omni ex parte perfectus. *Si autem quod nolo,* inquit, *hoc facio; consentio legi, quoniam bona.* Quia hoc et illa non vult, quod et ego nolo. Non vult enim, ut *concupiscam*, quae dicit, *Non concupisces.*“ Nempe unum prohibet lex, aliud indicat. Pravam prohibet *liberam concupiscentiam*, seu liberum *consensum* quo libere amplectimur concupisentiae motus ad peccatum illicientes. Indicat vero *prohibitionis finem*, qui est immunitas totius concupiscentiae, in caelis habenda. „Et ego nolo concupiscere. In hoc itaque consentiunt voluntas legis, et mea. Verum quia concupiscere nolebat, et tamen concupiscebat, sed eidem *concupiscentiae nequaquam consentiendo* serviebat; adjunxit, atque ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed id quod in me habitat peccatum*“ scilicet *concupiscentia.* Hanc dicit se non operari, quia invitus eamdem patitur.

Alia sunt Apostoli verba: *Scio enim, quia non habitat in me, hoc hoc est in carne mea, bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Augustini expositionem accipe ibidem Cap. XXIX. num. 32. „Hoc ideo dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt: sicut tunc perficitur malum, quando malis desideriis obeditur. Quando autem sunt (praedicta mala desideria, seu concupiscentiae motus), sed non eis obeditur; *nec malum perfi-*

tur, quia *non eis obeditur:* nec bonum (perficitur), quia sunt. Sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiae malae *non consentitur:* et ex aliqua parte remanet malum, quia *concupiscitur*. Ideo ergo Apostolus non ait, *facere bonum sibi non adjacere;* sed *perficere*. Multum enim boni facit, qui facit quod scriptum est (Ecclesiastici Cap. XVIII. v. 30.): *Post concupiscentias tuas non eas*. Sed non perficit, quia non implet quod scriptum est (Exodi Cap. XX. v. 17.). *Non concupisces;*" finem scilicet praecepti attingendo, ut superius exposuit Augustinus, et hoc etiam admonet in loco, inquiens: „Ad hoc ergo dixit lex, *Non concupisces;* ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiae quaeramus: et *in eo praecepto* sciremus, et *quo* debeamus in hac mortalitate *proficiendo conari*, et quo possit a nobis *in illa immortalitate beatissima perveniri*. Nisi enim quandoque perficiendum esset, numquam jubendum esset." Consensum in hac via negando concupiscentiae, ad regnum caelorum pervenitur, ubi nullus est concupiscentiae sensus.

Postrema Apostoli verba sequuntur: *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me sub lege peccati, quae est in membris eis*. Quae diligentissimo pro more expendens Doctor Africanus ait ibidem Cap. XXX. a versu 34. „Ista *condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem* de magna nobis venit gratia Dei: in ea quippe interior homo noster renovatur de die in diem, cum in ea proficit perseveranter (virtutum operibus insistendo, eisque comprimendo concupiscentiam). Verum illud, quod ait: *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae:* ipsa est ista de qua loquimur *concupiscentia*, lex peccati in carne peccati. Quod autem dixit: *et captivantem me sub lege peccati*, hoc est sub se ipsa, *quae est in membris meis;* aut captivantem dixit *captivare conantem*, idest ad *consentiendum*, *implendumque* cogentem: aut potius, quod non habet controversiam, captivantem secundum carnem; quam nisi teneret carnalis concupiscentia, quam *legem peccati* vocat, non utique in ea ullum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoveret. Quod autem non ait, *captivantem carnem meam*, sed *captivantem me;* hinc factum est, ut sensus hic alius quaereretur: et acciperemus *captivantem*, velut dixisset *captivare conantem*." Haec sunt eximia Augustini documenta, quae luculentissime evincunt, peccatum non esse *concupiscentiam*, sed *consensum in eam*.

Aliorum Ecclesiae Patrum eadem mens est, et doctrina. *Ambrosius* in Cap. XVII. Sancti Lucae v. 30. num. 50. duas expendit, quae ab Apostolo discernuntur leges, et ait: „Est ergo *lex interioris hominis:* est etiam *exterioris*. Illa, quae peccatum prohibet; ista, quae suadet. Illa, quae damnat errorem; ista, quae suggerit. Illa, quae mentem instruit; ista, quae tentat." Legem exterioris hominis ipsam intellige *concupiscentiam*. Haec vero, Ambrosio teste, non est *peccatum;* sed tentat, et suggerit, et *suadet peccatum*. Gemina scribit *Gregorius Nazianzenus* in Oratione I. Apologetica de fuga sua: „Nondum de *interno bello*, atque in nobis ipsis, et in affectibus sito, verba facio: quo nocte ac die, partim occulte, partim apperte, ab

humilitatis corpore divexamur: et ab ea quae nos per sensus, atque alia hujus vitae oblectamenta sursum deorsumque versat; atque a luto faecis cui infixi sumus, et a *peccati lege* spiritus legi repugnante; regiamque in nobis imaginem, et quidquid divinae defluxionis nobis inspersum est, *corrumpere conante.*" Concupiscentiam vides, quae regiam in nobis imaginem *corrumpere conatur;* non quae *peccatum* sit, ipsamque *regiam imaginem* reipsa corrumpat citra consensum voluntatis.

Auctor *Librorum de vocatione gentium* Libro I. Cap. VIII. sic ait: „*Lex peccati*, et *lex Dei* diversas, atque discretas in eodem homine habent mansiones: et *concupiscente carne* adversus spiritum, carnis etiam concupiscentiis *spiritu repugnante*, per exteriora quidem insidiari tentator audet; sed mens auxilio Dei munita, praevalet. Ad magnam enim utilitatem fidelium materia est reservata certaminum, ut non superbiat sanctitas, dum pulsatur infirmitas." Tantum scilicet abest *peccatum* esse *concupiscentiam*, ut quam ipsa pugnam gerit in nobis, materia sit *ad utilitatem reservata.* Plures hujusmodi enarrat utilitates *Gregorius Magnus* in Expositionibus Moralibus in Jobum Libro XIX. num. 12. ubi ad Apostoli locum de duplici carnis, et mentis lege, hanc notam appingit: „Ad ima quippe pertrahit *caro*, ne extollat *spiritus:* et ad summa trahit spiritus, ne prosternat caro. *Spiritus* levat, ne jaceamus in infimis: *caro* aggravat, ne extollamur in summis. Si non sublevante spiritu, nos caro tentaret, perfectione procul dubio tentationis suae in ima dejiceret: rursum vero si non tentante carne, ad summa nos spiritus sublevaret, in superbiae casu ipsa nos prius sublevatione prosterneret. Sed fit certo moderamine: ut dum unusquisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius; nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat. Quoniam nec *tentatio exterior culpam perficit*, quia interior intentio sursum trahit: nec rursum intentio interior in superbiam elevat, quia tentatio exterior humiliat, dum gravat."

Haec Apostoli Pauli dicta, quibus *Novatores* abutuntur, intellexere laudati Ecclesiae Patres in *persona ejusdem Apostoli* veluti *spiritalis hominis*, ac renati, sub gratia constituti, atque sancti, qui cum rebelle concupiscentia pugnam gerit, consensum denegando. Sunt *alii Patres Ecclesiae*, qui eadem intellexerunt veluti dicta *ex persona hominis peccatoris*, positi sub lege, nondum sub gratia. Neque tamen peccatum est concupiscentia *per sese spectata;* sed *liber consensus*, quo suas post concupiscentias vadit peccator. *Augustini* admonitio est Libro I. Retractationum Cap. XXIII. num. 1. *De spiritali homine, jamque sub gratia constituto melius intelligi verba Apostoli, propter carnis corpus, quod nondum spiritale est, erit autem in resurrectione mortuorum; et propter ipsam carnis concupiscentiam, cum qua ita confligunt sancti non ei consentientes ad malum, ut tamen ejus motibus, quibus repugnantibus resistunt, non careant in hac vita. Non eos autem habebunt in illa, ubi absorbebitur mors in victoriam.* Sed ipse demum *peccator homo*, qui divinae gratiae munitus auxiliis, bono rationis usu, motibus concupiscentiae non consentit, *quodammodo spiritalis homo* dici potest.

CAPUT LVI.

Sancti Thomae Aquinatis commentarius in Apostoli Pauli Epistolam ad Romanos juxta duplicem sensum. Haereticorum objectio ex peccati nomine, quo concupiscentia appellatur. Altera, sumpta ex lege concupiscentiam vetante. Tertia ex malo, quod inest concupiscentiae. Pauli Apostoli doctrina iterum illustratur.

I. Utramque expositionem superiore Capite indicatam profert *Sanctus Thomas* in Commentario Epistolae ad Romanos: ac utriusque discrimina elegantissime enarrat. Locum ejus describere liceat, tametsi prolixum, quo Apostoli verba utroque sensu exponuntur. „Apostoli textus dupliciter exponi potest: uno modo, ut loquatur ille *in persona hominis in peccato existentis:* alio modo ut intelligatur loqui in persona sua, idest *hominis sub gratia constituti.* Ego autem *carnalis sum, venumdatus sub peccato.* Ly *ego* pro *ratione hominis* intelligitur, quae est principale in homine: unde videtur unusquisque homo esse sua ratio, vel suus intellectus. Dicitur homo *carnalis,* quia ejus ratio carnalis est. Dicitur *carnalis dupliciter:* uno modo, ex eo quod *subditur carni*, consentiens his, ad quae caro instigat: et hoc modo intelligitur de homine nondum reparato per gratiam. Alio modo dicitur ratio carnalis, ex eo quod *a carne impugnatur:* et hoc modo intelligitur carnalis esse ratio hominis sub gratia constituti. Utraque carnalitas provenit *ex peccato:* unde subdit:

„*Venumdatus sub peccato.* Sed notandum, quod carnalitas quae importat *rebellionem carnis ad spiritum*, provenit ex peccato primi parentis: quia hoc pertinet ad fomitem, cujus corruptio ex illo peccato derivatur. Carnalitas autem, quae importat *subjectionem ad carnem*, provenit non solum ex peccato originali, sed etiam *actuali*, per quod homo *obediendo concupiscentiis carnis*, servum se carnis constituit.

„*Quod enim operor, non intelligo.* Quod quidem potest intelligi dupliciter. Uno modo de eo, qui est *subjectus peccato:* qui intelligit in universali, non esse operandum peccatum; tamen *victus* suggestione Daemonis, vel passione, vel inclinatione pravi habitus, operatur illud. Alio modo de eo, qui est *constitutus in gratia:* qui operatur malum, non exequendo in opere, vel consentiente mente; sed *solum concupiscendo* secundum passionem sensibilis appetitus. Et illa concupiscentia est praeter rationem, et intellectum: quia praevenit ejus judicium. Unde dicit, *non intelligo:* quia intellectu nondum *deliberato,* aut *praecipiente,* talis operatio concupiscentiae insurgit.

„*Non enim quod volo bonum, hoc ago.* Si de homine *sub peccato constituto* haec intelliguntur verba; cum dicit *ago*, est accipiendum secundum actionem completam, quae exterius opere exercetur per rationis consensum. Quod autem dicit *volo*, est intelligendum non quidem de voluntate completa, quae est operis praeceptiva; sed de voluntate quadam incompleta, qua homines in universali bonum volunt. Secundum autem quod intelligitur de homine *per gratiam reparato,* sensus est: velle illum mentem suam a pravis concupiscentiis conservare, sed hoc bonum non agere propter inordinatos motus concupiscentiae insurgentes in appetitu sensitivo.

„*Sed quod odi malum, illud facio.* Si intelligatur de homine *peccatore;* per hoc quod dicit *odi*, intelligitur quoddam odium imperfectum, secundum quod omnis homo naturaliter odit malum: et per hoc quod dicit *facio*, intelligitur actio perfecta per operis executionem secundum rationis consensum. In eo vero sensu, qui homini *sub gratia constituto* convenit; illud *facio* intelligitur actio imperfecta, quae consistit in sola *concupiscentia appetitus sensitivi:* et illud *odi* intelligitur odium perfectum, quo quis perseverat in detestatione mali.

„*Si autem quod nolo, illud facio,* (quocumque id intelligas modo;) eo ipso quod nolo malum, *consentio legi in hoc, quod bona est:* in hoc quod prohibet malum, quod ego naturaliter nolo.

„*Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Id recte, ac faciliter intelligi potest de homine *sub gratia constituto.* Quod enim *concupiscit malum* secundum appetitum sensitivum ad carnem pertinentem, non procedit *ex opere rationis;* sed *ex inclinatione fomitis.* Illud autem dicitur homo operari, quod ratio operatur: quia homo est id, quod est secundum rationem. Unde motus concupiscentiae, qui non sunt a ratione, sed a fomite, non operatur homo, sed fomes peccati, qui hic *peccatum* nominatur. Sed de homine *sub peccato constituto* hoc proprie intelligi non potest: quia ejus ratio peccato consentit, et ideo ipsemet (homo) operatur. Potest tamen, licet extorte, exponi etiam de homine *peccatore.* Actio enim maxime tribuitur agenti, quod secundum *proprietatem suam* movet; non autem agenti, quod movet vel agit secundum *proprietatem alterius*, a quo movetur. Manifestum est autem quod ratio hominis, secundum id quod est proprium sibi, non inclinatur ad malum; sed secundum quod movetur a concupiscentia. Et ideo operatio mali, quam ratio facit prout est victa a concupiscentia, non attribuitur principaliter rationi, quae hic per *hominem* intelligitur; sed potius ipsi concupiscentiae, vel habitui, ex quo ratio inclinatur ad malum. Dicitur autem peccatum *habitare in homine;* non quasi peccatum sit res aliqua, cum sit privatio boni; sed designatur permanentia hujusmodi defectus in homine.

„*Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Fomes peccati potest dici *lex* duplici ratione. Uno modo *propter similes effectus:* quia sicut lex inducit ad bonum faciendum, ita fomes inducit ad peccandum. Alio modo *per comparationem ad causam.* Cum autem fomes sit quaedam poena peccati, duplicem causam habet. Unam *ipsum peccatum*, quod in peccante dominium accepit: et ei legem imponit, quae est fomes; sicut Dominus servo victo legem imponit. Aliam, quae est *Deus:* qui hanc poenam homini peccanti indidit, ut rationi inferiores vires non obedirent; et secundum hoc ipsa inobedientia inferiorum virium, quae dicitur fomes, lex dicitur, inquantum est per legem divinae justitiae introducta.

„Haec autem lex *originaliter* quidem consistit in appetitu sensitivo, sed diffusive invenitur in omnibus membris, quae deserviunt concupiscentiae ad peccandum. Eadem lex praeterea duos effectus in homine habet. Primo namque resistit rationi: et quantum ad hoc

dicit, *Repugnantem legi mentis meae;* idest legi Moysis, vel legi naturali. Secundus effectus est, quod hominem in servitutem redigit: unde subdit: *Et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis.* Lex autem peccati captivat hominem dupliciter: uno modo *hominem peccatorem* per consensum, et operationem: alio modo hominem *sub gratia constitutum,* quantum ad concupiscentiae motum."

II. Duplex innotescit sensus, quo documenta apostolica intellexerunt Ecclesiae Patres: ac utrumque jam patet, ex diametro adversari *Novatorum* commento. Tria sunt, quae praecipua ex eisdem Pauli sententiis objecta promunt heterodoxi homines, ut errori praesidium afferant. Inquiunt 1. *Peccatum* vocari ab Apostolo *concupiscentiam:* eademque voce *peccati,* fas non esse ut credamus, aequivoce uti Paulum voluisse. 2. *Concupiscentiam,* ejusque motus lege illa, *Non concupisces,* Apostolo teste prohiberi: illud autem lege vetari, quod veri nominis peccatum est. 3. Malum dici, et esse, quae manet etiam in renatis *concupiscentia:* adeoque verum esse, et appellari peccatum.

Haec opponentes heterodoxi adversantur Ecclesiae Patribus, quorum Commentarios in Apostoli locum descripsimus. Iterum singulares adducere liceat Sancti Augustini responsiones. Luculentissima sunt contra primum objectum verba ejus Libro I. de nuptiis et concupiscentia Capite XXIII. num. 25. „*Modo quodam loquendi* (concupiscentia) *peccatum* vocatur: quod et peccato facta est, et peccatum, si vicerit, facit. Sic autem vocatur *peccatum,* quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur *lingua* locutio, quam facit lingua; et *manus* vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur *peccatum,* quia peccatum, si vicerit, facit: sicut vocatur frigus *pigrum,* quod pigros faciat.« Paria docet Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite XIII. num. 27. „Etiamsi vocetur *peccatum,* non utique quia peccatum est; sed quia peccato facta est, sic vocatur. Sicut scriptura *manus* cujusque dicitur, quod manus eam fecerit. Peccata autem sunt, quae secundum carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, cogitantur: quae transacta etiam reos tenent, si non remittantur. Jam ergo *concupiscentia* non est peccatum; sed hoc vocatur, sive quod *peccato facta sit,* sive quod peccandi delectatione moveatur; etsi ei, vincente delectatione justitiae, non assentiatur." Haec eadem paucis repetit verbis Libro I. Retractationum Capite XV. num. 2. *Peccatum vocatur, quia peccato facta est, et poena peccati est.* Primam ergo, quam Novatores instaurarunt, vidit Augustinus difficultatem, depulitque.

III. Alteram explanat, duo in ea lege, *Non concupisces,* distinguens: *finem legis,* ac *materiam ejus.* Hanc docet esse liberam pravam concupiscentiam, seu liberum consensum instiganti concupiscentiae datum: illumque consistere in omnis peccati, omnisque concupiscentiae ad peccatum impellentis immunitate. Partem primam frequentissime ab Augustino traditam vidimus admonente, peccatum non esse concupiscere, sed concupiscentiae consensum praebere. Alteram etiam partem docet ille testimoniis jam allatis. Accedunt, quae habentur

verba in Epistola CXCVI. alias CC. ad Asellicum num. 6. „Lex posuit, dicendo: *Non concupisces; non quod hic valeamus, sed ad quod proficiendo tendamus.*“

Partem utramque tradit Libro I. de nuptiis et concupiscentia Capite XXIX. num. 32. „Multum boni facit, qui facit quod scriptum est: (Ecclesiastici Capite XVIII. v. 30.) *Post concupiscentias tuas non eas:* sed non perficit, quia non implet quod scriptum est: (Exodi Capite XX. v. 17.) *Non concupisces.* Ad hoc ergo dixit lex, *Non concupisces*, ut nos in hoc morbo invenientes jacere, medicinam gratiae quaereremus; et *in eo praecepto* sciremus, et *quo debeamus* in hac mortalitate *proficiendo conari*, et *quo possit* a nobis in illa immortalitate beatissima *perveniri.* Nisi enim quandoque perficiendum esset, numquam jubendum esset.“

IV. Tertiae demum satis difficultati facit Sanctissimus Pater. Culpam, peccatum, reatumque constantissime discernit a naturae languore, vulnere, infirmitate, ac etiam defectu; qui rationali animo nocumentum inferre potest. Docet vero disertissime, concupiscentiam quae manet in renatis, non esse malum eo mali genere, quod est culpa peccatumque, sed eo utique quod est infirmitas naturae, vulnus, languor, ac defectus nocumentum animo consentienti inferens. Affero verba, quae prostant in Libro de continentia Capite VII. num. 18. „In hac bona hominis, et bene a bono condita, institutaque natura nunc bellum est, quoniam salus nondum est. *Languor* sanetur, pax est. Languorem autem istum *culpa* meruit, natura non habuit. Quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit; sed sub ejusdem Medici manibus *adhuc natura cum suo languore* confligit. In tali autem pugna sanitas erit tota victoria: nec temporaria sanitas, sed aeterna; ubi non solum finiatur hic languor, verumetiam deinceps nullus oriatur .... Propitius fit iniquitatibus Deus, cum peccata dimittit: sanat languores, cum desideria prava compescit. Propitius fit iniquitatibus, dando indulgentiam: sanat languores, dando continentiam.“

Gemina plurima sunt apud Augustinum documenta. Libro XIV. de Trinitate Capite XVII. num. 23. „Sane ista *renovatio* non momento uno fit ipsius conversionis, sicut momento uno fit illa in Baptismo renovatio, remissione omnium peccatorum: nec enim unum, quantulumcumque remanet, quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate quae febribus facta est, revalescere: itemque aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est *causam* removere *languoris*, quod per omnium fit *indulgentiam peccatorum*; secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paullatim proficiendo in renovatione imaginis Dei.“ Et sermone CLV. alias VI. de verbis Apostoli Capite IX. num. 9. „Modo interim impletur; *post concupiscentias tuas non eas.* Post concupiscentias tuas cum audis, illicitas accipe. *Post concupiscentias tuas non eas*, debet impleri ex voluntate nostra, adjuta gratia Dei. Quidquid enim illa *concupiscentia carnis* egit in nobis praeteritorum peccatorum, sive in factis, sive in dictis, sive in cogitationibus, *liberum mentis consensum extorquendo*,

totum deletum est sacro baptismate. Omnia debita delevit una indulgentia. Restat ergo cum carne conflictus: quia *deleta est iniquitas*, sed *manet infirmitas.*"

Libro II. de peccatorum meritis et remissione Capite IV. num. 4. „In baptizatis, in quibus jam ratione utentibus *quidquid concupiscentiae mens ad peccandum consentit*, propriae voluntatis est; *deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu*, quo victos originaliter detinebat, *ad agonem* interim manet: *non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura*, donec absorbeatur mors in victoriam." Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite XIII. num. 27. „Nec propter *concupiscentiam*, cujus jam *reatus* lavacro regenerationis absumptus est, dicunt in Oratione baptizati, *Dimitte nobis debita nostra* ... sed propter *peccata*, quae fiunt *in ejus consensibus.*" Libro VI. contra Julianum Capite V. num. 12. „Gratia *reatum ejus* (concupiscentiae) absolvit, quo faciebat hominem originaliter reum, quando fit in illo plena remissio peccatorum: quamvis *ipsa remaneat*, contra quam regenerati spiritus concupiscat; aut bene usurus hoc malo in minore certamine; aut omnino non usurus in majore certamine. Inest enim *sensus* hujus mali, dum reluctatur, atque cohibetur: *reatus* autem ille, qui sola regeneratione dimittitur, quemadmodum cum inesset, non sentiebatur; ita ejus ablatio fide creditur, non carne, vel mente sentitur." *Reatus* concupiscentiae nihil aliud est, quam *privatio gratiae sanctificantis*, per liberum pravum consensum illata. Hunc reatum tollit gratiae sanctificantis infusio: sed haec non tollit concupiscentiam, quae utique in renatis remanet sine reatu, adeoque peccatum non est; sed neque per sese peccatum esse potest in peccatore. Vide Caput XLVIII. num. III. et Caput XLIX. num. II., III. et IV.

V. Haec vero Augustini, aliorumque Ecclesiae Patrum doctrina consonat apostolico textui, si rite ac diligenter expendatur. Ac primo utitur Paulus *Metonymia* in voce *peccati*, graece *ἁμαρτίας*, modo pro veri nominis peccato accepta, modo pro causa peccati, et effectu. Cum ait Paulus v. 7. *Quid ergo dicemus: lex peccatum est? absit;* dubio procul omni peccatum accipit pro causa peccati: ac perinde est, si dixisset, *lex causa peccati est? absit.* Cum addit: *Sed peccatum non cognovi, nisi per legem:* peccatum intelligit veri nominis, quod est actio prava, et flagitiosa; quam lex notam facit, dum eam vetat. Ait vero v. 8. *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam:* ubi animadverte 1. peccatum discerni a concupiscentia; ac illud accipi posse veluti causam, istam veluti effectum. 2. ipsum peccatum sumi posse pro concupiscentia praeveniente rationem, et instigante ad illam concupiscentiam, quae est liber consensus voluntatis. Neque opponas, maximam ingeri confusionem, si *Metonymia* admitti debeat. Sed illam sane tollunt verba textus, invicem diligenter collata: ipsaque figura dictioni confert ornamentum.

Lege illa, *Non concupisces*, quam inducit Apostolus, solam prohiberi liberam concupiscentiam pravam, seu liberum consensum concupiscentiae ad malum instiganti praestitum, evinci facile potest ex ipsius Apostoli documentis. Legem adludit in Decalogo latam Exodi

Capite XX. v. 17. et Deuteronomii Capite V. v. 19. *Non concupisces domum proximi tui: non concupisces uxorem proximi tui, &c.* Quis vero non videat liberos vetari consensus in furta, rapinas, moechias, adulteria? Testatur ille, se motus concupiscentiae experiri quidem, ac sentire, minime tamen adprobare: unde ait: *Quod enim operor*, (quod experior, quod sentio, quod in me operatur concupiscentia,) *non cognosco*, non intelligo, non adprobo, non amplector. Unde motus hujuscemodi nemo capite sanus dixerit esse peccata veri nominis. Quid? quod demum admonet, se minime motus illos operari, eo quod ante rationis advertentiam insurgunt, et rationi advertenti ac repugnanti non obediunt: *Nunc autem*, inquiens, *jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Intelligat ergo quisque tales non esse praedictos motus, ut homini queant imputari tamquam veri nominis peccata, ac legis transgressiones.

Haec eadem Apostoli documenta sicuti evincunt, concupiscentiam in *malo quodam* consistere; ita malum illud non esse *morale*, aut peccatum vere proprieque dictum. Luculentissima praeterea verba sunt, quae insequente Capite VIII. habentur v. 1. *Nulla igitur nunc condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu* renati, et justificati. Docuerat Apostolus praecedente Capite VII. justos, ac spiritales etiam homines in hoc mortali corpore carnales esse, eos facere quod odere malum, habitare in eis peccatum, bonum in eorum carne non inveniri, ac inesse legem repugnantem legi mentis. Haec intelligi omnia de *concupiscentia*, post Adae peccatum in hominibus relicta, eademque illecebris suis repugnante spiritui, et ad peccatum instigante, satis hactenus declaratum est, ac ipsi consentiunt *Heterodoxi.* Nihilominus renatos certiores facit Apostolus, *nihil* ipsis inesse *condemnationis*, seu nullam causam condemnationis, seu nihil condemnatione dignum. Atqui peccatum dignum est condemnatione. Igitur heterodoxi, qui concupiscentiam reputant veri nominis peccatum, fateantur oportet, repugnante Apostolo, aliquid inesse renatis, quod est condemnatione dignum.

Locum Apostoli egregie illustrat Augustinus Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XXXI. num. 36. „Subjungit Apostolus, et dicit (ad Romanos Cap. VII. v. 25.): *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati;* quod sic intelligendum est. *Mente servio legi Dei*, non consentiendo legi peccati: *carne autem servio legi peccati*, habendo desideria peccati; quibus etsi non consentio, nondum tamen penitus careo. Denique quid post haec intulerit, attendamus: *Nulla ergo*, inquit, *condemnatio est nunc his qui sunt in Christo Jesu.* Etiam *nunc*, inquit, quando lex in membris repugnat legi mentis, et captivum aliquid tenet in corpore mortis hujus, *nulla est condemnatio nunc iis, qui sunt in Christo Jesu.* Audi quare. *Lex enim spiritus vitae*, inquit, *in Christo Jesu liberavit me a lege peccati, et mortis. Liberavit.* Quomodo, nisi quia *ejus reatum*, peccatorum omnium remissione, dissolvit; ut quamvis adhuc maneat, et de die in diem magis magisque minuatur, in peccatum tamen non imputetur." Ubi *peccata* discreta vides a *concupiscentia.* Peccatorum vero, sive originalis, sive actualium, remissione dicitur concupiscentiae reatus dis-

solvi. Hinc eadem negatur *imputari* concupiscentia in peccatum. Cur vero? Quia deleta est culpa originalis, cujus illa effectus est. Cur etiam? Quia remissa sunt actualia peccata, quibus in concupiscentiam instigantem mens consenserat.

Postremum accipe Augustini testimonium, quo haec eadem confirmantur omnia. Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. X. num. 21. inquit: „Deinde subjungit ... *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum* ... Igitur ipse *ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati:* carne scilicet legi peccati, concupiscendo; mente autem legi Dei, eidem concupiscentiae non consentiendo. *Nulla ergo condemnatio est nunc his, qui sunt in Christo Jesu.* Non enim damnatur, nisi qui concupiscentiae carnis consentit ad malum.“ Reatum culpae, et poenae non habent per sese concupiscentiae motus: his accedit ille per liberum adjunctum voluntatis consensum. Catholicam hactenus expositam doctrinam adhuc infra validiore vindicare brachio curabimus. Animadvertere demum praestat, quo dicatur modo concupiscentia, quae remanet in renatis, *odio haberi a Deo;* quin ipsa veri nominis peccatum appellari debeat. Nempe nihil in renatis odit Deus eo genere odii, quod est *inimicitia;* sed manet in illis concupiscentiae labes, quam Deus eo aversatur odio, quod est *displicentia.* Hinc vero non inest concupiscentia renatis, veluti quidpiam, quod sit culpa, et poena dignum a Deo judicetur; sed veluti languor, infirmitas, vulnus, imperfectio, defectus: quae omnia nonnisi gratia Dei tolli possunt, ac sanari, et consumi, donec eo perveniamus ubi nulla erit concupiscentia.

CAPUT LVII.

Sententia affertur, quae originale peccatum constituit in ipsa prava Adami actione, posteris imputata. Aequivocatio tollitur. Peccatum Adae aliquo modo peccarunt posteri. Praedicta sententia refellitur.

I. Peculiare ad examen vocanda sententia est, quae tribuitur Alberto Pighio. Is erat natione *Transisalanus in Belgio*, pluribus apprime scientiis excultus, atque scriptis operibus adversus *Lutherum, Melanchthonem, Bucerum, Calvinum* clarissimus. Quae de *peccato originis* insederat Viro docto sententia, his exhibent adsertis Theologi. 1. Nasci Adae posteros caritate et justitia privatos, destitutos etiam perfecto dominii, et subjectionis rationalem mentem inter, ac sentientem appetitum et corpus vinculo, itemque poenae obnoxios. 2. Haec illis omnia intime inesse: verum nihil esse eorum, quo peccatores constituantur, ac denominentur. 3. Peccatum originis quod investigatur, et ex quo praedicta proveniunt omnia, tamquam effectus ex causa, distingui non oportere ab *illa prima inobedientia,* qua praeceptum de ligno scientiae non gustando violavit Adamus. 4. Unum idemque omnino omnibus inesse hominibus peccatum, quod *originale* dicitur: ipsumque omnino, quod commisit Adam, in posteris esse *per imputationem.*

Hanc Veteres quidam tradidere sententiam: eamdemque Recentiores nonnulli instaurarunt. Eam memorat Sanctus *Anselmus*, *Cantuariensis Archiepiscopus*, in Libro de Conceptu Virginali, et originali peccato Cap. XXV. et XXVI., ubi contra illam tuetur, tum *peccata parentum non imputari filiis:* tum Adami posteros *ipsum Adae peccatum non portare*. Eamdem refert *Hugo de Sancto Victore* in Summa sententiarum Tractatu III. Cap. XI. *Alii dicunt*, inquiens, *quod originale peccatum sit inobedientia: et haec inobedientia in omnibus est, antequam renascantur*. Haec postea *Ambrosio Catharino* arrisisse videtur. In Opusculo de lapsu hominis, et peccato originali, et in Defensione contra Schedam a F. Bartholomaeo Spina, Sacri Palatii Magistro, Paulo III. oblatam, sic ait: *Actuale peccatum Adae solum, est singulorum originale: licet fomes, seu concupiscentia, et similiter aliae poenae, sint in diversis diversae.*

Apostolica proferunt documenta, quae ipsi favere videntur: nimirum Pauli verba, quae habentur ad Romanos Cap. V. v. 12.: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit:* itemque, *in quo omnes peccaverunt:* demum v. 19.: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Rationis momentum addunt, in eo positum: quod aerumnae corporis, ignorantia recti, rebellis concupiscentia, gratiae privatio, dici quidem possunt *culpae effectus*, et *poenae;* verum culpae, aut peccati rationem videntur non habere, qua proprie denominentur, ac sint *peccatores* homines.

II. Longe abludere a vero ita disserentes, demonstrandum est. Aequivocationem, quae latere potest, primo loco amputare pretium est operae. Multifariam *peccati* nomen accipi potest. Sensus illos affero, quae ad institutam quaestionem pertinent. Accipitur primo pro *libera transgressione praecepti*, seu pro flagitiosa voluntatis actione, qua praeceptum violatur, sive demum pro peccato, quod *actuale* dicitur. Accipitur secundo pro *peccato habituali:* quod etiam sumi bifariam potest. Nempe primo sumitur pro *habitu vitioso acquisito*, sive per unum actum peccati veluti inchoato, sive per similes flagitiosas alias actiones veluti completo; ac deinde sumitur pro *privatione gratiae, et caritatis sanctificantis*, quam in animam infert ipsum actuale peccatum. Hoc modo dictum peccatum habituale vocari etiam frequentissime solet *macula* per actuale peccatum contracta: de qua latiore sermone insequente Capite agendum est. Sumptum habituale peccatum pro *habitu vitioso* constituunt frequentius Scholastici Doctores in adjecta quadam *qualitate*, animum disponente ad similes peccati actus facilius exercendos: aliamque viam ineunt, qui recentes opiniones consectantur. Facilitatem, quae dicitur *ex habitu* provenire, repetere videntur nonnulli ex impressis cerebro vestigiis, ac liberiore spirituum animalium motu: quatenus hujusmodi vestigiorum, quae liberius excitantur, data occasione, mens nostra ad easdem aut similes actiones expedite determinatur. Requiri annuunt alii hujuscemodi cerebro impressa vestigia, liberioremque animalium spirituum commeatum; sed *habitum* praeterea contendunt positum esse in intima quadam *animi affectione*. Hanc vero censent nil aliud esse, quam ipsum *actum*, qui *manet intus*, licet expressa transeat sive cogitatio, sive advertentia, sive reflexio. Haec innuisse hoc loco satis.

Quid originale peccatum fuerit in ipso primo homine Adamo, si perquiramus; dubium nullum, originalis peccati nomine intelligi posse, ac debere tum primo *actuale peccatum* ipsius Adami; tum etiam *privationem gratiae* sanctificantis, exinde illatam; tum demum *vitiosum habitum*, vel *pravam animi dispositionem*, ex ipso actuali peccato proficiscentem. Quemadmodum vero Adamo peccatori vere, ac proprie, ac intrinsecus haec tria inerant, *actuale peccatum, gratiae privatio*, et *prava dispositio animi*; ita absurdissimum commentum foret, si quispiam contenderet, *peccatum originale*, quod Adae posteri contrahunt, nihil aliud esse quam *ipsum actuale peccatum*, quod commisit Adamus; et ipsam *privationem gratiae*, quae Adamo inerat; ipsamque demum *pravam affectionem*, qua Adami animus male afficiebatur; acsi haec tria vere, et proprie, ac intrinsecus posteris inessent, eadem scilicet quae inerant Adamo.

III. Adversaria opinio, quam expendo, originale in posteris Adae peccatum docet quidem, in ipso *actuali Adami peccato* reponendum esse: quod attamen *per solam imputationem* exponit. Antequam eam refello, animadvertendum est: *originale peccatum*, quacumque in re statui demum debeat, *aliquo modo voluntarium* esse: et hanc sine dubio denominationem voluntarii ex ipso desumi *libero*, *et voluntario Adami peccato actuali*. Non una hujusce rei Theologorum est expositio, ut infra dicendum. Hinc vero colligitur, posteros Adae peccatum ipsius aliquo modo peccasse, non eorum *propria voluntate*, sed *voluntate Adami*, ex qua *voluntarium* denominatur, quod ejusdem posteris inest, *peccatum originale*. Rem hanc tradit frequentissime Augustinus. Libro I. de peccatorum meritis et remissione Cap. X. sic ait: „Si peccatum intellexeris in illis Apostoli verbis, *in quo omnes peccaverunt*, quod per unum hominem intravit in mundum, *in quo* (homine) *omnes peccaverunt*; certe manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant quorum peccata sunt; aliud hoc unum, *in quo omnes peccaverunt*, quando omnes ille unus homo fuerat.“ Et Libro III. Cap. VII. num. 14. *In Adam omnes peccaverunt... Siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura, illa insita vi qua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt.* Verba Geneseos Cap. XVII. v. 1. sic effert Sanctissimus Pater: *Masculus, qui non circumcidetur carnem praeputii sui octavo die, interibit anima illa de genere ejus, quia Testamentum meum dissipavit.* Haec intelligit *de peccato originis* Libro XVI. de Civitate Dei Cap. XXVII., ubi ait: „Etiam parvuli, non secundum suae vitae proprietatem, sed secundum communem humani generis originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, *in quo omnes peccaverunt*... Sic intelligenda sunt haec divina verba, tamquam dictum sit: qui non fuerit regeneratus, interibit anima illa de populo ejus, quia *Testamentum Dei* dissipavit, quando in Adam cum omnibus etiam ipse peccavit.“

Eumdem novere sensum plerique Patres alii. *Reticius* Augustodunensis in Opusculo de Baptismo: *In baptismatis indulgentia*, ait, *antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiae nostrae facinora prisca delemus.* Verba sunt *Ambrosii* Libro VII. in Lucam num. 234.

Fuit Adam, et in illo fuimus omnes: periit Adam, et in illo omnes perierunt. Concinit Magnus *Basilius* De laudibus jejunii: *Jejunium in Paradiso lege constitutum est. Primum enim mandatum accipit Adam: a ligno sciendi bonum, et malum non manducabitis... Quia non jejunavimus, decidimus de Paradiso.* Haec reperiuntur verba apud Augustinum Libro I. contra Julianum.

Irenaei textum profero Libro V. adversum haereses Cap. XVI. *Deum in primo Adam offendimus, non facientes ejus praeceptum.* Ait teiam Tertullianus de resurrectione carnis Cap. XXXIV. *Cum dicit Christus, ad hoc venisse uti quod periit, salvum faciat; quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne, an in parte? Utique totum. Siquidem transgressio, quae perditionis humanae causa est... totum hominem elogio transgressionis inscripsit... Totus itaque salvus fiet, qui periit totus delinquendo.* Item *Athanasius* in oratione de Incarnatione Verbi Dei num. 4. *Deus* (inquit) *hominem fecit, atque immortalem manere voluit. At homines, neglecta et rejecta Dei contemplatione, sibi ipsis malitiam excogitaverunt... atque ita in denuntiatam mortis damnationem misere inciderunt.* Verba sunt *Nazianzeni* in Oratione XLII., quae est altera in Pascha: *Diaboli invidia, et mulieris insultu (heu meam infirmitatem, mea quippe, quae primi parentis) accepti mandati oblitus est.* Commentario in Matthaeum ait *Hilarius Pictaviensis* Cap. XVIII. num. 6. *Ovis una homo intelligendus est, et sub homine uno universitas sentienda est. Sed unius Adae errore omne humanum genus oberravit.* Accedit *Nyssenus* Libro de vita Moysis. *Postquam peccati sonitum in auribus nostris suscepimus: quem quidem sonitum prima illa Scriptura* (Liber Geneseos) *vocem serpentis appellat; tunc naturae integritas decidit, et contrita est.* Denique *Ambrosiaster* in Caput V. Epistolae ad Romanos: *Adam unus peccavit in omnibus.* Manifestum est, *in Adam omnes peccasse, quasi in massa.*

IV. Splendide constat Patrum Ecclesiae mens: posteros Adae *aliquo modo* ipsum peccatum peccasse, quod commisit Adamus. Id unum si velint Scriptores, quos adversarios recensuimus, nulla sunt reprehensione digni. Id redarguimus: quod *originale peccatum*, cujus rei nascimur omnes, nihil esse aliud constituunt, quam *Adami actuale peccatum nobis imputatum.* Repugnant Ecclesiae Patres, qui luculentissime docent: *actuale peccatum*, quod fuit in Adamo, *causam* esse peccati, quod omnibus Adae posteris *intrinsecus* inest. Unde mens eorum est, tum originale peccatum nostrum distingui ab actuali peccato Adae, veluti effectum a causa: tum individua originalia peccata tot discerni oportere, quot sunt Adae posteri, eodem inquinati peccato.

Adami *transgressionem* Tertullianus de resurrectione carnis Capite XXXIV. vocat *perditionis humanae causam.* Ait etiam de testimonio animae Capite III. *Hominem a primordio* (per Satanam) *circumventum, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datum; exinde totum genus de suo semine infecisse, et suae damnationis traducem fecisse.* Par est sententia *Origenis* Homilia III. in Canticum Canticorum: *Serpentem,* (inquiens) qui primo in Evam, ac Adamum *peccati venena diffudit, omnem deinde posteritatis sobolem contagio praevaricationis infecisse.* Docet *Olympius*, Hispanus Episcopus, in sermone

apud Augustinum Libro I. contra Julianum: *Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsum esse in germine, ut peccatum cum homine nasceretur.* Sic ait *Hilarius Pictaviensis* apud eumdem Augustinum loco citato: *Ex peccato omnem carnem esse, a peccato scilicet deductam.* Verba sunt *Joannis Chrysostomi* Homilia IX. in Genesim: *Peccatum ingressum est:* et *ablata sunt ea, quae honoris, et potestatis erant.* Ait etiam *Athanasius* in sermone ad ea verba, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, num. 2. *Posteaquam peccavit, et cecidit homo; eo cadente omnia sunt perturbata ... corruptus est homo.* Denique *Ambrosius* in Apologia II. David Capite XII. num. 71. ait: *Omnes in primo homine peccavimus: et per naturae successionem, culpae quoque ab uno in omnes transfusa successio est.*

Id omnes, similesque plures, quae afferri possent, Patrum sententiae docent: actuale peccatum Adami *causam* fuisse peccati originalis, quod inest nobis, multiplici nomine expressi *perturbationis*, et *corruptionis* humanae naturae, *perditionis* ejus, et *ablationis honoris et potestatis, infectionis, contagii, lapsus, vitii, transfusae culpae*, et *peccati*. Rem paucissimis, at luculentissimis utique verbis confirmat *Augustinus* Libro II, de nuptiis et concupiscentia Capite XXVI. num. 45. *Voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.* Addo *Anselmi Cantuariensis* auctoritatem, et momentum rationis. Ait scilicet in Libro de conceptu virginali, et originali peccato Capite XXVI. noviss. edit. „Considerandum diligenter, quia non portant infantes *peccatum Adae*, sed *suum*. (Perinde est, ac Adae peccatum non imputari posteris.) Nam aliud fuit *peccatum Adae*, aliud est *peccatum infantium*: illud enim fuit *causa*, istud *effectus*. Adam caruit debita justitia, non quia alius, sed quia *ipse* deseruit: infantes carent ea, non quoniam ipsi, sed quoniam *alius* dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adae, et infantium: (ab illo scilicet commissum, istis imputatum). Et cum dicit Apostolus: *Quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae;* sicut significat infantium *minus* esse, quam Adae peccatum; ita aperte monstrat, *aliud* esse. Quapropter cum damnatur infans pro peccato originali, damnatur non pro *peccato Adae*, sed pro *suo*. Nam si ipse non haberet suum peccatum, non damnaretur. Jam ergo non portat iniquitatem Adae, sed suam: quamvis ideo dicatur portare, *quia iniquitas illius peccati fuit causa istius.*"

CAPUT LVIII.

Varia Theologorum placita de natura, aut essentia peccati originalis, in Synodo Tridentina exposita. Actuale peccatum Adami, ac effectus omnes qui consecuti sunt, diligentius expenduntur. Inter hujusmodi effectus veram subit peccati denominationem **privatio gratiae sanctificantis: quae explicatur. Quomodo concupiscentia denominari queat peccatum, cum sit poena? Hinc peccatum originale proprie consistit in ejusdem gratiae sanctificantis privatione, quatenus erat pars praecipua justitiae originalis.**

I. Errores, ac minus consona Doctorum placita, quae peccati originalis naturam, aut essentiam spectant, refellere facilius est, quam ipsam certo, lucideque definire. Synodi Oecumenicae Tridentinae

Legati, aut Praesides, teste Pallavicino Libro VII. Capite X. num. 3. sapientissime *admonitos* voluere Patres: *ne quid pro certo statueretur de natura ipsa originalis culpae, de qua Scholastici discordant.* In decreto *de pecccato originali*, quod sessione V. edendum fuerat, non improbare Sancta Synodus dicebatur illam Scholasticorum adsertionem, qui ajunt: *Manere post Baptismum partem materialem originalis peccati, non formalem.* At idem Historicus refert Capite IX. num. 7. eadem verba expuncta fuisse: tum quia Sanctae Synodi consilium fuerat, minime suam *scholasticis dissidiis* auctoritatem intermiscere: tum quia decentius, et gravius foret, consecratis veterum Patrum vocabulis efformare decreta, quam scholasticis Theologorum locutionibus.

Hac de re tamen inter Patres, ac Theologos disceptatum fuisse, narrat Pallavicinus praecedente Capite VIII. ubi Acta recenset *generalis Congregationis praeviae*, quae anno 1546. habita fuit die 21. Maji, et insequentibus diebus. Dixerat *Pelargus*, Episcopi Trevirensis Procurator: nihil aliud esse *peccatum originis*, nisi *privationem originalis justitiae*, quam primo, quem condidit, liberalitate summa largitus fuerat homini Supremum Numen. Hanc non esse ipsum peccatum, sed *peccati poenam* à Deo vindice inflictam, opposuit *Antonius a Cruce*, Episcopus Canariensis. Responsum dedere *Angelus Paschalis* Episcopus Motulensis, et *Balthassar Eredia* Episcopus Bossanensis, ambo Dominicani Instituti professores. Ajebat ille: „Non aliunde declarari melius potest natura originalis noxae, sicut et cujusvis defectus, quam ex natura perfectionis oppositae. Exempli gratia, ut intelligatur quidnam sit caecitas; opus est intelligas, quid sit videndi facultas. Est enim peccatum originale *vacuitas* quaedam *illi perfectioni* opposita, quae Adamum innocentem condecorabat, et *justitia originalis* vocabatur. Oportet igitur ex istius notione declarare naturam illius. Duas complectebatur originalis justitia partes: alteram, quae praecipua erat, ac *veluti forma;* alteram, quae ad integritatem spectabat, eratque *veluti materia.* Prior illa consistebat in *mentis humanae subjectione* sub legitimo Domino, scilicet Deo: posterior erat *virium inferiorum subjectio* sub mente, veluti domina. Mente hominis a Deo per peccatum desciscente, soluta quoque mansit inferiorum virium erga mentem subjectio. Haec *posterior* perturbatio, ac aliae aerumnae corporis, quae in ultionem rebellantis arbitrii inflicta sunt, quasi *materia* culpae originalis appellantur: at ejusdem culpae veluti *forma* dici debet prior perturbatio, seu prioris subjectionis privatio.“

Tam consonae, solidaeque expositioni, Pallavicino teste, frequentior consentiebat Patrum coetus. In confirmationem adducebat *Balthassar Eredia* Sancti Thomae doctrinam. Ajebat vero: „Tametsi peccatum universim consideratum constituatur, tamquam sua *forma*, destitutione debitae probitatis, aut perfectionis, ac ista sine dubio ex parte consistat in *defectu;* nihilominus quod huic defectui, perinde ac caeteris quibusque privationibus, substat, est vera quaedam res, ac vere existens. Exempli causa, morbus in vacuitate justae temperationis positus est, *tamquam forma;* at illi substant, *veluti materia*, solidae fluidaeque partes corporis, quae sunt res quaedam, et entia.

Non absimili modo natura peccati originalis praecipue consistit in memorata *debiti rectique ordinis destitutione:* sed quod illi privationi substernitur, sunt *animi facultates, eodem ordine destitutae:* primumque inter illas tenet locum vis concupiscendi, quam *concupiscentiam* vocant. Hanc vero *peccatum* quandoque Patres ea simili ratione appellant, qua solidae fluidaeque corporis animalis partes, si depravatae sint, dicuntur *morbus.*"

II. Libertate itaque uti Theologis licet in ea peccati originalis constituenda natura, quae probatissima videri potest. Eam ego profero sententiam, quae maxime videtur *Tridentinorum Patrum* expositionibus conformis, ac *Thomae Aquinatis* Doctoris Angelici menti apprime consona, neque certe abs germana *Augustini* doctrina ullo modo dissona. Peccatum Adami, qua late patet, ante omnia diligentissime expendo.

Primo loco flagitiosus occurrit *voluntatis ejus amor.* Hunc bifariam accipio: nempe ut *actum formalem, expressum, transeuntem:* deinde ut *actum virtute perseverantem,* donec poenitentia, seu actu contrario revocetur. Ille dicitur *peccatum actuale,* quod transit; iste appellari potest *affectus peccati,* qui manet, donec revocetur. Num vero idem affectus peccati manens dici debeat ipse actus, vel amor, qui quodammodo sine advertentia, et reflexione lateat in corde; an aliqua sit alia cordis affectio, vel modificatio, per actum transeuntem relicta; dissident cum Philosophis etiam Theologi. Utrumvis elegeris, perinde facit ad rei momentum, quo de agimus. Sunt quippe, qui rem hanc ita enarrant, ut *amorem* flagitiosum, cum advertentia, et reflexione conjunctum, vocent *peccatum actuale:* ipsumque amorem, transeunte licet advertentia, ac reflexione, intus attamen latentem, appellent *habitum peccati,* qua parte permanente modo animum in seipso male afficit, ac disponit: ac etiam *peccatum virtute manens,* quatenus ipsum afficit animum in ordine ad actionem. Ita scilicet duplicem illam exponere solent *voluntatis intentionem,* alteram *formalem,* et alteram quae *virtualis* appellatur. Varias memoro opiniones: judicium omne sustineo.

Pravus iste dominans creaturae amor, veluti actio quaedam, de corde Adami gratiam expulit, aut caritatem justificantem: adeoque per ipsum illata est *privatio* ejusdem gratiae, et caritatis. Qua una rursum privatione effectum est ut destitutus maneret Adae animus effectis omnibus, quae instar formae praestabat ipsa caritas, nimirum *sanctitate, justitia, rectitudine, amicitia* cum Deo, *filiatione adoptiva.* Neque morosiore indagine partem animi, quae sit *subjectum privationis,* inquiro: de quo disputant *Scholastici,* pro varia quae ipsis insidet, opinatione. *Gratiam sanctificantem* distinguunt alii a *Caritate,* non alii; eamque arbitrantur illi in *substantia animae* residere, isti in *voluntate.* Sunt nempe innoxia ex Philosophiae penu procedentia placita.

Cum hac mentis justitia, rectitudine, sanctitate, hoc est cum gratia, et caritate, simul Adamo concessa fuerant a Numine supremo pro suae voluntatis beneplacito alia sublimia dona, *perfecta* scilicet rationem inter, et appetitum *concordia,* atque corporis *immortalitas.*

Perfectiones hujusmodi invicem si comparentur; primum locum obtinet rectitudo mentis, sequiorem aliae. Illa nedum *physica* quaedam perfectio dicenda est, verumetiam *moralis*, quae bene moratum reddebat hominem, ac laude praemioque dignum: ad *genus physicum* reliquae pertinent, neque inter mores hominum reputantur.

Privationem gratiae sanctificantis et caritatis intulit *actuale peccatum Adae:* eamque aliae duae privationes consecutae sunt, quarum altera *concordiam* abstulit rationem inter et appetitum, *immortalitatem* corporis dejecit altera. Ex illius concordiae solutione *concupiscentia* orta est, quae dicitur *habitualis*. Duplex etiam *actualis* distingui *concupiscentia* solet: alia quidem, quae consistit in *flagitioso libero amore;* et alia, quae in *motibus appetitus indeliberatis* consistit, occasione motuum qui fiunt in corpore exsurgentibus. His autem ratio praevenitur, ac trahitur cor hominis ad fluxa delectabilia bona sensuum. Prior actualis prava libera concupiscentia non alia erat in Adamo, quam ipsum *actuale peccatum* ejus. Peccatum istud consecuta est posterior *concupiscentia actualis,* simul cum ea quam *habitualem* vocamus. De utraque superioribus in capitibus latissimo sermone egimus.

Haec videlicet *habitualis concupiscentia* instar *morbi* exponi debet. Consistunt morbi in partibus corporis animalis, debito ordine, situ, temperamento destitutis: atque ratione non absimili, nihil exprimit aliud *habitualis concupiscentia,* quam animam et corpus, seu rationem et appetitum, absque potestate, et subjectione: subjectione carentem appetitum, ac perfecta potestate, seu perfectissimo dominio carentem rationem. Rem jam superius actam supervacaneum foret reagere. Satis fuerit repetere verba Sancti Thomae Qu. IV. de Malo Art. 2. ad 4. *Concupiscentia, quae pertinet ad originale peccatum, est habitualis. Sed intelligendum est, quod ex habitu efficimur habiles ad aliquid. Dupliciter autem aliquod agens potest esse habile ad aliquid agendum. Uno modo ex aliqua forma inclinante ad hoc: alio modo ex subtractione ejus, quod impediebat. Sicut vinum effunditur effractis circulis, qui effusionem impediebant; et sicut equus concitatus praecipitanter vadit, rupto freno, quo retinebatur. Sic ergo concupiscentia habitualis potest dici dupliciter: uno modo aliqua dispositio, vel habitus inclinans ad concupiscendum; sicut si in aliquo ex frequenti actuali concupiscentia causaretur concupiscentiae habitus* (idest habitus ex frequentibus pravis actibus comparatus). *Et sic concupiscentia non dicitur originale peccatum* (neque ad originale peccatum pertinet). *Alio modo potest intelligi habitualis concupiscentia, ipsa pronitas, vel habilitas ad concupiscendum: quae est ex hoc, quod vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi, sublato freno originalis justitiae; et hoc modo peccatum originale materialiter loquendo est habitualis concupiscentia*, ut inferius enarrabimus. Itaque nihil addit *concupiscentia,* quae culpam originalem consecuta est, *de genere aliquo positivo;* addit vero *originalis justitiae privationem,* quae positivis animae facultatibus inest. Addit nimirum *privationem* subjectionis in parte sentientis appetitus, et *privationem* perfecti dominii in parte rationalis animi.

III. Haec spectabant omnia ad peccatum Adami, et ipsum consecuta sunt. Quae *proprie* habeant *rationem peccati*, denominationem

que, diligentius perquirendum est. Dubio procul omni peccatum dicitur *flagitiosus*, *aut pravus amor*, quo se, suamque excellentiam plus dilexit primus homo, quam ipsum Deum. Sequitur *gratiae*, *aut caritatis privatio*. De hac agendum accuratiore sermone. Nempe gratia sanctificans, aut caritas intelligitur *instar nexus cujusdam* Deum inter et hominem. Ea est, qua homo subjicitur Deo, atque Deus ad hominem convertitur. Fit homo Dei amicus, ac vicissim Deus amicus hominis: atque demum dilector Dei constituitur homo, ipsumque sibi gratum habet Deus, dilectumque. Cum peccat homo; hic *amittit* gratiam et caritatem, eamque *subtrahit* Deus. Una vero gratia, aut caritate *amissa ab homine*, et *a Deo subtracta*, duo consequuntur: *hominis aversio a Deo*, et *recessus Dei ab homine*: ablatio amicitiae hominis cum Deo, et ablatio amicitiae Dei erga hominem: privatio demum subjectionis hominis erga Deum, et privatio conversionis Dei ad hominem. Num vero quemadmodum una excluditur, subtrahiturque gratia, sive caritas; ita *una* inferatur *privatio*, quae bifariam considerari debeat juxta duplicem, quem exposuimus, ejusdem gratiae, aut caritatis respectum; an potius distingui *duas* oporteat duorum effectuum *privationes*, quos una gratia praestat, lis est parvi momenti. Unam esse plerique opinantur: duplicem distingui si placeat, per me licet. Nimium subtiles videntur mentis excogitationes; at verissimae sunt, quas doctrina solidissima illustrant Carmelitae Salmanticenses Tomo IV. Tract. XIII. Disp. XVI. *de essentia, et constitutivo peccati originalis*, dubio V. §. IV. num. 130.

Dignissima jam sequitur animadversio: *recessum Dei ab homine*, aut ablationem amicitiae Dei erga hominem, aut privationem conversionis Dei ad ipsum hominem dici, et esse peccati *poenam*, non *culpam*: eamque infligi a vindice justo Deo, cum caritatem, aut gratiam sanctificantem subtrahit. At *aversio hominis a Deo*, aut ablatio amicitiae hominis cum Deo, aut privatio subjectionis hominis erga Deum, illa est, quam *veri nominis peccatum* appello, idest *habitualem*: non equidem *instar habitus*, quo facilis, promptus, et expeditus redditur animus ad agendum; sed ea ratione, quod intus permanet, donec ipse gratiae et caritatis habitus infundatur; diciturque *animae macula*. Cur enim *propriissime peccatum* non dicatur? Est enim privatio rectitudinis, sanctitatis, et amicitiae cum Deo. Non est sola carentia, aut negatio; sed verissima privatio perfectionis juxta divina promissa debitae. Voluntaria quoque dici debet, non instar actionis quae a libera voluntate proficiscitur; sed instar effectus, qui pravam actionem consequitur, aut instar termini in quem denique ducit actio prava. Ab ea demum homo denominatur *habitualiter* malus, et peccator: redditurque abominabilis Deo. Privat ipsa praeterea hominem candore, et fulgore: unde *macula* est, et pollutio, et immundities, et labes animae. Quae sane omnia *veram* constituunt *peccati rationem*.

IV. Sequitur *concupiscentia*: quae *per sese* non est *peccatum*, sed *peccati poena*. Nimirum in ultionem patratae culpae solvit Deus, absciditque concordiam appetitum inter, et rationem. Legem ipse constituerat, ut perseverante in justitia Adamo, nullus in corpore, aut sentiente appetitu excitaretur passionis motus, nisi pro libito

voluntatis. Uno verbo, corporis motus omnes, omnesque appetitus passiones pleno paruissent voluntatis imperio. Peccavit Adam: ejusque facinus ulcisci voluit supremum Numen, *illata privatione* perfectae, quae inerat appetitum sentientem inter et rationem, concordiae. Haec vero concordiae privatio, quam *habitualem concupiscentiam* appellamus, *veri nominis peccatum* dici non potest. Neque enim *actio* est, procedens voluntate: neque se habet *instar termini*, in quem per se tendat voluntatis actio: immo praeter voluntatem id accidit omne.

Quaestio nihilominus superest: num *eadem concupiscentia* intelligi saltem debeat *veluti materia*, quae peccato subsit, ac peccati denominationem subeat? Foret opus, hac de re si proprie loqui velimus, ut privatio sanctitatis, rectitudinis, justitiae, quae *veluti forma*, aut ratio *peccati habitualis* intelligitur, concupiscentiam afficeret, inesset ipsi, eique demum suam peccati denominationem tribueret. Non ita vero se res habet. Quemadmodum enim in originali Adami justitia duas oportet perfectiones distinguere, mentis videlicet rectitudinem, et mentem inter et appetitum concordiam, et hanc utique ex priore proficiscentem, veluti effectum ex causa; ita cum justitiam per culpam amisit primus homo, illata primum est privatio rectitudinis, ac deinde privatio concordiae. Haec est, quae constituit *concupiscentiam habitualem*: eademque inest menti, quae non valet amplius pro voluntatis nutu passionum motibus dominari, eosque pro libito impedire; ac inest etiam appetitui, vel carni, seu parti animae inferiori, quae non est amplius perfecte subjecta menti. Jam saepe dicta memoramus. Atqui haec *concupiscentia* minime subest privationi rectitudinis, veluti *materia suae formae*, ut inde propriam peccati denominationem recipiat. Nemini puto adversam insidere opinationem posse. Eo namque modo, ut frequentior ac solidior est Theologorum sententia, *actuale peccatum* constituitur, *privatione* scilicet debitae rectitudinis, *tamquam forma*, et *actu* tamquam *materia*: sed *non eodem modo* docet Sanctus Thomas II. Dist. XXXII. Qu. I. Art. I. ad 3. *se habere concupiscentiam ad originalem* (seu habitualem) *maculam, sicut actus peccati ad maculam actualem*. Ipsa demum gratiae sanctificantis privatio, quam *peccatum habituale* appellamus, inest animae (ejus essentiae aut substantiae putant alii, aliique voluntati), eamque denominat peccatricem.

Verum enim vero quemadmodum peccati actualis denominationem non solum recipit *actio voluntatis* debita rectitudine privata, sed etiam *actus exterior* v. g. membri corporei, quo peccatum executioni mandatur; ita inquirendi demum locus est, num simili ratione *concupiscentia* obtineat habitualis peccati denominationem, non omnino *intrinsecam*, ut Scholae loquuntur, sed *extrinsecam*? Ita esse arbitrantur laudati Carmelitae Excalceati Salmanticenses loco superius citato Dubio IV. §. III. num. 105.

Verba sunt: „De peccato *originali* (itemque de *habituali* Adami peccato, cujus naturam et rationem scrutamur) eo proportionali modo discurrendum est, sicut in similibus discurrimus de *peccato actuali*: cum ea tantum differentia, quod actuale cum sit *peccatum personae*, ad personalia tantum se extendit, quae sunt actiones, et motus; ori-

ginale vero, quia est *peccatum naturae*, diffunditur per ipsam naturam, et ejus partes, quae sunt potentiae. Unde ita se habere debent deordinationes diversarum potentiarum ad componendum, et integrandum peccatum originale; sicuti diversi actus inordinati se habent ad actuale componendum. Porro in peccato actuali ita evenit, ut in *actu libero*, qui est actus voluntatis, sit malitia *primo, et per se;* reliqui vero sequentes actus, qui illius prioris motionem participant, habent se *ut materia*, quae integrat et componit tale peccatum; et ex ordine ad ipsum actum voluntatis, denominationem peccati suscipit. Unde actus intellectus, et appetitus, et motus externi manuum vel pedum, quoties ex actu peccaminoso voluntatis imperantur, dicimus vere et proprie peccata: licet in se non habeant intrinsecam malitiam. Simili quoque ratione *peccatum originale* (aut peccatum habituale Adami) debemus construere; ut *primaria*, et *formalis* ejus ratio sit deordinatio primae partis naturae, quae est anima, vel voluntas; deordinationes vero aliarum partium, seu potentiarum, quae ab illa prima moventur, aut oriuntur, habeant se tamquam *integrantes*, et *componentes* totam materiam talis peccati; suscipientesque hac via peccati denominationem a deordinatione formali, et primaria, quae in anima, vel voluntate existit." Haec illi.

Ex ea poenae a Deo in ultionem peccati inflictae ratione, quam superius *concupiscentiae* attribuimus, emergere non modica videtur difficultas: quomodo eadem concupiscentia, si *peccati poena est*, ad ipsum *quodammodo constituendum*, integrandumque *peccatum habituale Adami* concurrat, ejusdemque peccati denominationem subeat? Difficultatem, si qua est, laudati *Salmanticenses* elidunt loco citato num. 101. Quam afferant doctrinam, hisce profero verbis. Ad utrumque scilicet *mali genus*, et *culpae*, et *poenae*, Concupiscentia pertinet. Qua ratione in ea consideratur ablatio, aut carentia illius doni, quo natura hominis in seipsa perficiebatur, verissime dicitur *poena*, infligiturque a Deo. Quatenus vero ex ea concordiae rationem inter et appetitum dissolutione, quam *concupiscentiam habitualem* vocamus, *pronitas* oritur, et *habilitas ad concupiscendum* contra ordinem rationis, *hoc modo ad peccatum habituale materialiter* pertinet, neque est effectus Dei, sed peccati, oriturque ex conditione naturae creatae ex nihilo factae. Ita docentem Sanctum Thomam superius audivimus num. III. Recolenda sunt, quae ampliora tradidimus Cap. XLVI.

V. Hactenus primum *Adami* peccatum scrutati sumus: ac ea adsignavimus omnia, quae ad istud quacumque ratione pertinent, ac peccati denominationem sortiuntur. Hac praelucente face, jam disseri tuto potest, in quo consistat *peccatum originale*, quod nobis inest. Nempe originalis justitiae dona fuerunt Adae collata a Deo, veluti primo omnium posterorum parenti, seu capiti totius naturae humanae, quae in eo continebatur, ex eoque per generationem propaganda fuerat. Quod ergo magnum peccatum peccavit ille, non ipsum laesit solum; sed ipsam etiam naturam humanam in ipso contentam, ex eoque propagandam. Scilicet in accepta rectitudine si perstitisset Adam, cum rectitudine, et justitia, ac sanctitate nati fuissent, qui ex eo, tamquam primo stirpis principio, propagarentur posteri: ab ipso

nimirum conceptionis, aut infusionis animae instanti accepta a Deo *mentis rectitudine* per gratiam sanctificantem, cum *perfecta* simul rationem inter et appetitum sentientem *concordia*, et corporis *immortalitate*. Peccavit primus homo: suoque peccato praedicta sublimia dona amisit omnia et sibi, et naturae in ipso contentae, et ex illo propagandae; diciturque *peccatum suum* in posteros omnes *propagasse*.

Adae peccatum duplex est, *actuale*, et *habituale*. Illud consistit in *actione flagitiosa*, pertinetque ad personam. Positum est istud in *privatione gratiae sanctificantis*, ac subjectionis erga Deum, si pars ejus praecipua, ac veluti *forma* consideretur: itemque in deordinatione facultatum, ac virium, et partium hominis, si de *materiali* quodam peccati subjecto agatur, ut superius expositum est. Ad *personam* quidem pertinent hujusmodi defectus omnes; verum etiam ipsam *naturam* maxime afficiunt, et consequuntur. Quemadmodum enim persona sibi proprie vendicat actiones, motusque; ita ad naturam intime spectant vires, facultates, potentiae. Natura igitur humana, ita disponente Deo, propagatur ex Adamo, qualem fecit ipse, *privatam* scilicet *justitia originali*. In hac privatione *originale* consistit, quod nobis inest *peccatum*: ratioque voluntarii, quae convenit ipsi, tametsi non eo modo exponi aut possit, aut debeat, acsi *terminus* foret *propriae* cujuslibet Adami posterorum *voluntatis*; satis attamen intelligitur, propterea quod ex ipsa descendit *voluntate Adami*, qui voluntario, ac libero peccato seipsum, totamque naturam in eo contentam infecit. Haec uberius infra Sancti Thomae documentis explananda sunt.

CAPUT LIX.

Peccati originalis naturam, sive quoad formam ejus, sive quoad materiam, quae est concupiscentia habitualis, confirmat ac illustrat Sanctus Thomas in Commentario Sententiarum. Item in Quaestionibus Disputatis. In Theologica etiam Summa, et in Compendio Theologiae. Peccato primi hominis, voluntas effecta est aversa a Deo, fine supernaturali, et naturali. Consona est Anselmi Cantuariensis doctrina.

I. Sententiam, quam indicavimus, ejusque partes omnes, egregiis confirmat, ac illustrat Sanctus Thomas documentis. *Justitiae originalis privatione* naturam constitui originalis peccati, quod inest nobis, disertissime tradit Libro II. Sent. Dist. XXX. Art. II. Haec tria, *defectum, malum, et culpam*, distinguenda censet: docetque, eadem *ex superadditione se habere*. Nempe: „*Defectus* simplicem *negationem* alicujus boni importat. Sed *malum*, nomen *privationis* est. Unde carentia alicujus etiamsi non sit natum haberi, defectus potest dici; sed non potest dici malum, nisi sit defectus illius boni quod natum est haberi. Unde carentia vitae in lapide potest dici defectus, sed non malum; homini vero mors est et defectus, et malum. *Culpa* autem super hoc addit *rationem voluntarii*: ex hoc enim aliquis culpatur, quod deficit in eo, quod per suam voluntatem haberi potest. Unde oportet quod secundum hoc, quod aliquid *rationem culpae* habet, secundum hoc *ratio voluntarii* in eo reperiatur.“ Ita pro sui ingenii acumine implexas notiones explanat Aquinas. Doctrinam provehit ille: docetque rursus, *peccatum originale*, quod inest nobis, esse *malum*,

et *culpam naturae:* adeoque satis esse, rationem voluntarii *ex aliqua* provenire *voluntate in natura.* Verba sunt. *Sicut autem est quoddam bonum, quod respicit naturam, et quoddam bonum quod respicit personam; ita etiam est quaedam culpa naturae, et quaedam personae. Unde ad culpam personae requiritur voluntas personae, sicut patet in culpa actuali, quae per actum personae committitur; ad culpam vero naturae non requiritur, nisi voluntas in natura illa.* Rem denique dirimit omnem: *Dicendum, quod defectus illius originalis justitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidit. Et sicut illud naturae donum fuit, et fuisset in totam naturam propagatum, homine in justitia persistente; ita etiam et privatio illius boni in totam naturam perducitur, quasi privatio, et vitium naturae; ad idem enim genus privatio, et habitus referuntur. Et in quolibet homine rationem culpae habet ex hoc, quod per voluntatem principii naturae: idest primi hominis, inductus est talis defectus.*

De *concupiscentia* quaestionem excitat Aquinas Art. III., *et qua ratione ad originale peccatum pertineat.* Docet autem posse eam dici *quodammodo materiam*, aut subjectum peccati: non ita quidem, acsi concupiscentiae insit privatio rectitudinis, aut gratiae sanctificantis; verum eo tantum sensu, quod extrinsecam peccati denominationem aliquo modo concupiscentia sortiatur. Doctrinam suam declarat actualis peccati exemplo: *Sicut peccatum actuale consistit in deordinatione actus*, (actu nempe locum materiae, aut subjecti; et ordinis defectu locum formae obtinente;) *ita etiam peccatum originale consistit in deordinatione naturae. Unde oportet quod ipsae vires, ac etiam deordinatio virium sint, sicut materiale in peccato originali: et ipsa deordinatio a fine sit ibi, sicut formale.*

Diligentissime plures naturae humanae illatos defectus enumerat. Primus, ac praecipuus est *privatio gratiae, et caritatis*, seu recessus et aversio a Deo. Inest hic ipsi animae, seu voluntati, quae *peccatrix* intime denominatur. Alter est *privatio concordiae* rationem inter, et appetitum sentientem. Partim inest *voluntati*, ac partim *sentienti appetitui*. Voluntas quippe caret *pleno vigore*, quo pro nutu in appetitum dominetur; ac iste *plena* destitutus est erga rationem *subjectione;* in eoque motus excitantur, et insurgunt, rationem praevenientes, ac rationis imperium detrectantes. *Priore privatione* constituitur *peccatum originale*, veluti *quadam forma:* quae animam, seu voluntatem reddit peccato obnoxiam, eamque denominat aversam a Deo. Sed quoniam innocentis Adami voluntas vigore pollebat, quo posset actus, motusque sentientis appetitus continere sub ordine veri finis, ac boni honesti, peccatoque admisso vigorem illum plenum perfectumque amisit: consequens est ut *ipsius peccati*, aut *aversionis* a Deo ultimo fine *denominatio* ad ipsum aliquo modo pervenerit *sentientem appetitum*, ipseque denominetur aversus a Deo; cum e contra in Adamo innocente, utpote rationi perfecte subjectus, conversus ad Deum dicebatur.

Hic ille sensus est, quo *concupiscentia* locum *materiae* in originali peccato obtinere adseritur. Clarissima sunt Sancti Thomae verba: *Illa pars, quae per se nata est conjungi fini, est ipsa voluntas: quae*

habet ordinem finis omnibus aliis partibus imponere. Adeoque destitutio ipsius voluntatis ab illa rectitudine ad finem, quam habuit in institutione naturae, est formale in originali peccato: vires autem appetitus sensibilis sunt natae recipere ordinem ad finem ab ipsa voluntate, secundum quod sibi subjectae sunt; et ideo subtractio illius vinculi, quo sub potestate voluntatis rectae detinebantur, materiale in peccato est.

Abjecta per actuale Adami peccatum mentis rectitudine, tum frenum rationis laxatum est, quo sub ordine finis continebatur sentiens appetitus: tum etiam lumine, quo mores dirigerentur, caruit mens: tum demum subtracta fuit corporis immortalitas. Num etiam posteriores hi defectus ad *materiale* pertineant *culpae originalis*? Solidissima, ac vera Thomae responsa praesto sunt loco citato ad 4. et 5. Loco priore haec habet verba: „Peccatum contingit in his, *quae ad finem ordinata sunt*, secundum quod a sua forma deficiunt; et ideo in partibus animae illis praecipue est peccatum hominis, *secundum quas homo ordinatur in finem.* Et quia *appetitus* est tendens in finem, (seu bonum;) ideo in appetitu praecipue peccatum consistit. Ad finem autem hominis ordinatur appetitus rationis, qui est voluntas, *immediate:* appetitus autem sensibilis *mediate;* inquantum scilicet ordinem finis ex voluntate rationis recipit. Et ideo defectus ordinis in appetitu voluntatis est *formale*, et complementum originalis peccati: quod est privatio rectitudinis, quae inerat voluntati secundum originalem justitiam. Defectus autem ordinis in appetitu inferiori, est *materialiter* se habens in peccato: et hoc est *concupiscentia.* Et ideo nullus alius defectus naturae *ex parte rationis, nec ex parte sensibilis partis*, (sive corporis morti obnoxii,) originale peccatum dicitur.“ Unde *corruptibilitas carnis*, et *necessitas moriendi* equidem est effectus ab originali procedens culpa; at veluti *materia* dici nequit, quae ejusdem culpae denominationem aliquo modo suscipiat.

Ad *ignorantiam* quod attinet; alia est carentia cognitionis, quae *mores dirigit*, vocaturque prudentia: alia est carentia cognitionis, quae *ad artes, ac scientias* pertinet. Cognitio prior dirigit voluntatem in finem, regiturque vicissim amore finis; non altera, per sese spectata. Hinc *prior ignorantia* ad originale peccatum pertinet cum *concupiscentia;* non alia. Rem docet Aquinas loco altero: *Ignorantia*, inquiens, *non per sese respicit voluntatem: unde etiam defectus ille, sicut et alii, retinent rationem poenae, sed non culpae. Et si inveniatur, ignorantiam dici originale peccatum; intelligendum est de ignorantia privante illam scientiam, quae includitur in originali justitia; nullus enim est justus, vel temperatus, qui non sit prudens, ut in 6. Ethicor. dicitur; et ad hoc attendens Socrates dixit, omnem virtutem esse scientiam, et omne vitium esse ignorantiam.*

II. Hanc etiam versat uberrime Sanctus Thomas theologicam difficultatem Qu. IV. de Malo, Art. II. Primo loco *peccati actualis* partes omnes expendit, praecipuam, et sequiores, *formam* ejus, ac *materiam*, originem etiam unde profluit *denominatio peccati*, ac ejusdem *denominationis subjecta.* Ait vero: *Peccatum in manu, aut in oculo, nihil aliud est quam id, quod pervenit ad manum, vel ad oculum ex motione primi principii peccantis, quod est voluntas ... Id vero, quod*

pervenit ad motum de peccato unius hominis singularis, est quidam effectus, vel quaedam impressio motus inordinati, qui erat in voluntate: unde oportet quod ejus similitudinem gerat. De utroque inordinato voluntatis motu, motuque impresso in manum, clariora profert documenta. Ad primum quod attinet, sic ait: *Motus voluntatis inordinatus est conversio ab bonum aliquod commutabile, absque ordine convenienti ad debitum finem: quae quidem inordinatio est aversio ab incommutabili bono. Et hoc est quasi formale, illud autem quasi materiale: nam formalis ratio moralis actus accipitur per comparationem ad finem. Unde et id, quod ad manum pertinet de peccato unius hominis,* (haec ad motum alterum spectant,) *nihil aliud est, quam applicatio ejus ad aliquem effectum sine aliquo ordine justitiae.* Jam subjecta innotescunt, quae peccati actualis denominationem vel intrinsecam, vel extrinsecam suscipiunt. Quae vero eamdem minime subeant, his verbis declarat Thomas: *Jam vero si motus voluntatis pervenit ad aliquid, quod non est susceptivum peccati, puta ad lanceam, vel ad gladium; non dicimus ibi esse peccatum, nisi virtualiter, et per modum effectus: inquantum scilicet lancea, vel gladius movetur per actum peccati, et perficit peccati effectum; non quia lancea, vel gladius peccet, quia non sunt aliquid hominis peccantis, sicut manus, vel oculus.*

Praedictae similitudinis admoto lumine, originalis peccati naturam perscrutatur, ac definit: *Sic in peccato primi parentis*, inquiens, *fuit aliquid formale, scilicet aversio ab incommutabili bono; et aliquid materiale, scilicet conversio ad bonum commutabile.* Intellige actuale peccatum Adami: ex quo duo profecta sunt, instar habitus permanentis. *Ex hoc enim quod aversus fuit ab incommutabili bono, donum originalis justitiae amisit; ex hoc vero quod conversus est inordinate ad commutabile bonum, inferiores vires, quae erigi debebant ad rationem, depressae sunt ad inferiora.* Ad habituale ipsius Adami peccatum haec pertinebant. Haec vero sunt, quae ad posteros transeunt, eorumque originale peccatum constituunt. *Sic ergo et in his, qui ex ejus stirpe oriuntur, superior pars animae caret debito ordine ad Deum, qui erat per originalem justitiam: et inferiores vires non subduntur rationi, sed ad inferiora convertuntur secundum proprium impetum: et etiam corpus in corruptionem cadit secundum inclinationem contrariorum, ex quibus componitur.* Verum non omnes hujusmodi defectus ad originale peccatum veluti conflandum concurrunt, neque peccati suscipiunt denominationem. *Superior pars animae, et quaedam inferiorum virium, quae sunt sub voluntate, et natae sunt obedire, recipiunt hujusmodi sequelam primi peccati secundum rationem culpae: sunt enim culpae susceptivae hujusmodi partes. Sed inferiores vires, quae non subduntur voluntati, scilicet potentiae animae vegetabilis, et etiam ipsum corpus, suscipiunt hujusmodi sequelam secundum rationem poenae, non secundum rationem culpae: nisi forte virtualiter, prout scilicet hujusmodi poena, peccatum consequens, peccati est productiva; secundum quod vis generativa per decisionem seminis corporalis operatur ad traductionem peccati originalis.* Egregium Thomae serio expende documentum, quo nihil accuratius.

At rursum *privationem rectitudinis* comparat cum *concupiscentia*, quam sentientem appetitum intelligimus subjectione destitutum: illam-

que exhibet, veluti *formam* peccati originalis, quod nobis inest; ac istam, veluti quid materiale. *Sed inter superiores vires,* (illas nempe,) *quae suscipiunt defectum per originem traductum secundum rationem culpae, una est, quae omnes alias movet, scilicet voluntas: omnes autem aliae moventur ab ea ad suos actus. Semper autem quod est ex parte agentis, et moventis, est sicut formale: quod autem est ex parte mobilis, et patientis, est sicut materiale. Et ideo cum carentia originalis justitiae se habeat ex parte voluntatis; ex parte autem virium inferiorum a voluntate motarum sit pronitas ad inordinate appetendum, quae concupiscentia dici potest; sequitur quod peccatum originale in hoc homine, vel illo, nihil aliud est quam concupiscentia cum carentia originalis justitiae. Ita tamen, quod carentia originalis justitiae est quasi formale in originali peccato; concupiscentia autem est quasi materiale.* Quam apte tum *philosophicae voces*, tum *philosophica documenta*, adhibentur ab Aquinate ad illustranda theologica dogmata! Animadverte, vires inferiores deordinatas ea parte aliquo modo peccati originalis denominationem subire, qua *pronae* effectae sunt *ad inordinate appetendum*. Vide Caput LVIII. num. IV. in fine.

Una superest *ratio voluntarii*, quam praedicto defectui, qui nobis inest, satis convenire, loco citato patefacit Doctor Angelicus Art. I. *Si consideretur*, inquiens, *iste defectus*, (seu carentia sanctitatis et justitiae, quae praecipua pars erat originalis innocentiae,) *per originem in istum hominem derivatus, secundum quod iste homo est quaedam persona singularis; non potest habere rationem culpae, ad cujus rationem requiritur quod sit voluntaria. Sed si consideretur iste homo generatus, sicut quoddam membrum totius humanae naturae, a primo parente propagatae, acsi omnes homines essent unus homo; sic habet rationem culpae propter voluntarium ejus principii, quod est actuale peccatum primi parentis.* Hac de re ampliora dabimus infra.

III. Hisce documentis haeret Aquinas in Summa Theologica, quam extremis vitae annis elucubravit. Verba profero, ac doctrinam, quae habentur Qu. LXXXII. Art. I. in prima parte Secundae Partis. Duplex est habitus: „unus quidem, quo inclinatur potentia ad agendum, sicut scientiae, et virtutes dicuntur habitus. (Variam habituum notionem apud Philosophos alibi memoravimus.) Hoc modo peccatum originale non est *habitus*. Alio modo dicitur habitus, *dispositio alicujus naturae ex multis compositae, secundum quam bene, vel male se habet ad aliquid:* et praecipue cum talis dispositio fuerit quasi in naturam versa, ut patet de aegritudine, et sanitate. Et hoc modo peccatum originale est *habitus:* est enim quaedam inordinata dispositio, proveniens ex dissolutione illius harmoniae, in qua consistebat ratio originalis justitiae; sicut etiam aegritudo corporalis est quaedam inordinata dispositio corporis, secundum quam solvitur aequalitas, in qua consistit ratio sanitatis. Unde *peccatum originale languor naturae dicitur.*“ Hinc infert Doctor Aquinas ad 1. Peccatum idem *non esse puram privationem, sed habitum corruptum.* Germanum sensum ita exponit: „*Sicut aegritudo corporalis habet aliquid de privatione,* inquantum tollitur aequalitas sanitatis; et aliquid habet *positive*, scilicet ipsos humores inordinate dispositos: *ita etiam* peccatum originale

habet *privationem originalis justitiae*, *et* cum hac *inordinatam dispositionem partium animae.*" Tres veluti partes complectebatur justitia originalis: *rectitudinem mentis* per caritatem, aut gratiam sanctificantem: *concordiam* appetitum inter, ac rationem: et corporis *immortalitatem*. Peccato primi parentis admisso, *tres* illatae sunt hujusmodi donorum *privationes*. Privatione rectitudinis ac sanctitatis, veluti *proprià formà*, originale peccatum constituitur. Ratio vero, et pars appetitiva *cum privatione pristinae concordiae* efformant *concupiscentiam habitualem:* quae veluti *materiale quoddam*, ad originale peccatum pertinet. Hac privatione, *instar habitus* cujusdam permanentis, male afficiuntur animae partes: ex eaque mala dispositione *sequitur inclinatio in actum inordinatum*, (verba sunt ejusdem Aquinatis ibidem ad 3.) *non directe*, (quod in vero, ac proprie habitu contingit,) *sed indirecte*, *scilicet per remotionem prohibentis*, *idest originalis justitiae*, *quae prohibebat inordinatos motus. Sicut etiam ex aegritudine corporali indirecte sequitur inclinatio ad motus corporales inordinatos.* Praecedentem consule Quaestionem LXXXI.

Paria demum sunt luculentissima documenta, quae scripta reliquit in Compendio Theologiae. Verba profero, quae habentur Capite CXCV. „*Originalis justitiae* bonum sic humano generi in primo parente divinitus attributum fuit, ut tamen per ipsum derivaretur in posteros. Remota autem causa, removetur effectus: unde consequens est, ut *primo homine praedicto bono per primum peccatum privato*, omnes posteri privarentur.'

Quam Dei providentiam, *quasi punientem in filiis*, *quod primus parens deliquit*, audeat nemo, veluti injustam incusare. „Quia ista *poena* non est, nisi *subtractio eorum, quae supernaturaliter primo homini divinitus sunt concessa, per ipsum in alios derivanda:* unde aliis non debebantur, nisi quatenus per primum parentem in eos erant transitura. Sicut si Rex det feudum militi, transiturum per ipsum ad heredes; si *miles contra Regem peccat*, *et feudum mereatur admittere*, non potest postmodum ad ejus heredes devenire: *unde juste puniuntur posteri per culpam parentis.*" Ne offendiculum in *aptissimo exemplo* incurras, traditam consule doctrinam Capite LVIII. num. III. ubi in eadem rectitudinis, et sanctitatis originalis privatione duplicem, tum *poenae*, tum etiam *culpae*, rationem distinguendam esse animadvertimus. Dicta rursum consule Capite LIX. num. V. et Capite XIX. num. III.

IV. Animadversione digna sunt illa verba: *Ista poena non est nisi subtractio eorum, quae supernaturaliter primo homini divinitus sunt concessa, per ipsum in alios derivanda.* Inter haec originalis justitiae sublimia dona praecipuum obtinet locum *rectitudo mentis*. Donum erat sine dubio a natura separatum, seu *supernaturale:* nihil enim erat aliud, nisi *amor Dei gratuitus*, quem regit gratuita Dei revelatio, scilicet *visio clara* in patria, et *fides* in via. Hanc Dei cognitionem, et hunc amorem ejus, *supernaturaliter primo homini divinitus concessum fuisse, per ipsum in alios derivandum*, nulla difficultas occurrit.

Alia est *cognitio Dei naturalis*, per ea quae facta sunt acquisita; et alius distingui debet *amor naturalis*, quo Deum per ea quae facta

sunt cognitum diligimus, quemve dirigit naturalis ipsius Dei cognitio. Hac de re uberrime adversum *Bajanos*, et *Jansenianos* jam pertractavimus. Num ergo quispiam ex allatis Thomae verbis colligat, *priorem* gratuitum Dei amorem subtrahi quidem posteris ex Adamo prognatis, non *alterum*? Perperam id elici potest. Adnotandum itaque, caritatem Dei gratuitam *continere* amorem naturalem, ipsumque *perfectione excedere:* ac veluti habere sese instar Solis lucidissimi ad modicum candelae lumen comparati. Caritate namque diligimus Deum, ejusque perfectiones omnes, tum illas quae nonnisi *divina revelatione* innotescunt, tum alias quae *lumen naturale* tametsi non excedunt, simul attamen a Deo etiam *revelatae* patent. Hinc vero colligitur, voluntatem creatam, quae in peccatum consentit, abjicere amorem Dei gratuitum, seu *caritatem supernaturalem*, in eaque simul *naturalem ipsius Dei amorem:* illam scilicet *directe*, ut inquiunt; istum *indirecte*. Hac de re hoc loco satis.

V. Sed hanc de peccati originalis natura aut essentia doctrinam Thomae Aquinatis jam ante tradiderat, amplissimo elucubrato tractatu, *Anselmus Cantuariensis*. Liber inscriptus est *De conceptu Virginis, et originali peccato*. Verba affero, quae habentur Capite XXIII alias XXI. „Est *peccatum a natura*, et est *peccatum a persona*. Itaque quod est a persona, potest dici *personale:* quod autem a natura, *naturale;* quod dicitur *originale*. Et sicut personale transit ad naturam, ita naturale ad personam." Pravam declarat peccati ab Adamo commissi actionem, indeque illatam naturae culpam, quam *peccatum habituale*, aut *maculam peccati* vocamus. „Quod Adam comedebat, hoc natura exigebat: quia ut hoc exigeret, sic creata erat. Quod vero de ligno vetito comedit, non hoc *voluntas naturalis*, sed *personalis*, hoc est *propria* fecit: quod tamen egit *persona*, non fecit *sine natura*." Ubi voluntas *personalis*, et *propria* intelligitur libera Adami actio. Non alia *voluntas naturae* locum habuit: quae neque ulla, ad rem praesentem quod attinet, adsignari potest. „Persona enim erat, quod dicebatur *Adam:* natura, quod *homo*. Fecit igitur persona peccatricem naturam; quia cum *Adam* peccavit, *homo* peccavit.

Quod utique peccatum, quatenus naturam afficit, nihil aliud esse docet Anselmus, quam *carentiam*, aut *privationem justitiae*, actuali personae peccato illatam: et hanc rursus tradit ille eam esse, quae in Adae posteros transfunditur, *peccatumque originale* vocari. „Similiter fit *in infantibus* e converso. Nempe quod in illis non est justitia, quam debent habere, non hoc fecit illorum *voluntas personalis*, sicut in Adam; sed *egestas naturalis*, quam ipsa natura accepit ab Adam. In Adam namque, extra quem de illa (natura) nihil erat, est *nudata justitia*, quam habebat ..... Sic spoliavit persona naturam bono justitiae in Adam: et natura egens facta omnes personas, quas ipsa de se procreat, eadem egestate *peccatrices*, et *injustas* fecit." Haec ille, quae brevi luculentissima sententia confirmantur Capite XXVII. alias XXVI. *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in eisdem infantibus, nisi ipsam quam supra posui, factam per inobedientiam Adae justitiae debitae nuditatem.*

CAPUT LX.

Anselmi, et Aquinatis doctrina comparatur cum veterum Theologorum opinionibus: eisque praefertur. Originale peccatum Augustinus frequentius constituit in reatu concupiscentiae. Hanc sententiam explicat Thomas: suamque facit. Gabrielis Vasquii expositio refutatur: quid sit originalis peccati reatus, manens in occultis legibus Dei?

1. Utriusque, *Anselmi*, et *Aquinatis*, liceat comparare sententiam cum aliis opinionibus, quas *veteres Theologi* excogitarunt. His utique illa praecellit. *Quosdam* nomine suppresso memorat *Magister Sententiarum* Libro II. Dist. XXX. „qui putant, originale peccatum *esse reatum poenae* pro peccato primi parentis: *idest debitum, vel obnoxietatem*, qua obnoxii, et addicti sumus poenae temporali, et aeternae pro primi hominis actuali peccato: *quia pro illo, ut ajunt, omnibus debetur poena aeterna, nisi per gratiam liberentur.*" Hanc a veritate alienam censet Magister. Refellit eam his verbis: *Juxta horum sententiam oportet dici, originale peccatum nec culpam esse, nec poenam. Culpam non esse, ipsi fatentur.* (Ajunt enim esse reatum poenae, qui a culpa diversus agnoscitur.) *Poena quoque secundum eos esse non potest, cum debitum poenae non sit poena.* Demum concludit: *non illa ratione velle istos, peccatum originale dici in parvulis, nisi quia parvuli pro illo primo peccato rei sunt poenae; sicut pro peccato iniqui parentis aliquando exulant filii secundum justitiam fori:* quin aliqua ipsis insit culpa. In errorem *Juliani Pelagiani* haec videtur opinatio recidere.

Alios inducit *Petrus Pictaviensis* Parte II. Sentent. Capite XIX. *dicentes, quod peccatum originale est ignorantia boni, et concupiscentia mali.* Hanc utique thesim legimus apud Hugonem a Sancto Victore Libro I. de Sacramentis Parte VII. Capite XXVIII. *Si ergo quaeritur, quid sit originale peccatum in nobis: intelligitur corruptio, sive vitium, quod nascendo trahimus per ignorantiam in mente, et per concupiscentiam in carne.* Opinionis auctores laudatus Pictaviensis intelligit de *actuali ignorantia*, et *concupiscentia actuali.* Hinc facillime refellit eos: *Sed quomodo,* inquiens, *concupiscentia mali in anima hujus infantis, vel ignorantia boni? Nondum enim aliquid concupiscit, nec aliquid ignorat: nihil enim ignorat, quod in tali aetate debeat scire.* Fallaciam opinionis detegit. Ad concupiscentiam quod attinet: *dicendum,* inquit, *quod vitium concupiscentiae est in isto infante, non motus concupiscentiae: est enim hoc nomen* concupiscentia *aequivocum ad motus concupiscentiae, et ad vitium, et ad naturalem animae potentiam.* De ignorantia sic habet: *Ignorantia similiter est in anima hujus pueri vitium, sicut in oculo caeci vitium est in nocte; sed tamen non discernitur inter videntem, et caecum, donec adveniat lumen diei. Ita in anima pueri est vitium concupiscentiae; sed nondum discernitur, donec adveniente aetate discretionis: tunc enim incipit concupiscere malum, et ignorare bonum.*

In praefato *concupiscentiae vitio* non pauci collocant originale peccatum. Hanc opinionem exponit *Petrus Pictaviensis* loco citato: *Quidam, immo fere omnes, dicunt originale peccatum non esse, nisi*

concupiscibilitatem: non reputantes ignorantiam in originali peccato. Eorum vestigia premit ipse, et addit: *Concupiscibilitas est originale peccatum, quod in anima est, non in corpore. Dicitur tamen habitare in carne, quoniam in carne est carnalis corruptio, ex eo quod ipsa per generationem vitiosam traducitur ex alia carne: quae corruptio causa est originalis peccati; sed non est originale peccatum, quia non est peccatum.*

Eadem est sententia *Petri Lombardi* in Sent. Libro II. Distinct. XXX. Ait ille num. 7. „Nunc superest videre, *quid sit ipsum peccatum originale:* quod cum non sit actuale, non est *actus*, sive motus animae, vel corporis. Quid ergo peccatum originale dicitur? *Fomes peccati*, scilicet *concupiscentia*, *vel concupiscibilitas*, quae dicitur lex membrorum, sive languor naturae, sive tyrannis quae est in membris nostris, sive lex carnis.“ Concupiscentiam habitualem intelligit. Sui ipsius interpres est num. 8. „Quae autem est *concupiscentia*, cum qua nati sumus? *Vitium utique est*, quod parvulum *habilem concupiscere facit:* adultum etiam *concupiscentem reddit.* Sicut enim in oculo caeci in nocte vitium caecitatis est, sed non apparet, nec discernitur inter videntem, et caecum, nisi luce veniente; sic in puero vitium esse non apparet, donec aetatis provectioris tempus occurrat. *Ex his* datur intelligi *quid sit originale peccatum*, scilicet *vitium concupiscentiae*, quod in omnes concupiscentialiter natos per *Adam intravit, eosque vitiavit.*“

Haec plerisque veteribus opinio arrisit, quos memorat Bellarminus Tomo IV. Libro V. Capite XV. *Henrico de Gandavo*, *Gregorio Ariminensi*, *Joanni Driedoni*, aliisque. Premit eos gravissima difficultas. Quoniam per sacrum baptisma non tollitur *habitualis concupiscentia:* unde si *peccatum originis* nihil aliud intelligi debeat, nisi eadem concupiscentia; sequitur, idem peccatum non tolli, nec deleri baptismate: quod Ecclesiae Catholicae dogmati repugnat. „Neque satisfaciunt (inquit Bellarminus) duae illae solutiones, quod peccatum originis per baptismum dicatur remitti: *tum quia concupiscentia baptizatis non imputatur ad culpam:* tum quia *propter gratiam, quae in baptismo confertur, concupiscentia amplius diminuatur.* Nam *prior solutio* Concilio Tridentino apertissime adversatur. Damnat enim Concilium Lutheranorum errorem, qui dicunt *peccatum originis post baptismum manere, sed non imputari:* et affirmat idem Concilium, *per baptismum tolli quidquid peccati rationem habet. Posterior solutio* decretis ejusdem Concilii manifeste repugnat. Nam cum per baptismum infunditur gratia, non *tollitur* dominium concupiscentiae, sed *ligatur*, et *impeditur ad tempus:* et cum per actuale peccatum amittitur gratia, iterum solvitur, ac redit concupiscentiae dominium. Quare si *concupiscentia dominans* est peccatum originale; manifeste sequitur, peccatum originis per baptismum non vere tolli, ut Concilium docet. Nam si vere tollitur; unde, quaeso, idem peccatum in homine peccatore post baptismum existit? Neque enim responderi potest, non esse idem, sed aliud: nam eadem concupiscentia dominans est, quae ante baptismum erat.“ *Dominans* hoc loco dicitur concupiscentia, quia volentes nolentes pertrahit homines, non solum peccatores, verum etiam justos,

in bona sensibilia sine rationis ordine, tametsi consensus eidem negetur.

Sancti Thomae documentis, quae jam saepius memoravimus, et exposuimus, haec evertitur opinatio. I. *Concupiscentia*, sive *habitualis*, sive *actualis*, per sese accepta, non est culpa, sed poena a Deo illata. 2. Nihil aliud est *habitualis concupiscentia* nisi solutio, aut privatio concordiae, quae inerat appetitum inter, ac rationem. Haec autem *privatio* perperam *culpa* dicitur: eademque prout infert *pronitatem ad malum*, ut summum *veluti materiale quoddam*, ad originale peccatum attinere adseritur ab Aquinate. 3. Haec eadem *concupiscentia habitualis* non ita intelligenda est, acsi *habitualis* quaedam foret prava *in genere moris* conversio ad creaturam. Res ita se habet. Soluto rationem inter, ac appetitum sentientem nexu concordiae, id effectum est, ut impressi ab exterioribus sensibilibus objectis motus excitent (quo id accidat modo, non est hujusce loci argumentum) pravas necessarias cogitationes, similesque affectus in appetitu: quin voluntas, ratione duce, valeat eosdem motus pro nutu impedire, ac pro nutu comprimere, et rejicere. Quae licet ita se habeant, nondum tamen *peccatum* est in voluntate, nisi inordinatis hisce motibus, affectibusque ipsa *liberum* praestet *consensum*. 4. Quo demum non existente libero consensu, constantissima est Augustini doctrina, non *dominari*, nec *regnare* in homine concupiscentiam. Ipse vero cum adest consensus, *peccatum actuale* committitur: quo transeunte, peccatum idem *habitu*, aut *virtute* donec retractetur, manet intus; quod *peccatum originale*, dixerit nemo. Si quae amplo jam sermone disseruimus probe teneas, haec erunt omnia tibi compertissima.

Veterum denique aliam refert opinionem laudatus *Magister Sententiarum* Libro II. Dist. XXX. num. 5. qui *putant, originale peccatum esse reatum poenae, idest debitum, vel obnoxietatem, qua obnoxii, et addicti sumus poenae temporali, et aeternae pro primi hominis actuali peccato: quia pro illo, ut ajunt, omnibus debetur poena aeterna, nisi per gratiam liberentur.* Eisdem verbis hanc a *Petro Pictaviensi* relatam descripsimus Theologorum opinionem. Cum eodem Pictaviensi refellit eam Magister. Sequeretur enim, *originale peccatum nec culpam esse, nec poenam. Culpam non esse, ipsi fatentur. Poena quoque secundum eos esse non potest: quia si debitum poenae est originale peccatum, cum debitum poenae non sit poena, nec originale peccatum est poena.*

II. In hanc videtur nihilominus ivisse sententiam *Augustinus*. Loca ejus nonnulla, quae proferri solent, accipe. Ait ille Libro I. de nuptiis, et concupiscentia Capit. XIX. num. 21. *Hujus concupiscentiae reatum regeneratio sola dimittit.* Capite XXVI. num. 29. *In eis, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt omnium prorsus peccatorum, utique necesse est ut reatus etiam hujus, licet adhuc manentis, concupiscentiae remittatur, ut in peccatum non imputetur.* Infra: *Illius* (concupiscentiae), *quando remittitur, reatus aufertur. Illa manet actu; praeterit reatus.* Capite XXXI. num. 36. *Ejus* (concupiscentiae) *reatum, peccatorum omnium remissione, dissolvit* (gratia Jesu Christi): *ut quamvis adhuc maneat, et de die in diem magis magisque minuatur,*

in peccatum tamen non imputetur. Confici videtur, ad *originale peccatum* pertinere quidem *concupiscentiam*; sed ipsius *peccati rationem* consistere *in reatu.*

Libro I. contra duas Epistolas Pelagianorum Capite XIII. num. 26. sic habet: *Dicimus ergo, baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum: et auferre omnia, non radere.* Tum rem uberius explanat: „De ista *concupiscentia carnis;* falli eos credo, vel fallere, cum qua necesse est ut etiam baptizatus . . . pia mente confligat. Sed haec etiamsi vocatur *peccatum*, non utique quia *peccatum* est, sed quia *peccato* facta est, sic vocatur . . . . Peccata autem sunt, quae secundum carnis concupiscentiam, vel ignorantiam illicite fiunt, dicuntur, cogitantur: quae *transacta* etiam *reos* tenent, si non remittantur. Et ista *ipsa carnis concupiscentia* in baptismo sic dimittitur, ut quamvis tracta sit a nascentibus, nihil *noceat renascentibus.* Ex quibus tamen, si filios carnaliter gignunt, rursus trahitur: rursusque est *nocitura nascentibus*, nisi *eadem forma renascentibus* remittatur, et insit nihil obfutura vitae futurae, quoniam *reatus ejus* generatione tractus, regeneratione *dimissus* est. Et ideo jam non *sit peccatum;* sed hoc *vocetur*, sive quod *peccato* facta sit, sive quod *peccandi delectatione* moveatur, etsi ei vincente delectatione justitiae *non consentiatur.* Nec propter ipsam, cujus jam *reatus* lavacro regenerationis absumtus est, dicunt in Oratione baptizati: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris:* sed propter peccata, quae fiunt . . . *in ejus consensionibus.*“

Verba demum Sanctissimi Doctoris affero, quae habentur Libro I. contra Julianum Capite IX. num. 32. Concupiscentia in renatis *non eo modo appellatur peccatum, quo fecit reum; sed quod sit reatu primi hominis facta, et quod rebellando nos trahere nititur ad reatum.* Libro IV. Capite I. num. 3. Concupiscentiae *reatu soluti sunt* (fideles conjugati) *munere Salvatoris.* Libro VI. Capite XIX. num. 60. *Quiddam vero tale est concupiscentia, ut maneat in homine secum per continentiam confligente: quamvis ejus reatus, qui fuerat generatione contractus, jam sit regeneratione transactus.*

III. Haec sunt Augustini documenta. Longissime differunt a *Lutherano*, et *Calviniano* commento. Heterodoxi sentiunt, *radi* solum Baptismate peccatum originis: vere illud *auferri*, Augustinus docet. Ajunt illi, concupiscentiam *per sese* peccatum esse: peccatum non esse ait iste, nisi *ratione adjuncti reatus.* Putant illi, concupiscentiam, tametsi peccatum sit, manere in renatis, hisce tamen *non imputari:* disertissime Sanctissimus Pater tradit, *reatum* ejusdem concupiscentiae Baptismate *auferri, ut non imputetur.* Quam longa, et lata discrimina sunt!

Augustini mentem eo sensu intelligendam proponit Doctor *Aquinas*, quem uberrime, ipso duce, superiore Capite exposuimus. Duplici veluti parte constare *originale peccatum*, tradit Doctor Africanus: *reatu* scilicet, tamquam praecipua parte, et *concupiscentia*, quae reatui veluti subjicitur. Quid aliud fuerit praedictus *reatus*, nisi *privatio debitae rectitudinis*, qua per gratiam sanctificantem et caritatem mens, aut voluntas hominis Deo subjiciebatur? Itaque illud ipsam Augu-

stinus docet, quod verbis in *Schola* tritis exposuit Aquinas: Concupiscentiam nimirum, *veluti quid materiale*, ad originis peccatum pertinere: id vero, quod in ipso peccato *formale* est, in praedicta consistere *rectitudinis privatione*. Hinc liquido patet, concupiscentiam minime peccatum esse, *per sese acceptam*; sed esse peccatum in nondum renatis, ob adjunctum *reatum*, sive ob adjunctam *rectitudinis privationem*. Patet etiam quam maxime, non solum Baptismate *radi* peccatum originis; sed illud vere *auferri*, privationem rectitudinis excludente, ac ipsam afferente rectitudinem, gratia et caritate per Baptismum infusa. Quo demum *reatu* ablato, sive praefata *rectitudinis privatione sublata*, ac ipsa *restituta rectitudine*, concupiscentia quae manet in renatis, non amplius imputatur: neque enim vere peccatum est, neque *ut materiale quoddam peccati* consideratur: peccatumque dicitur eo dumtaxat sensu, quia *peccato* facta est, et pertrahit *ad peccatum*.

Augustini sententiam, quae legitur Libro I. Retractat. Cap. XV. num. 2. affert Sanctus Thomas 1. 2. Qu. LXXXII. Art. III. in argumento prolusorio: *Inest adhuc concupiscentia, cui repugnat voluntas; cujus concupiscentiae reatus in baptismate solvitur.* Haec ille sic exponenda jubet, ut *peccatum originale materialiter quidem sit concupiscentia, formaliter vero sit defectus originalis justitiae.* Eamdem expositionem affert Qu. IV. de Malo Art. II. ad 10., ubi tum nobis insitam *concupiscentiam* declarat, tum *reatus* appellationem passim adhibitam ab Augustino exponit, ac obviam demum diluit difficultatem. Ad primum quod attinet: *Concupiscentia*, inquit, *secundum quod est aliquid originalis peccati, non nominat necessitatem consentiendi motibus inordinatis; sed nominat necessitatem sentiendi* motus eosdem, quibus ad peccata pertrahimur. De *reatus* appellatione sic ait: *Quae* (necessitas sentiendi) *manet quidem post baptismum; sed non manet cum carentia originalis justitiae, ex qua est reatus poenae: et ideo dicitur, quod manet actu, et transit reatu.* Reatus ergo est ipsa culpa, quatenus peccatorem obnoxium poenae facit: adeoque perinde est, baptismate *reatum auferri*, ac *tolli culpam*, atque *excludi carentiam gratiae*, et *justitiae* per ipsius gratiae, et caritatis infusionem.

Obvia difficultas occurrit: quoniam *necessitas sentiendi concupiscentiae motus non videtur habere rationem culpae originalis*, etiam adjuncta carentia gratiae: *propter hoc quod sentire hujusmodi motus non habet rationem peccati actualis propter carentiam gratiae*, ut in homine peccatore. Latissimum intercedit discrimen: *Quia peccatum actuale in actu consistit, est enim actus inordinatus: et ideo defectus qui constituit actuale peccatum, est ipsa inordinatio actus: non autem carentia gratiae, quae est defectus in subjecto peccati.* Scilicet *actus peccati* ille est, qui caret *actuali debito ordine* ad bonum objectum, finemque honestum: ac infert instar causae *privationem gratiae*, seu aversionem a Deo habitualem. *Sed peccatum originale est peccatum naturae*, (seque habet instar peccati habitualis:) *et ideo inordinatio naturae per subtractionem originalis justitiae, facit rationem culpae originalis.*

Hanc originalis justitiae subtractionem, seu *privationem gratiae sanctificantis*, quae in originali justitia praecipua est, Augustinus appellat *reatum*. Tum quia siouti facit hominem *habitu* peccatorem,

ita reum: tum etiam quod peccatorem sibi veluti obnexium, ligatumque tenet peccatum: tum quia eo peccato fit homo dignus, ut accusetur, et reprehendatur: tum denique quod culpa reatum infert poenae. Hanc esse *Augustini* mentem constantissima ejusdem doctrina evincit. Notum quippe, compertumque est, validissime Sanctissimum Patrem, qua Scripturarum auctoritate, qua ecclesiasticae traditionis suffragio, ac plurimis argumentis adversus *Pelagium*, *Caelestium*, et *Julianum* pugnasse, ut *originale peccatum*, dari, et existere propugnaret; illudque evinceret non solum *poenam*, aut miseriam esse hereditariam, sed utique *culpam*, aeterna dignam condemnatione: unde *reatum peccati*, non *reatum solius poenae* sine dubio intelligit.

IV. Datam rejicit expositionem *Gabriel Vasquius* 1. 2. Tom. I. Disput. CXXXII. Capite III. Verba ejus accipe num. 13. „Ut explicet (Augustinus) *naturam hujus reatus*, affert exemplum ejus, qui peccavit: et praeterito opere peccati dicitur nihilominus in peccato manere non ex alio, quam ex reatu, qui dicitur toto tempore ante poenitentiam manere. Ita docuit Libro I. de nuptiis, et concupiscentia Capite XXVI. et Libro VI. contra Julianum Capite VIII. ubi ait: *In renatis manere concupiscentiam, el transire reatum*, et ideo tolli peccatum originale: sicut e contra in iis, qui peccant, manet reatus, et transit peccatum. Postea vero inquirens, *quid sit hujusmodi reatus*, et *ubi maneat*; inquit non esse substantiam, sed *accidens*: illudque tamen non esse *in corpore*, quia non est materiale; non esse *in ipsa anima*, nam si in anima existeret, ideo tantum esset, quia ejus maneret memoria, et compunctio. Nullo enim alio modo esse posse, inquit Augustinus. Hoc autem pacto non dicitur peccatum in anima manere, et eam inficere: sequeretur enim, eum qui non recordatur peccati, hac sola ratione quod non recordatur peccati, a peccato purgari; quod est absurdum. Concluditur igitur in fine Capitis VIII. hunc reatum manere tantum *in occultis legibus Dei*, quae conscriptae sunt in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas imputata, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit. Hunc reatum vocat *Chirographum damnationis aeternae*, cui omnes filii Adam nascuntur obnoxii ob peccatum primi parentis: et *ab hoc debito*, inquit, *liberandos esse quicumque liberandi sunt.*“

Verba refero ipsius Augustini. Libro I. de nuptiis, et concupiscentia Cap. XXVI. num. 29. sic ait: *In eis ergo, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt omnium prorsus peccatorum, utique necesse est, ut reatus hujus, licet adhuc manentis, concupiscentiae remittatur, ut in peccatum (sicut dixi) non imputetur. Nam sicut eorum peccatorum, quae manere non possunt, quoniam cum fiunt praetereunt* (peccatorum scilicet actualium) *reatus tamen manet: et nisi remittatur, in aeternum manebit; sicut illius* (peccati originalis) *quando remittitur, reatus aufertur. Hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Nam si quispiam v. g. fecerit adulterium; etiamsi deinceps numquam faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum, quamvis illud quod admisit jam non sit, quia cum tempore quo factum est praeteriit.* An Vasquio haec verba faveant, dicendum numero sequenti.

Loco altero, quem Vasquius citat ex Libro VI. contra Julianum Cap. XIX. alias VIII. num. 62. sic ait: „Sed quaeso te (Julianum alloquitur), cum et ipse concedas, peccati facti, atque transacti *reatum manere*, nisi sacro fonte deleatur: dic mihi, *reatus iste quis sit*, et *ubi maneat*, jam homine correcto, recteque vivente, nondum tamen remissione peccatorum liberato? Subjectum est reatus iste, idest *substantia*, sicut spiritus, sicut corpus? Aut *in subjecto*, sicut febris, aut vulnus in corpore, sive avaritia, vel error in anima? *In subjecto* esse dicturus es: neque enim reatum affirmabis esse *substantiam*. In quo igitur tibi videtur esse subjecto? Cur quaeram, quid respondeas, et non potius verba tua ponam? *Actu*, inquit, *praetereunte, manet ejus reatus in illius conscientia, qui deliquit, donec dimittatur*. Ergo in subjecto est: hoc est in animo ejus, qui deliquisse se meminit, et scrupulo angitur conscientiae, donec fiat delicti remissione securus. Quid *si obliviscatur*, se deliquisse; nec ejus conscientia stimuletur? Ubi erit reatus ille, quem transeunte peccato, manere concedis, donec remittatur? Non est certe in corpore, quia non est eorum accidentium, quae accidunt corpori. Non est in animo, quia ejus memoriam delevit oblivio: et tamen est. Ubi est igitur, cum jam bene vivat homo, nihil tale committens? Nec dici possit, eorum peccatorum reatum manere, quae meminit: eorum vero quae oblitus est, non manere. Manet quippe omnino, donec remittatur. Ubi ergo *manet, nisi in occultis legibus Dei?* &c.“

V. Mens Augustini profundissima paullo diligentius declaranda est. Adnotandum primo loco: in Adamo peccatore duo distingui oportere, *peccatum actuale*, quod transit, et *peccatum ipsius*, quod *habitu* mansit, donec poenitentia remissum fuit. Idem est, ac si distinguas *inordinationem pravi actus*, ac inde illatam *gratiae sanctificantis privationem*. Adnotandum secundo: ad *originale peccatum* quod attinet, unam inesse nobis *privationem gratiae sanctificantis*, quae pars erat praecipua justitiae originalis: eademque nos *esse*, ac *denominari peccatores*; neque ullum quaerendum in nobis *pravum* aliquem *voluntarium actum*, cum pravam Adami voluntatem satis fuisse, frequentius indicaverimus, ac deinceps dicemus. Adnotandum tertio: *reum de peccato*, propter quod accusari, ac puniri debeat, dici et esse neminem, nisi *voluntarium* fuerit illud. Hinc actuale peccatum consistit in voluntaria transgressione legis: quaeve privatio gratiae infertur, habituale dicitur peccatum, quatenus est *voluntarius quidam terminus* voluntariae actualis transgressionis.

Collige primo, tum reatum *de peccato* actuali ex *voluntaria* oriri *transgressione* legis: tum reatum *peccati habitualis*, quo dicitur homo *habitu* peccator, ac etiam reus, ex ea pendere *voluntarii ratione*, qua privatio gratiae per actuale peccatum illata dicitur voluntaria. Colligendum secundo, perinde esse si perquiras, ubi peccati, ejus actu transacto, *reatus maneat*; atque perquirere, ubi maneat *origo illa voluntarii*, quo quispiam denominatur *voluntarie peccator habitu*, tum vero *poenae reus*.

Hanc voluntarii rationem, actuali peccato transacto, manere *virtute* in quadam voluntatis determinatione, ac etiam *habitu* in priva-

tione gratiae sanctificantis, tamquam in *effectu per actuale peccatum causato*, communi sensu scholae tradunt, donec praeterita peccandi voluntas revocetur, Deoque agente sanctificans gratia in corde diffundatur. Immo vero ipsam *actualem pravam voluntatem* quodammodo manere *alicubi*, diserte docet Augustinus, donec revocetur: *in occultis* nimirum *legibus Dei*, ubi cognoscit eam divinus intellectus, eamque divina voluntas abominatur, ac punire vult divina justitia. Ait etiam Sanctissimus Pater, in eisdem *occultis legibus Dei* manere reatum peccati originalis: quibus nempe constitutum erat, ut omnes, Adamo non peccante, innocentes nascerentur posteri ejus: eoque peccante, nascerentur omnes peccato obnoxii. Quibus *in occultis* utique *legibus Dei* pravam ipsius Adami, quatenus gerebat munus capitis totius naturae humanae, *voluntatem manere*, ab intellectu divino cognitam, ab ejusque voluntate odio habitam, atque poenae addictam ab ejus justitia, latiore sermone exponendum est Cap. LXIV.

Haec vero fuerint hoc loco satis ut Sanctissimi Augustini mens, quam infuscare Vasquius videtur, lucide exposita ab Aquinate innotescat: compertumque fiat, *concupiscentiae reatum*, qui Baptismate aufertur, nihil esse demum aliud, quam *privationem gratiae sanctificantis*, quae praecipua justitiae originalis pars erat, nobis insitam cum nascimur, ac sine dubio *voluntariam* ex primi capitis Adami voluntate, in *occultis* quas vocat Augustinus *legibus Dei* manente, aliumque demum *reatum poenae* inferentem.

CAPUT LXI.

Theologorum opinio proponitur, quae originalis culpae traductionem declarat pacto quodam, vel expresse Deum inter ac primum hominem, vel implicite inito. Momenta, quibus innititur, expenduntur. Dominici Soto judicium.

I. Peccati originalis tradux pacto quodam exponi frequentius solet, Deum inter ac primum hominem inito, expresso, vel implicito. *Pactum expressum* imaginantur nonnulli, cum utriusque partis consensu, nempe Dei, ac primi hominis, quo fuerit constitutum, ut eodem primo homine latum ipsi praeceptum observante, posteri ejus *cum originali justitia nascerentur*; legem ipso transgrediente, in mundum *venirent cum originalis justitiae privatione*. Satis esse arbitrantur alii *divinum decretum*, quo statuerit Deus, justitiam originalem Adamo impertiri pro ipso, proque posteris ejus, dummodo in eadem permaneret ille, supremoque divino Legislatori obediens foret. Quod attamen Dei decretum *innotescere* Adamo debuisse inquiunt, ut *implicitum* saltem dici queat pactum.

Utriusque pacti adsertores colligunt. 1. *Voluntates* omnium Adami posterorum collocatas pro jure supremi dominii a Deo fuisse in *una Adami voluntate*. 2. Adamum non solum considerari debere *veluti naturale, ac physicum caput totius naturae humanae*, ex ipso per viam generationis propagandae; verum etiam factum esse *caput morale*, quod omnium posterorum voluntates una sua voluntate contineret. 3. Hine vero tum praecepti *observationem*, si paruisset Adam, tum

violationem ejusdem, in quam propria incidisset voluntate, posteris quoque *secundum moralem aestimationem* imputandum fore. 4. Unde jam intelligi facile posse, quomodo *privatio originalis justitiae* potuerit Adae posteris esse *voluntaria*; et quomodo *peccatum* sit, quod in Adamo dicebatur *peccatum ipsius habituale*, in posteris *originale*. 5. Hocce demum sensu scripsisse Apostolum Paulum, Ecclesiaeque Patres docere, *in Adamo peccasse* quotquot ex ipso per generationem descendimus homines.

Rem hanc humano declarant exemplo. Sic enim, inquiunt, *Respublicae*, aut *Principes* includere subditorum voluntates in unius voluntate possunt quoad aliquos actus, effectusque civiles, qui dominium, ac jurisdictionem eorum non excedunt: ut patet in *Pupillis*, quorum voluntas jure civili in voluntate *Tutorum* reposita est. Cur ergo id simile facere Numen supremum non potuerit, quod magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas?

II Primum, quod profertur momentum, sumitur ex Geneseos, Cap. XVII. v. 14., ubi haec habentur verba: *Masculus, cujus praeputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Augustini commentatio est Libro XVI. de Civitate Dei Cap. XXVII. *Cum haec nulla culpa sit parvuli, cujus dixerit animam perituram: nec ipse dissipaverit Testamentum* (pactum) *Dei, sed majores qui eum circumcidere non curarunt*; colligitur, non alium aptiorem sensum edi posse: *nisi quia etiam parvuli, non secundum suae vitae proprietatem, sed secundum communem generis humani originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccarunt. Multa quippe appellantur Testamenta Dei, exceptis illis duobus magnis, Vetere, et Novo: quod licet cuique legendo cognoscere. Testamentum autem primum profecto illud est* (Genes. Cap. II. v. 17.): *Qua die ederitis, morte moriemini.*

Animadversione dignum, in hanc abiisse *Augustinum* interpretationem, quod suo in Codice ita legeret divinae Scripturae verba: *Masculus, qui non circumcidetur carnem praeputii sui octavo die.* Hinc ejus erat argumentatio: Anima non perit, nisi causa peccati: atqui anima pueri intra dies octo non circumcisi perit: igitur aliquod ipsi peccatum inest. *Actuale* dici nequit, quod committere nullum potest octo dierum infans: igitur peccatum aliud fuerit, quod *originale* vocamus. Interpolatae Graecae versioni Augustinus inhaesit, ut ostendimus Cap. XXVIII. num. V. Verba quippe illa, *octavo die*, abundant, nec reperiuntur in Hebraeo Textu, neque in Vulgata Latina. Quo fit, non ita solidam videri argumentationem, quae inde *originale peccatum* infert. Dignum etiam animadversione, eo in Scripturae loco *pactum* illud, sive *Testamentum*, quod *irritum, dissipatumque* dicitur, non aliud intelligi posse, nisi *legem Circumcisionis* Abrahamo datam: illudque pactum, sive Testamentum, nonnisi vi quadam adhibita, ad legem trahi potuisse, quae *Adamo lata fuit* in Paradiso: adeoque nihil prolatis inesse Scripturae verbis, quod ad *originale peccatum* certo, ac perspicue pertineat.

Age vero: Augustinianam interpretationem amplectamur. Minime tamen, ex ea conficitur, *Pacti* nomine, sive *Testamenti* quod usurpat

Augustinus, intelligi posse vel *expressam* Deum inter, ac primum hominem *initam conventionem*, vel etiam implicitam. Legem illam, initio Geneseos exaratam, primoque impositam homini; *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, diserte docet Augustinus *Pacti*, aut *Testamenti* nomine intelligi oportere; *Testamentum autem primum*, inquiens, *profecto illud est: Qua die, ederitis, morte moriemini*.; ubi mentio nulla voluntatum posterorum, quae morali quodam modo in Adami voluntate continerentur. Accedit, *dissipari pactum, aut Testamentum*, perinde in Scripturis divinis esse, ac violari legem, cujus observatoribus aeterna vita promissa est: quin aliqua inter partes fingi debeat aut explicita, aut implicita conventio. Quo sensu legimus Exodi Cap. XIX. v. 5. *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis*. Et Cap. XXXI. v. 16. et 17. *Custodiant filii Israel Sabbatum, et celebrent illud in generationibus suis: pactum est sempiternum inter me, et filios Israel*. Et Levitici Cap. XXVI. v. 14. *Quod si non audieritis me, ne feceritis omnia mandata mea: si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, et non faciatis ea quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum; ego quoque haec faciam vobis* &c.

Inquies, parvulos *omnes in illo uno* (Adamo) *Testamentum Dei* (Augustino judice) *dissipavisse: in quo omnes* (docente Apostolo) *peccaverunt*. Igitur morali quodam modo, ac *morali aestimatione* fuerunt in Adam posteri omnes: ac una Adae voluntas, vel aliquo interveniente pacto, vel ita Deo decernente, voluntates omnium complectebatur. Haec tua interpretatio est. Aliam loco citato mentem suam aperire videtur Augustinus, cum ait: *Parvuli, non secundum suae vitae proprietatem, sed secundum generis humani originem, omnes in illo uno Testamentum Dei dissipaverunt, in quo omnes peccarunt*. Parvulos, *non secundum suae vitae proprietatem* aliquod peccasse peccatum, fatemur omnes. Peccasse illos voluntate, quae *moraliter* in unam Adami voluntatem translata fuerit, putas, ipse. Minime favet Augustinus, qui ait: peccatum parvulis *inesse secundum communem generis humani originem*, ab uno scilicet Adam, qui primus peccavit, per viam generationis inceptam, ac inde descendentem.

Momentum alterum opinionis, quam examine versamus, sumitur ex verbis Oseae Cap. VI. v. 7. *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum: ibi praevaricati sunt in me*. Additur Hieronymi expositio: *Ipsi autem*, inquientis, *imitati sunt Adam: ut quod ille in Paradiso fecerat, pactum meum, legemque meam praeteriens, ista in terra facerent. Et ibi, hoc est in Paradiso, omnes praevaricati sunt in me, in similitudinem praevaricationis Adam*. His in locis *pactum* plerique Theologorum nullum vident, quod obtruditur. Legem divinam Adamo impositam, ab eoque violatam, indicant Prophetae, ac Interpretis verba. Partis primae sensus est: Judaeos protoparentem Adamum, legis praevaricatorem, divina praecepta violando imitatos esse: illum in Paradiso peccasse, istos in Judaea, terra promissa, et concessa: illum propter peccatum pulsum de Paradiso fuisse, ac istos propter peccata eorum de terra pellendos. Pars altera sensum edit: Judaeos *ibi*, idest in Judaea, quae instar *Paradisi* amoenissima erat, praevari-

catos esse; eorumque praevaricationem praevaricationi Adae simillimam fuisse. Communem hanc, vulgatamque interpretum expositionem confirmat Paraphrasis Chaldaica: *Ipsi, sicut generationes priscae, transgressi sunt pactum meum: et in terra bona, quam dedi eis, ut ibi exequerentur voluntatem meam, praevaricati sunt in verbum meum.*

Tertio loco afferri in opinionis praesidium verba solent Apostoli Pauli ad Romanos Capite V. v. 12. *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quomodo, inquiunt, omnes in Adamo peccaverint homines, nisi voluntas Adami, qui peccavit, *morali* quadam ob initum pactum *aestimatione* posterorum omnium voluntates contineret? Sine ullo, quod intervenerit, pacto intelligenda esse Apostoli verba, evincunt quae latiore calamo disseruimus Capite XV. et XVI.

Posterorum inclusionem in primo parente constantissime declarat Augustinus, *secundum originem seminis*, aut *propaginem carnis:* quae verba *moralem* voluntatis unius translationem in aliam significare non videntur. Verba refero, quae habentur Sermone CCXCIV. alias XIV. de Verbis Apostoli num. 15. *Quomodo dictum est de Adam: In quo omnes peccaverunt? . . . Quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus. Tamquam in parente, tamquam in radice ibi eramus. Sic venenata est ista arbor, ubi eramus.* Insignis locus est Libro IV. Operis imperfecti contra Julianum num. 104: *Non hoc* (in quo omnes peccaverunt) *dicitur propter arbitrium singulorum; sed propter originem seminis, unde omnes futuri erant. Secundum quam originem omnes in illo uno erant: et hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant.* Itaque *propter originem seminis*, ac *propaginem carnis*, Augustino judice, nos omnes Adae posteri dicimur *et in illo* fuisse, *et unus ille* esse.

Rem confirmat exemplo *Levi*, qui decimatus est, teste Apostolo ad Hebraeos Capite VII. seu *decimas dedisse* Melchisedecho intelligitur, eo quod esset *in lumbis Abrahae*, quando ipsi obviavit idem Rex Salem. Unde ait: „Secundum hanc *originem seminalem* etiam *Levi* in lumbis patris sui Abraham fuisse dicitur, quando a Melchisedech decimatus est Abraham: unde et ipse Levi tunc decimatus ostenditur, non *in seipso*, sed *in illo* in cujus fuit lumbis. Nec voluit, nec noluit decimari: quoniam nulla ejus voluntas erat, quando secundum substantiam suam nec ipse adhuc erat; et tamen *secundum rationem seminis*, non mendaciter, nec inaniter dictum est, quod *ibi fuit*, et decimatus est.“ Discrimen declarat, quod inter Christum, et Levi aliosque Abrahae filios intercedit: *Licet*, inquiens, *sit etiam ipse* (Jesus Christus), *secundum carnem semen Abrahae, eo quod Virgo Maria, de qua carnem sumpsit, ex ipso semine propagata est*, (per commixtionem maris, et feminae;) *non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber a nexu seminatricis concupiscentiae.* Unde rem denique concludit: „Sic ergo omnes, qui nondum nati, nihil per proprias voluntates agere poterant boni vel mali, *in uno* potuerunt peccare, *in quo per rationem seminalem erant:* quando ille *propria voluntate* peccatum illud grande peccavit; *naturam*,

que in se vitiavit, mutavit, obnoxiavit *humanam*; excepto uno homine, qui ex ipso quidem semine, non tamen *seminali ratione* procreatus est.“ Sine *ullo pacto*, ac sine decreto, quo *posterorum voluntates in unam Adae voluntatem translatae fuerint*, nos omnes in Adamo fuisse, in eodemque nos peccasse, aut omnium naturam humanam in ipso fuisse vitiatam, privatamque justitia originali, cujus praecipua pars in gratia sanctificante consistebat, exponit egregie Augustinus.

Minus apta denique videntur, quae afferuntur exempla ex *humanis actibus*, atque *praescriptis*. Ac 1. Legum transgressores multare Respublica, aut Princeps potest infamiae poena, aut exilii, aut privationis bonorum, ad filios nepotesque traducenda. Quod utique ut fiat, nulla filiorum voluntatis translatio requiritur in voluntatem parentum: quaeve in istis fuit eorum criminis poena, in illis infortunium dumtaxat est. 2. Tametsi *Pupillorum* voluntas v. g. dicatur quodammodo ex Principis praescripto in voluntate *Tutorum* reposita; id attamen negotium omne in actibus, effectibusque consistit civilibus, atque exterioribus: praesumiturque, in id pupillos consensuros, si rationis compotes forent, cum de re agatur, quae in eorum cedit emolumentum. Neque praeterea cum pupillis tantum res transigitur: immo legem, quae eorum gratia a Principe fertur, adprobant subditi omnes, et amplectuntur. 3. Ad ipsam denique quod attinet *voluntatem Principis*, quae *pro voluntate Communitatis* habetur, nihil est captu difficile; cum hominibus, qui societates inire voluerunt, integrum fuerit, quod sibi singulis jus conveniebat, in alium transferre, a quo regerentur. Longe dissita ratio est *de peccato originis*. Tradux ejus, modusque traducis, a Dei revelatione pendet, quae pactum nullum, nullamque conventionem, nec ullam translationem voluntatum indicasse videtur. Agitur etiam *de culpa*, deque *poena proprie dicta*, deque posteris hominibus, qui in utramque, et *culpam*, et *poenam*, incidunt, ut jam exposuimus. Atqui vero ad culpam contrahendam, subeundamque poenam, uni alicujus voluntati alligari eorum voluntates posse, qui non sunt, probare non videntur, quae allata sunt exempla. Scriptores consule, qui de origine dominiorum, deque legibus, earumque obligatione disserunt: ac ea recole, quae Capite XIX. *de justitia Dei illaesa* adnotavimus.

III. Judicium postremo loco afferendum est, quod praestantissimus Theologus *Dominicus Soto* de illa fert opinione, quam expendimus. Verba sunt Libro I. de Natura, et Gratia Capite IX. circa medium: „Nec cogitandum est, ut quidam effingunt, *pactum intercessisse inter Deum, et Adam*, ut cum primum peccasset, natura expoliaretur illis caelestibus donis: et ita *nomine totius generis humani* consensum praebuisse: atque hac causa totum genus, eo peccante, peccasse. Est enim fabula. Nam quid Deus opus habebat Adae consensu? Neque ita obligatus fuit (Adam) pro se, aut pro nobis servare donum originalis justitiae, ut *de hac re habuerit praeceptum* (pactum implicitum indicatur.) Scriptura enim est manifesta, quod unica fuit praeceptio, *ne ederet de ligno scientiae*: qua, *citra ejus consensum*, potuit Deus obligare totam naturam, tamquam ejus jure creationis Dominus; sicuti leges legitimi Principis, quae praesenti

modo adicerentur civitati, universis in perpetuum civibus intelligerentur positae. In poenam tamen transgressionis comminatus est Deus *mortem*, qua (etiam) *privatio justitiae* designatur. Cum ergo Adam tunc erat *tota natura*, nulla fuit in Deo vel crudelitas, vel asperitas: quod *peccante natura*, denudaret eam, quibus supranaturalibus donis ex mera liberalitate exornaverat. Veluti si Princeps civitati amplissimum privilegium largiretur, dum non committeret certum crimen; quod si contra faceret, tunc nimirum sibi civitas perpetuo maneret offensa, et invisa. Et ideo *modo quodam* peccatum illud fuit omnibus hominibus *voluntarium*, scilicet per voluntatem *totius naturae*. Qua de causa alia peccata vel primi, vel aliorum parentum non trajiciuntur in liberos, sicut nec virtutes: quoniam illa sunt *personalia*, quibus poenae tantum personales decretae sunt. Illud autem *primum* fuit, cui posita erat *poena communis*; scilicet ut genus nostrum in *suam nudam naturam* recideret: ob idque illius solius rea facta est suo modo tota natura."

Alterutram partem liceat cuique amplecti, ac tueri, magisque illustrare. Tenendum sane pro comperto: ita Deum statuisse, ut si Adam in gratia perseveraret, originalis justitia in posteros traduceretur; eamdemque pro se amitteret, et pro aliis, si datam sibi legem violaret. Plura dabimus infra.

CAPUT LXII.

Haud improbabile censebat Augustinus, animas hominum ex anima parentis traduci; eoque modo peccatum originale transfundi. Huic opinioni non haesit illa Sancti Thomae Aquinatis censura.

I. Celebre fuit inter Veteres dissidium *de origine Animae*. Opiniones varias, dissitasque refert *Hieronymus* ad Marcellinum, et Anapsychiam, non multo post annum 410. data, quae inter Augustinianas legitur num. CLXV. in novissima Editione: „Super *animae statu* memini vestrae quaestiunculae, immo maximae ecclesiasticae quaestionis. Utrum *lapsa de caelo* sit, ut Pythagoras Philosophus, omnesque Platonici, et Origenes putant. An *a propria Dei substantia*, ut Stoici, Manichaeus, et Hispana Priscilliani haeresis suspicatur. An *in thesauro habeantur Dei olim conditae*, ut quidam Ecclesiastici stulta persuasione confidunt. An *quotidie a Deo fiant*, et mittantur in corpora, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. An certe *ex traduce*, ut *Tertullianus, Apollinaris*, et maxima pars Occidentalium autumat: ut quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima." Veterum habes Philosophorum commenta, mala dogmata heterodoxorum, scriptorumque Ecclesiae perplexas opiniones.

Disserere pergit Hieronymus. *Super quo quid mihi videretur: in Opusculis contra Rufinum scripsisse me novi.* Mentem hanc in re suam *Rufinus* ancipitem aperuerat in Apologia: „Si autem et de me quid sentiam quaeritur; fateor me de hac quaestione apud quamplurimos Tractatorum diversa legisse. Legi quosdam dicentes, quod pariter

cum corpore *per humani corporis traducem etiam animae diffundantur.* Alii asserunt, quod formatis in utero corporibus, *Deus quotidie faciat animas, et infundat.* Alii *factas jam olim*, idest tunc cum omnia creavit Deus ex nihilo, *nunc eas judicio suo nasci dispenset in corpore.* Ego vero cum haec singula legerim, Deo teste dico, quia usque ad praesens *certi*, et *definiti* aliquid de hac quaestione non teneo; sed Deo relinquo scire quid sit in vero, et si cui ipse revelare dignabitur. Ego tamen haec singula et legisse me non nego, et adhuc ignorare confiteor praeter hoc, quod manifeste tradit Ecclesia, *Deum esse et animarum, et corporum conditorem.*"

Satis indicat Hieronymus in laudata ad Marcellinum epistola, in eam se abire sententiam, quae *singulas animas, nascentibus hominibus, fieri novas* tenet. Ita Hieronymum intellexit Augustinus in Epistola CLXVI. alias XXVIII. ad ipsum data anno 415. verno tempore. Ait enim num. 8. *Ne longum faciamus, hoc certe sentis quod singulas animas singulis nascentibus etiam modo Deus faciat.* Plura profert ille, quae difficultatem ingerunt: idque urget maxime, quomodo haec ejus sententia conciliari *cum traduce peccati* queat adversus *Pelagianum dogma.*

Opus de *Genesi ad litteram* inchoaverat *Augustinus* anno circiter 401. absolvitque sub annum 415. Agit Libro X. *de origine Animae* fuso Commentario. Originale peccatum jam Pelagiani exorti inficiabantur; et animas a Deo creari cum dicerent, eas, inde colligebant, non posse produci cum peccato. Hinc ea sententia, ut hominibus heterodoxis validius resisteret, magis arridere coepit Sancto Doctori, quae *animarum ex anima traducem* tuebatur. Sic ait Libro citato Capite XXIII. num. 39. *His igitur quantum pro tempore potuimus pertractatis, omnia paria, vel pene paria ex utroque latere rationum, testimoniorumque momenta pronuntiarem, nisi eorum sententia qui animas ex parentibus creari putant, de baptismo parvulorum praeponderaret.* Paria scribit Libro II. de Peccatorum meritis, et remissione Capite XXXVI. et Libro III. contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium Capite X. num. 26.

Ad obitum usque haec mentem Augustini ratio turbavit, quin *dubitationem de origine Animae* exsolveret, ut cuique colligere pronum est ex postremis Retractationum libris, anno 426. aut insequente elucubratis. Libro I. Capite I. num. 3. haec habet: *Quod attinet ad ejus* (Animae) *originem qua fit ut sit in corpore: utrum de uno illo sit, qui primum creatus est, quando factus est homo in animam viventem: an similiter ita fiant singulis singulae, nec tunc sciebam, nec adhuc scio.* Libro II. Capite LVI. *In iis autem omnibus, in quibus multa necessaria disseruntur, defendi de origine animarum, quae singulis hominibus dantur, cunctationem meam.*

II. Hanc opinionem, quae Augustino insederat, revocatam a Sancto Doctore fuisse, putat Bellarminus Libro IV. de amissione Gratiae, et statu peccati Capite II. Verba ejus accipe: „S. *Augustinus,* quamvis *incertam* esse credidit *originem animarum*, et in Libro X. de Genesi ad litt. Capite XXIII. scripserit, opinionem quae asserit *propagationem animarum*, niti fortioribus argumentis quam sententias caeteras; tamen in Epistola CLVII. (nunc CXC.) ad Optatum, quam

scripsit multo posterius (paullo post medium annum 418.) apertissime refellit eam sententiam. *Itaque illi*, (sic ait Capite V. num. 18.) *qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt &c.* Eadem in Epistola de sententia Tertulliani loquens, sic ait (Capite IV. num. 14.) *Quo perversius quid dici potest?*"

Bellarminum insequitur *Norisius* in Vindiciis Augustinianis Capite IV. §. 3. Ac primo in laudata *ad Optatum* Epistola se adhuc nutantem, et perplexum esse, scribit Africanus Doctor. Utramque opinionem, *de creatione* alteram, et alteram *de traduce*, refert num. 1. Testaturque num. 2. *numquam fuisse ausum de hac quaestione definitam proferre sententiam.* Ait etiam: *Quarum autem rerum, atque causarum consideratione permovear, ut in neutram assertionem mentis inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est in hac Epistola expromere.* 2. Propaginis animarum adsertores, *inconsideratae temeritatis arguit:* minime sane quod putaret, falsum ab illis enuntiari; sed quod eam sententiam pervicacius, quam par esset, nonnulli defenderent. Verba ejus sunt num. 16. *Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, et aperta divina Scriptura non subvenit; temere hinc aliquid definire humana conjectura praesumit.* 3. Quod ille demum de sententia *Tertulliani* pronuntiavit, accipi contra sententiam de *traduce Animarum* ab ipso Augustino expositam nullo modo potest, cum latissimum inter utramque versetur discrimen. Autumabat *Tertullianus*, animam esse corpoream: adeoque per semen corporeum generantis hominis propagari. *Nam et illi*, (verba sunt Augustini Capite IV. num. 14.) *qui animam ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita ex parentibus trahi dicunt; si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus exoriri. Quo perversius quid dici potest? Neque hoc Tertullianum somniasse, mirandum est: qui etiam ipsum Creatorem Deum, non esse nisi corpus opinatur.* Ita Tertulliani doctrinam intelligebat ille. Alia ejus fuerat dubitatio, ab omni perversitate longe aliena. Anceps haerebat: *utrum incorporeum semen animae* (sic loquitur num. 15.) *sua quadam occulta, et invisibili via, seorsum ex patre currat in matrem, cum fit conceptus in femina: an, quod est incredibilius, in semine corporis lateat?* Obscura sunt, ac difficillima quae de *semine quodam incorporeo* innuit Augustinus; ab erroneo tamen *Tertulliani* commento sunt plurimum diversa. In eadem haeret perplexitate Augustinus in secunda ad Optatum epistola, quae prodit ex Codice Bibliothecae Abbatiae Gottwicensis in Austria.

Certo jam patet, opinionem *de traduce animae* non displicuisse Augustino, veluti satis commodam, ut putabat ille, ad explicandum *peccati originalis traducem.* At eidem adhaesit ille numquam: *temerariumque* censuit, in re tam obscura *aliquid humana conjectura definire.* Ad sequiora secula dubitatio ejus traducta est. Ante millesimum aerae Christianae annum *de origine animae* dubitarunt, *traducemque ejus* proposuere non pauci Ecclesiae Patres: *Africani Episcopi* in Epistola Synodica ex Sardinia, ubi exulabant, Byzantium missa Capite X., *Fulgentius* Libro III. de veritate praedestinationis, et gratiae

Capite XVIII. *Cassiodorus* Libro de Anima Capite XIV. *Gregorius Magnus* Libro IX. Epistola LII. ad Secundinum in novissima editione, *Isidorus Hispalensis* Libro II. de Officiis Ecclesiasticis Capite XXIII. *Prudentius* Episcopus Tricassinus Libro de Praedestinatione adversus Joannem Erigenam. Eodem tenebatur dubio post annum millesimum *Anselmus Cantuariensis*, ut habetur ex ejus Vita, quam *Eadmerus* concinnavit, Libro II. Capite VII. Verba demum refero *Hugonis de S. Victore* Libro I. de Sacramentis Parte VII. Capite XXX. ubi postquam a Deo creari animam, non eam ex traduce esse, pluribus ostendit argumentis, sic demum animadvertit: *probabilius animas ex traduce non esse.* Admonet etiam: *nullam umquam rationem, sive auctoritatem intantum praevalere potuisse, ut dubietatem tolleret quaestionis:* nihilominus *fidem catholicam magis credendum elegisse, animas quotidie corporibus vivificandis sociandas, de nihilo fieri.*

III. Quaenam Sancti *Thomae Aquinatis* in hac inter Veteres celeberrima quaestione mens fuerit? Refero primum, quae verba habet Qu. III. de Potentia, Articulo IX. *Duae primae opiniones* (altera de *propagine animae filii ex anima patris*; et altera *de animarum praeexistentia*) *postmodum judicio Ecclesiae sunt damnatae.* In Summa contra Gentiles Libro II. Cap. LXXXVI. sic ait: *Est error Apollinaris, et sequacium ejus, qui dixerunt animas ab animabus generari, sicut a corporibus corpora.* Denique in Summa Theologica Parte I. Qu. CXVIII. Art. 2. *Haereticum est dicere*, inquit, *quod anima intellectiva traducatur cum semine.* Semen scilicet intelligit *corporeum*, animaeque propagationem *per semen corpulentum.* Unde *erroris*, maximeque *haereseos* nota non afficit sententiam, quae *Augustino* insederat, de *incorporeo quodam animae semine*; sed *Apollinaris*, ac *Tertulliani* commentum ferit, ut superius adnotavimus.

Nihilominus *animarum traduce* jam antiquato, persuasio obtinet de *singularum creatione animarum* ad singula, quae nascuntur, corpora vivificanda. *Erronea* certe, aut valde *temeraria* communi judicio adversa censetur opinatio. Hinc vero colligendum: 1. *Peccati originalis traducem* nec posse, nec debere *per animae traducem* exponi. 2. Augustinum, qui traduce animarum visus est, peccati originalis traducem explicare, cogitasse forte numquam *pactum illud*, quod Deum inter ac primum hominem initum dicitur: neque divinum illud cogitasse decretum, quo posterorum voluntates in unam translatae adserantur Adami voluntatem.

CAPUT LXIII.

Originalis culpae traducem, quocumque demum fiat modo, Fides Christiana credit. Pro certo Augustinus habet, generatione eam traduci: ejusque traductionis non tam generationem, quam generationis concupiscentiam esse causam. Pro certo etiam habet, voluntatem Adami eam esse, qua fit ut reatum nascentes parvuli contrahant. Totius Augustinianae doctrinae recapitulatio.

I. Candido fatetur animo praestantissimus Ecclesiae Latinae Doctor, *Sanctus Augustinus* Libro I. de Moribus Ecclesiae Catholicae Cap. XXII. num. 40. *Nihil esse* peccato originali *ad praedicandum*

notius, nihil ad intelligendum secretius. Traducem ejus neque ratione satis comprehendi, neque sermone satis explicari posse, admonet Libro I. de Nuptiis et Concupiscentia Cap. XIX. num. 21. *Ut enim quod dimissum est in parente, trahatur in prole, miris quidem modis fit; sed tamen fit ... Et quia non facili ratione indagatur, nec sermone explicatur, ab infidelibus non creditur.*

His abutebatur *Julianus* verbis Augustini: acsi ratio nulla, ipso fatente Augustino, peccati originalis existentiam, ejusque traducem, ullo prorsus modo comprobaret. „Quasi dixerim (sui ipsius vindicias agit Libro VI. contra Julianum Cap. V. num. 11.) *nec ratione comprehendi, nec sermone explicari:* subtrahens inde, quod dixi, *non facili* sive ratione sive sermone. Aliud est, *nulla*, quod tu dicis: aliud, *non facili*, quod ego dixi: ubi quid aliud, quam calumniosus appares? Sed etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum tamen est, quod antiquitus *veraci fide catholica* praedicatur, et creditur per Ecclesiam totam."

Itaque 1. captivanda nobis mens est in obsequium fidei: ac omnino credendum, culpam originalem in posteros ex Adamo protoparente trahi. 2. Nec facili id ratione indagari potest, nec facili sermone exponi. Quis enim clare intelligat, peccatum imputari parvulis, quod propria voluntate non fecerunt? Quis etiam satis declaret, animam sine culpa a Deo conditam, labe culpae vitiari, dum infunditur corpori? 3. Nihilominus et ratio aliqua sublucet, qua tam reconditum possit apparere mysterium: et sermo non deest, quo illud aliquo modo exponatur.

II. Quae videbantur Augustino indubitata, jam profero documenta. Ac primum passim suis in Operibus constituit ille, *originalem culpam generatione traduci.* Novo non eget res clarissima lumine. Quo constituto principio, pronum fuit Sancto Patri, apostolica verba, quae tradunt omnes in Adamo peccavisse homines, ita explicare: *quia secundum propaginem carnis in illo eramus omnes, antequam nati essemus:* quia *secundum originem seminis omnes in illo uno erant, et hi omnes ille unus erant, qui in seipsis nulli adhuc erant.*

Alterum sequitur Augustinianum documentum: *causam proximam*, aut occasionem, aut conditionem, ut peccatum primi parentis traducatur, non tam esse *generationem*, quam generationis *vitium*, seu *concupiscentiam.* Innumera sunt ejus testimonia, quibus in recensendis servandus modus est. Primam eorum classem indico, queis *peccatum* originis diserte *concupiscentia trahi* dicitur, ac traduci. Sermone CLI. alias XLV. de Tempore Cap. V. num. 5. haec habentur: *Aperti sunt oculi eorum ad aliquid, quod numquam senserant, quod in motu sui corporis numquam expaverant.* (Haec est concupiscentia.) *Ecce unde trahitur originale peccatum. Ecce unde nemo nascitur sine peccato.* Libro de peccato originali contra Pelagium et Caelestium Cap. XXXVII. num. 42. *Infantes etiam, qui peccare non possunt, non tamen sine peccati contagione nascuntur: non ex hoc quod licet, sed ex eo quod dedecet;* ex concupiscentia scilicet, quae vitiat generationem. Hanc generationis concupiscentiam declarat Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XXIV. num. 27. „Cum venturum

fuerit *ad opus generandi*, ipse ille licitus, honestusque concubitus non potest esse *sine ardore libidinis*: ut peragi possit quod rationis est, non libidinis. Qui certe *ardor*, sive sequatur, sive praeveniat voluntatem; non tamen nisi ipse *quodam quasi suo imperio movet membra*, quae moveri voluntate non possunt:[4] idest cum pleno in eosdem membrorum motus dominio. In hanc generationis libidinem refundit peccati originalis traducem: *Ex hac carnis concupiscentia* (inquiens....) *quaecumque nascitur proles, originali est obligata peccato*. Paucis complectitur omnia Libro II. Operis imperfecti contra Julianum num. 42. „*Pudenda libido*, nisi aut peccato exorta, aut peccato vitiata esset, *pudenda* non esset: et aut nulla esset omnino: et sine illa ita servirent genitalia membra gignentibus, ut manus serviunt operantibus: aut ita esset subsequens voluntatem, ut numquam posset solicitare nolentem. Qualem nunc eam non esse, castitas docet, quae tales motus ejus expugnat et in conjugatis ne vel inter se indecenter lasciviant, vel in adulteria prolabantur; et in quibusque continentibus, ne huic consentiendo dejiciantur. Ecce *de qua trahitur originale pecatum.*"

Classis altera complectitur testimonia, quibus peccatum originis adversum Pelagianos trahi ostenditur ex ipsis quoque parentibus, ejusdem peccati reatu solutis, propter concupiscentiam, qua eorum vitiatur generatio. Praesto sunt Sanctissimi Doctoris verba Libro citato num. 45. *Nuptiae tamen etiam nunc laudabiles sunt, quia neque instituunt hoc malum in hominibus, sed inveniunt: et eo malo bene utuntur intentione generandi; quamvis trahant inde, qui generantur, originale peccatum*. Objectio erat Pelagianorum apud Augustinum Libro II. de peccatorum meritis et remissione Cap. IX. num. 11. *Si peccator genuit peccatorem, ut parvulo ejus reatus originalis peccati in Baptismi acceptione salvatur; etiam justus justum gignere debuit*. Augustini responsio est ibidem: *Quasi ex hoc quisque gignat, quod justus est: et non ex hoc, quod in membris ejus concupiscentialiter movetur... Ex hoc ergo gignit, quod adhuc vetustum trahit inter filios seculi; non ex hoc, quod in novitatem promovit inter filios Dei*. Disertissima denique sunt, quae habentur Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XVIII. num. 20. *Propter hanc* (concupiscentiam) *ergo fit, ut etiam de justis, et legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii seculi generentur: quia et ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filii Dei sunt: sed ex quo adhuc filii seculi.*

Tertia demum classis est sententiarum, queis eo ex capite culpa originalis depellitur a Christo, quod conceptus ille non fuerit ex maris cum femina commixtione, quae in hocce lapsae naturae statu non fit sine concupiscentiae ardore. Ait Augustinus in Psalmum L. num. 10. *Propter hoc vinculum concupiscentiae carnalis natus est Christus sine masculo ex Virgine, concipiente de Spiritu sancto: Non potest iste dici in iniquitate conceptus*. Sermone CLI. superius memorato post allata verba: *Ecce propter quod Dominus non sic concipi voluit: quem Virgo concepit*. Libro I. de nuptiis et concupiscentia Cap. XXIV. *Ex hac concupiscentia carnis ... quaecumque nascitur proles, originali est obligata peccato, nisi in illo renascatur, quem sine ista concupiscentia Virgo*

concepit: propterea quando nasci est in carne dignatus, sine peccato solus est natus. Denique Libro V. contra Julianum Cap. XV. num. 52. *Hinc apparet, illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariae corpus, quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit.* Et num. 54. *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit; transire in eam carnem non potuit, quam non per illam Virgo concepit.*

Splendidissime patet Augustiniana doctrina: generatione, maximeque *concupiscentia*, quae inest generationi, peccatum originale traduci. Decreverat nempe Deus, justitiam originalem, gratiam sanctificantem, et caritatem, quam primo dederat homini, tum eidem conservare nisi peccaret, tum in posteros transfundere, qui sine vitio generationis procrearentur, animam scilicet creando praedictis donis ornatam. Grande peccatum commisit Adam: abjecit ipse gratiam Dei, a Deoque rejectus est. Plenum, quo potiebatur, amisit dominium in corpus, ac sentientem appetitum: motusque sensit in corpore ab objectis immissos, motusque passionum sensit in appetitu, quos ratione semper praevenire, eosque pro nutu cohibere, comprimere, extinguere non amplius valet. Haec appetitus, et corporis rebellio dicitur *concupiscentia:* quae maxime exaestuat in opere conjugali. Dum ergo seruntur homines *per concupiscentiam* (quod in statu innocentiae non accidisset) adest *causa proxima*, vel adest occasio, aut conditio, cur Deus animam rationalem, quam condit, corpori infundat sine gratia, et caritate. In *hac privatione* essentiam veluti, naturamque peccati originalis constituimus.

III. Atqui originale peccatum non est *instar actus;* sed *instar termini* ad quem procedit actus, vel *instar effectus* per actum illati. Rursus non est peccatum, nisi *voluntarium:* sed voluntarii rationem praedictae convenire privationi *ex sola voluntate Adami*, tertia est Augustinianae doctrinae pars.

Obvia sunt quamplurima testimonia. Insignem profero, ac illustro locum, qui habetur Libro IV. Operis imperfecti contra Julianum num. 104 et 105. Dixerat Sanctissimus Doctor Libro II. de nuptiis et concupiscentia Cap. V. num. 15. „*Sic enim per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors: et ita in omnes homines pertransiit in quo omnes peccaverunt.* Per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccarunt, quando omnes *ille unus* fuerunt.“ Haec verba carpit Julianus num. cit. 104. *Si omnes ille unus fuerunt, quomodo per voluntatem illius malam omnes peccaverunt, cum isti omnes, quos in illo fuisse dicis, sua potuerint voluntate peccare ... Habuerunt ergo parvuli voluntatem, non solum antequam nascerentur, verum antequam proavi eorum generarentur: et usi sunt electionis arbitrio, priusquam substantiae eorum conderentur.* Haec vero, ut putabat heterodoxus homo, Augustinianae doctrinae consectaria, irridet citato loco veluti *commenta Orgiis, et Thyrsis aptiora, quam litteris.*

Animadvertendum est: Augustino si ea insedisset persuasio, de posterorum voluntatibus in una voluntate Adami pro supremo Dei dominio constitutis *morali quadam aestimatione;* unam hanc, eamque

facillimam praesto ipsi fuisse responsionem, qua Julianum objicientem comprimeret: tunc scilicet posteros Adae non exstitisse *physice*, cum ipsi physice nihil essent; exstitisse vero *moraliter* ob eorum voluntates uni Adae voluntati alligatas. Hujusce responsi vestigium nullum.

Immo traditam doctrinam ut vindicet Augustinus, adhibet 1. num. insequente 105. tum Pauli Apostoli verba, *Per unum hominem, in quo omnes peccaverunt, in mundum intrasse peccatum*: tum Ambrosii sententiam ex Libro VII. in Lucam Cap. XV. decerptam, *Fuit Adam, et in illo fuimus omnes: periit Adam, et omnes in illo perierunt.* Admonet 2. *Non hoc dici* (quod Apostolus, et Ambrosius docent) *propter arbitrium singulorum.* Cur id propter arbitrium singulorum aliquo modo dici non potuerit, si in unam Adami voluntatem a Deo singulorum voluntates translatae fuerint? Refellit 3. hanc eamdem singulorum *moralem* praeexistentiam, traditaeque doctrinae sensum exponit: *Sed propter originem seminis*, inquiens, *unde omnes futuri erant: secundum quam originem omnes in illo uno erant, et hi omnes unus ille erant, qui in seipsis nulli adhuc erant.* Num in Adamo fuisse *propter originem seminis*, perinde fuerit ac ejus uni voluntati voluntates posterorum omnium per initum quoddam pactum, ac morali aestimatione, alligatas esse?

Augustini doctrina est. Peccatum originis ut Adami posteris insit, satis duo sunt: ac primo, *origo seminis*, seu propagationis ex Adam, eademque *ardore concupiscentiae* vitiata: deinde *Adae*, tamquam capitis totius naturae, totamque naturam continentis, *voluntas* quae noluit in accepta justitia permanere. Mentem hanc suam clarissime aperit ibidem. Objectio erat Juliani: *Cum primus homo voluntate peccaverit, quomodo potuerunt per ejus voluntatem simul in illo peccare, qui suam nondum habebant, quia per substantiam suam nulli adhuc erant?* Pronum erat in ea *moralis praeexistentiae* hypothesi Juliano reponere: unam Adae voluntatem pro singulorum voluntatibus reputari, ob initum cum Adamo totius naturae capite pactum, factamque singulorum voluntatum translationem in unam ejusdem voluntatem. Non ita Augustinus: *Immo desine vana garrire* (responsio ejus est); *et omnes, qui nondum nati nihil per proprias voluntates agere poterant boni vel mali, in uno potuisse peccare, in quo per rationem seminis erant, quando ille propria voluntate peccatum illud grande peccavit, naturamque in se vitiavit, mutavit, obnoxiavit humanam ... Si potes, intellige: si non potes, crede.*

IV. Augustiniana, quae satis hactenus illustrata videtur doctrina, in sequentes redigi potest propositiones. 1. Si pactum aliquod Deum inter, ac primum hominem intercessit, non aliud intellige nisi legem ab initio latam: *Quacumque hora comederis, morte morieris.* Hanc legem Augustinus pluribus in locis *Testamentum* vocat. (Tum lato praecepto, tum poena comminata pro violatione praecepti,) tenebatur Adam, quin ipse *consensum* praestaret. 2. Pro sua Deus libertate decrevit, ut *originalis justitia*, si primus parens in veritate permaneret, *traduceretur in posteros*: eademque destituti posteri nascerentur, si primus idem eorum parens, lege Dei violata, peccaret. 3. Divina haec dispositio ex eo satis intelligi potest: quod hominem creavit

rectum, sanctum, *impassibilem*, cuique corporis ac sentientis appetitus dominum: jussitque, ut prolem haberet. Scripturarum revelatione, ac traditione Patrum minime constat, *pactum illud*, quod nonnullis placet, inter Deum et Adam intercessisse, et cum primum iste peccasset, caelestibus illis donis natura humana expoliaretur: ac si *nomine totius generis humani* consensum praebuerit Adam, idemque totum genus ob hanc causam, Adamo peccante peccasse dicatur. Doctrinam recole Dominici Soto. 4. Adamo peccante, ejusque et posterorum vitiata per concupiscentiam generatione, occasio data est, et posita conditio, ac *proxima* veluti adest *causa*, cur animae rationales, quae a Deo creantur, *destitutae* fiant *justitia originali*, ac praecipua ejus parte gratia sanctificante; ac hisce donis privatae corporibus infundantur. 5. Haec *privatio* constituit *culpam originalem*. Est enim sine dubio *defectus* in subjecto, quod ad gratiam habendam aptum fecerat libera Dei voluntas. Est etiam *terminus*, aut *effectus*, illatus per malam Adae voluntatem: cum ipse volens recesserit a Deo, divinamque impediverit ordinationem, qua statutum fuerat, ut originalis justitia transfunderetur in posteros, quos homo innocens propagaret sine ardore libidinis. Hinc *ratio voluntarii* satis elucet in eadem *justitiae privatione*, cum qua nascuntur homines. 6. Hujusce divinae ordinationis notitiam ut haberet Adam, suumque consensum praestaret, non esse videtur opus. „Nam quamvis *ratio voluntarii* sit necessaria, ut privatio justitiae sit peccatum (verba sunt Gabrielis Vasquii 1. 2. Disputatione CXXXIII. Cap. I. num. 3.) quia tamen hoc peccatum non est *actuale*, sed *originale;* non est peccatum actionis, sed dispositionis naturae: ideo non est necessarium *voluntarium ex cognitione*. Satis ergo est, ut sit *ex causa aliqua voluntaria:* scilicet ex peccato Adae.“ Quae latiore calamo disserit Vasquius, legenda sunt: uberiora nos dabimus infra cum Sancto Thoma.

CAPUT LXIV.

Difficultas recurrit de voluntate Adami, quae cum praeterierit, ac poenitentia fuerit revocata, induci perperam videtur ad peccati traducem explicandum. Theologorum Carmelitarum Salmanticensium doctrina, et solutio. Eadem videtur, ac doctrina Augustini de reatu in occultis legibus Dei manente.

I. Gravis illa difficultas recurrit, quam proposuimus Capite LX. num. IV. Quomodo *justitiae privatio*, quae nascentibus hominibus inest, dici queat *voluntaria* ob Adami voluntatem pravam, cum haec *jam transierit*, ac etiam *deleta fuerit per poenitentiam*. Hic ille *reatus* est, de quo anxie quaerebat Augustinus Libro VI. contra Julianum Capite XIX. *quomodo, et ubi maneat?* Paucis ille verbis rem conficit omnem: *Ubi ergo manet*, inquiens, *nisi in occultis legibus Dei?* Manet scilicet praefatae privationis reatus *in legibus Dei*, quibus constitutum erat, ut Adamo non peccante, nasceremur omnes cum caelestibus donis, quibus Numen supremum naturam humanam in ipso Adamo exornaverat: eoque in peccatum lapso, nasceremur omnes praedictis caelestibus donis destituti.

II. Rem hanc videntur optime explanare *Carmelitae Excalceati Salmanticenses* Tomo IV. Tractatu XIII. Disput. XIV. Dubio III. §. VII. ubi *causalitatem effectivam peccati Adami in originalia nostra* exponunt. Primam, quam praemittunt num. 90. animadversionem praetermitto de *morali* posterorum voluntatum *praecontinentia* in voluntate Adami. Ad rem maxime facit altera animadversio num. 91. ubi „supponendum est, (inquiunt) *quodcumque peccatum mortale, dum non retractatur, physice expellere, vel impedire gratiam a supposito,* (vel in supposito,) *cujus est peccatum:* quia ex natura rei, quamdiu ita manet, est incompossibile cum illa in tali supposito ...... Atque hinc etiam fit, ut sicut tale peccatum, dum actu committitur, gratiam praeexistentem *physice expellit,* aut non praeexistentem *impedit,* introducitque de novo, si non inveniat, ejus privationem: ita donec postmodum irretractatum manet, *physice* conservat talem privationem, et quasi *habitualiter* eam causat; causaretque semper actualiter, quoties sine illa praedictum suppositum inveniret. Quippe non minus repugnat, postmodum poni, vel conservari gratiam in tali supposito, nisi retractatio advenerit: quam repugnabat, dum peccatum actu committeretur.“

„Si vero postules, *ubi maneat peccatum actuale, postquam actu transiit*, ut possit eam causalitatem exercere?. Respondetur, *manere in Dei appretiatione, seu abominatione;* offendens illum, et separans a persona offendente, prohibensque ab elargitione gratiae: a quo *quasi loco* numquam recedit, usquedum *per poenitentiam*, vel gratiam, saltem *virtualiter retractetur*. Quamdiu enim ibi manet, eamdem oppositionem, et incompossibilitatem habet cum gratia collata supposito, a quo commissum fuit; sicuti cum *physice* erat in tali supposito, actuque ab illo committebatur. Quia *utrobique* eorum simultas (peccati, et gratiae) pugnat ex natura rei: itaut neque Deus de potentia absoluta efficere valeat, ut dum peccatum irretractatum manet, etiamsi actu praeterierit, praedictum suppositum sit Deo acceptum per gratiam: aut si ei acceptum existit, non jam illud (peccatum) *formali*, vel *virtuali* retractatione a Dei abominatione deletum fuerit.

„Diximus, *formali*, vel *virtuali retractatione*. Quia dupliciter potest fieri haec *retractatio:* vel *formaliter*, ut cum adest proprius actus peccatum detestans: vel *virtualiter*, ut cum sine tali actu, *virtute alicujus sacramenti*, infunduntur gratia, et caritas, quibus anima, et voluntas manent *habitualiter conversae in Deum*, ut in ultimum finem, a quo per peccatum fuerant aversae. Utroque autem modo fiat; delebitur omnino peccatum, *quantum ad culpam*, et *offensam:* quia impossibile est ut anima sic conversa in Deum, per peccatum in ejus abominatione permaneat: alias talis anima esset simul *objectum amoris Dei* simpliciter per gratiam, et simpliciter *objectum odii* ratione peccati.

„*Et licet* (ut per hoc tacita objectio solvatur) *etiam post retractationem* in Dei abominatione peccatum commissum permaneat, semperque Deus odio illud prosequatur; non tamen est jam *ibi* (in abominatione Dei,) ut peccatum illius suppositi, a quo fuit commissum; quia sicut per retractationem factum fuit ei *involuntarium*, ita fuit factum *non suum*. Amisit, ut sic loquamur, *suitatem*, et attinentiam erga

tale suppositum, quam *per solam voluntarii rationem* retinebat: unde jam non habet majorem contradictionem cum gratia in eo supposito, quam in alio."

Subtilem, sed egregiam doctrinam *peccato Adami*, peccatoque originali in posteros transmisso accommodant laudati Scriptores num. 93. „*Etsi Adamus* (inquiunt) *primum illud peccatum a se commissum postea retractaverit: aliter tamen, et alter utrobique se gessit.* Nam commisit illud, *ut gerebat munus capitis;*" quo tota continebatur natura humana, ex ipso propaganda, quatenus decreverat Deus, originalem gratiam *transfundere* in posteros, nisi peccasset; eademque gratia posteros *privare*, quos ipse ac posteri ejus cum ardore libidinis procrearent. „*In retractatione vero non jam gessit munus capitis*; quippe eam *dignitatem* peccando amisit; sed poenituit ipsum dumtaxat *ut persona particularis erat*, delevitque praedictum peccatum, ut praecise erat *culpa personalis ipsius*. Quatenus vero *ad posteros* (naturamque humanam in Adamo contentam) attinebat; *irretractatum*, et *indeletum* permansit, ac permanebit donec ab unoquoque pro se, *propria voluntate*, vel *gratiae infusione*, aut *formaliter*, *aut virtualiter* retractetur. Et hoc explicuit Divus Thomas ad Romanos Capite V. Lectione III. ubi ait: *Quod quamvis peccatum Adae deletum fuerit per suam poenitentiam . . . non tamen ejus poenitentia delere potuit peccatum posterorum: quia ejus poenitentia fuit per actum personalem, qui ultra ejus personam non se extendebat.*" Locum integrum Aquinatis expende.

„Quare de praedicto peccato *in ordine ad successores Adami*, antequam retractetur ab eis, eodem modo philosophandum est, atque in ordine *ad ipsum Adamum*, antequam ab illo retractaretur: et non secus de quolibet peccato personali respectu suppositi, a quo committitur, ante retractationem. Sicut ergo *peccatum mortale*, quod quis modo committit, *quamdiu non retractatur*, manet semper *in Dei abominatione*: indeque a supposito, cujus est peccatum, expellit gratiam: et causat in eo, vel conservat ejus privationem, in qua consistit *peccatum habituale personale:* ita praedictum *Adami peccatum* (quatenus ab illo veluti capite totius generis humani admissum) mansit etiam post illius poenitentiam *in Dei abominatione*, impediens posteros omnes a receptione justitiae originalis promissae; atque adeo *causans in unoquoque*, eo ipso quod in rerum natura ponatur, *privationem talis justitiae*, constitutivam culpae originalis. Tamdiu *ibi* (in abominatione Dei) pro exercenda praedicta causalitate, ac efficienda in unoquoque, vel conservanda illa privatione, *permanebit*, quousque ab illo, quatenus ad ipsum attinet, vel per proprium actum, vel per infusionem gratiae *retractetur*."

III. Hanc putaverim ego doctrinam, scholasticis loquendi modis expoliatam, integram proferri ab Augustino loco citato contra Julianum num. 62. *Ubi ergo* (reatus) *manet*, inquiente, *nisi in occultis legibus Dei, quae conscriptae sunt quodam modo in mentibus Angelorum, ut nulla sit iniquitas impunita, nisi quam sanguis Mediatoris expiaverit?* Leges occultae Dei intellige *divina decreta*, quibus constitutum erat, ut omnes Adamo non peccante nasceremur *recti, sancti, justi:* eoque peccante, caelestium donorum *privatio* transfunderetur. *Leges* easdem

occultas intellige *divinum intellectum*, qui Adae peccatum cognoscit; *divinam voluntatem*, quae illud abominatur; *divinam justitiam*, quae illud poenae obnoxium censet. Leges istae quodam modo *in mentibus Angelorum* conscriptae dicuntur, quibus divina decreta innotescunt, quive etiam abominantur quod Deus abominatur. *Manet* vero, manebitque Adae peccatum *in hisce legibus*, donec expietur sanguine Mediatoris: cujus merito gratia sanctificans in Baptismate confertur parvulis, ac etiam adultis gratia conceditur actualis, qua valeant ipsi actu proprio peccatum retractare.

Retractandum ab adultis *peccatum originale* cum dicimus; cave id intelligas veluti dictum de *vera ac propria poenitentia*, et *contritione*. Germanum sensum exponit Sanctus Thomas III. P. Qu. LXXXIV. Art. II. ad 3. inquiens: „De *peccato originali* poenitentia nec *principaliter* est, quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis Baptismus: nec etiam *proprie*, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum; nisi *forte* inquantum voluntas Adae reputatur nostra secundum modum loquendi, quo Apostolus dicit Rom. v. *In quo omnes peccaverunt.* Inquantum tamen *large* accipitur poenitentia pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali.“ Ubi mens Aquinatis innotescit longe aliena ab ea, quae obtrudi solet, posterorum voluntatum *morali praecontinentia* in voluntate Adami. Ait enim, peccatum originale non esse *nostra voluntate* peractum, nisi *forte* inquantum voluntas Adae *reputatur nostra;* ea scilicet ratione dumtaxat, quia voluntas Adae erat voluntas primi hominis, capitis, et principii totius naturae, *ex ipso seminali via propagandae.* Rem uberius explicat in IV. Dist. XVI. Qu. I. Art. II. Qu. II. *Large autem potest dici poenitentia omnis displicentia mali praeteriti: et sic in eo, qui liberum arbitrium habet, debet esse poenitentia de peccato originali: quia ex hoc quod alicui placet aliquid, displicet ei quod ad illud impedimentum praestitit. Peccatum autem originale impedimentum gloriae fuit, ad quam quilibet desiderio tendere debet. Non tamen de eo debet esse confessio, quae non est nisi factorum: neque satisfactio, quia pro peccato originali non debetur, nisi poena damni; poenitentia autem importat poenam sensus.* Sumpta doctrina est ex Augustino, qui Libro I. de peccat. meritis, et remiss. Cap. XIX. num. 25. docet, parvulos qui ad Baptismum deferuntur, *poenitentes* dici, *cum per verba gestantium Diabolo, et huic seculo renuntiare monstrantur.*

CAPUT LXV.

Eadem est sententia Thomae Aquinatis: nam generatione traducitur peccatum originale. Quae vitio concupiscentiae, saltem habitualis, infecta est. Unde corpus inficit, quod seritur, procreaturque. Quomodo id fiat, explicatur. Haec infecti, vitiatique corporis generatio est causa, vel conditio, vel occasio, quod anima corpori infundatur sine dono gratiae. Colligitur discrimen inter justitiae originalis transfusionem, ac traducem peccati originalis.

I. Gemina sunt Thomae Aquinatis documenta, ampliori sermone frequentius in Operibus suis ab ipso pertractata. Si quid Philosophiae tunc vigentis immixtum est, neque majestatem theologicam

deprimit, neque rationum gravitatem imminuit. Ac primo *originale peccatum generatione traducitur.* Aquinatis verba sunt 1. 2. Qu. LXXXI. Art. I. *Per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio: ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem.* Originalis culpa est culpa primi parentis Adami in posteris propagata. Non est ipsa flagitiosa actio, quam prava Adae voluntas exeruit, diciturque *peccatum actuale*; sed est gratiae, et caritatis *privatio*, per ipsam flagitiosam actionem illata: eratque in Adamo *peccatum habituale*, diciturque in nobis *originale*. Instar sordis, et immunditiae concipi debet, quae hominem Adamum foedavit, denominavitque *habitu* peccatorem: et quam posteri contrahunt, non aliquo actu proprio quo parentem peccatorem imitentur. Igitur traducitur *generatione*, qua natura humana a Deo in Adamo condita propagatur. Adamo non peccante, propagaretur natura: eique simul *gratiae donum* conferret Deus pro libero suae sapientiae consilio. Sed homine primo in peccatum lapso, donum caeleste subtractum est; ejusque posteri simul cum natura, quam generatio traducit, naturae accipiunt infectionem, atque sordes, idest *gratiae privationem.*

Aptissimo rem Aquinas declarat exemplo loco citato Articulo III. *Sic ex peccato primi parentis*, inquiens, *traducitur culpa originalis in posteros; sicut a voluntate animae per motionem membrorum traducitur peccatum actuale ad membra corporis.* Actualis culpae salvo discrimine a culpa habituali, caetera patefacit omnia similitudo a Thoma adhibita. *Manifestum est autem, quod peccatum actuale traduci potest ad omnia membra, quae nata sunt moveri a voluntate*: (diciturque sine dubio peccatum v. g. motus manus, quo sclopus in hominem exploditur). *Unde et culpa originalis traducitur ad omnes illos, qui moventur ab Adam motione generationis.* Originalis quippe culpa consistit in *immunditia naturae humanae.* Est *vitium habituale*, quo naturae partes omnes deordinatae sunt. Menti *privatio* gratiae, et caritatis inest: et hanc consecuta est *privatio* concordiae rationem inter, et appetitum sentientem. Atqui non alia est motio, quae *ad naturam pertineat*, nisi quae naturam propagat, scilicet generatio: unde generatione traducitur originale peccatum.

II. *Haec vero generatio, qua peccatum originale traducitur, vitio laborat concupiscentiae, actualis quidem, sed maxime ac necessario habitualis.* Eam videlicet incitant, et comitantur stimuli aut rationem praevenientes, aut rationi repugnantes: eaque motu membrorum peragitur, non amplius plene subjecto mentis imperio. Carnalis in *statu quoque innocentiae* generatio fuisset: at innocens homo pro nutu voluntatis genitalia movisset membra, sicuti digitos manus movemus ipsi, cum solum exposceret procreandae prolis bonus finis, et quantum eidem expediret. Quo peracto opere, integrum erat, pro nutu arbitrii membrorum motus comprimere: neque sensibilium percepisset ullam, nisi volens, innocens homo convenientem fini delectationem. Res aliter se habet in *statu naturae lapsae:* ubi quos etiam non vult, experitur homo motus carnis: haud valet eos pro nutu comprimere,

sed pati cogitur: nec ipse pro rationis imperio movet membra, quae ardore libidinis, sive haec sequatur, sive praeveniat voluntatem, in seipso (cujus rei pudet ipsum) moveri sentit.

Haec in hominibus, etiam baptizatis, et justis, manet generationis concupiscentia, qua traduci peccatum originale docet Sanctus Thomas 1. 2. Qu. LXXXI. Art. III. ad 2. *Remanet peccatum originale actu* (in baptizatis,) *quantum ad fomitem: qui est inordinatio partium inferiorum animae, et ipsius corporis.* Baptizati non generant, *secundum mentem gratia Dei sanctificatam,* sed *secundum corpus* rebelli concupiscentia deordinatum: *et ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant, inquantum sunt renovati per baptismum; sed inquantum retinent aliquid de vetustate primi parentis.*

Plura in Operibus Thomae egregia documenta sunt, quae rem pro humanâ industria luculentissime illustrant. Adnotandum proponit Qu. IV. de Malo Art. VI. ad 16. *Libidinem nominare inordinatam concupiscentiam actualem.* Haec duplex est. Consistit prima in *necessitate sentiendi* passionum affectiones in appetitu, motusque in corpore: quin ratio, aut voluntas pro nutu valeat hujusmodi motus, affectusque necessarios aut impedire, ne insurgant, aut eos pro libito comprimere, et extinguere, cum insurrexerint. Alia est *libera concupiscentia,* quae in libero consistit *voluntatis consensu,* necessariis concupiscentiae motibus praestito. De utraque late jam calamo pertractavimus. Adnotat etiam, docetque Aquinas: distingui aliam oportere *concupiscentiam,* seu libidinem *habitualem,* quae provenit ex hoc, *quod ratio non habet virtutem, totaliter inferiores vires refrenandi.* Consistit nimirum in *habituali privatione* illius plenarii dominii, quod rationi in sentientem appetitum, et corpus conveniebat; et in *habituali privatione* subjectionis illius, qua corpus, et sentiens appetitus plene rationi subdebantur. Saepius dicta paucis memoro.

Hinc Thomas infert: 1. *causam, quod aliquis transmittat originale peccatum in prolem, esse id quod remanet in eo de peccato originali, etiam post baptismum, scilicet concupiscentiam, vel fomitem.* 2. *Libidinem actualem* (idest inordinatos corporis motus, ac indeliberatam appetitus delectationem) *non esse causam,* (necessario scilicet requisitam,) *quod transmittatur originale peccatum: sed signum causae,* cum satis sit libido habitualis. 3. *Si miraculose fieret, ut actualis libido totaliter removeretur, coitu manente; nihilominus prolem trahere peccatum originale* ob ipsam generantium *habitualem* concupiscentiam. 4. *Augustinum, cum dixit, quod libido transmittit peccatum, posuisse signum pro signato.* At ejus admonitio demum est ad 18. *Quod* (citra speciale gratiae privilegium) *in actu generationis, etiam in justis, est actualis libido: dum concupiscibilis immoderate in delectabile carnis tendit; et voluntas etsi contra rationem nihil faciat, aut velit, tamen ordinem rationis actualis non attendit propter vehementiam passionis.*

Mentem hanc suam patefacit Sanctus Doctor insigni loco, qui habetur in II. Sent. Dist. XXXI. Qu. I. Art. I. ad 3. Integrum profero. „*Libido* tribus modis dicitur. Uno modo, secundum quod consistit *in actu voluntatis,* illicite et inordinate aliquid desiderantis: et hoc modo libido est *actuale peccatum.* Alio modo dicitur libido,

quae consistit magis *in delectatione sensualitatis*, et praecipue in actu generativae; et sic est *quiddam ex peccato derelictum*, non quia sine peccato non esset delectatio, sed quia inordinatio non esset; quod nomen *libidinis* importat. Tertio modo potest sumi libido, quasi *habitualiter*, pro illa inordinatione virium animae, ex qua est in nobis pronitas ad inordinate concupiscendum." Tres habes concupiscentiae modos. Jam vero docere pergit Aquinas: *A prima libidine mens cujuslibet justi generantis liberatur; cum contingat actum matrimonialem sine omni culpa, et mortali, et veniali, exerceri: unde constat, quod non intelligitur illa libido transmittere originale peccatum in prolem.*

Neque vis ista libidini actuali, seu *inordinatae delectationi sensuali* inest, veluti necessario, et omnino requisitae: *etsi enim per miraculum a tali inordinatione delectationis coitus aliquorum purgaretur, nihilominus eorum nati peccatum originale contraherent.* Itaque „libido *tertio modo dicta* intelligitur esse peccati originalis causa. Omne enim generans generat sibi simile in natura: unde cum haec sit conditio naturae humanae, justitia originali destitutae, ut talis inordinatio virium animae in ea existat; constat, quod talis etiam conditio in prole remanebit. Et si *fervor coitus* (seu actualis libido) invenitur, non *propter se* dicitur (causa necessario requisita ad originale peccatum traducendum;) sed inquantum est *signum ejus* quod est causa, (scilicet libidinis habitualis;) quia ex inordinatione virium inordinata delectatio in coitu procedit, quasi signum, et effectus causam suam indicans." Casus aliquos expendit Sanctus Thomas, quos liceat praetermittere, in III. Dist. III. Qu. I. Art. II. et III. P. Q. XXVII. Art. III.

III. *Generatione libidinis vitio infecta seritur, procreaturque corpus infectum, vitiatumque.* Rem disserit clarissime Thomas in II. Dist. XXX. Qu. I. Art. II. ad 3. *Peccatum originale non traducitur per traductionem sui subjecti, quod est anima rationalis; sed per traductionem seminis.* Priorem partem late exposuimus Capite LXII. Partem alteram notam faciunt jam tradita documenta. Aptissima hoc loco affertur ab Aquinate ratio: *Quia ex quo anima patris per peccatum infecta fuit, sequitur etiam inordinatio in corpore: subtracto illo ordine, quem natura prius instituta acceperat. Et ita ex semine illo generatur corpus, tali ordine destitutum.*

Fuere Theologorum veterum non pauci, qui *concupiscentiam ex parte corporis* intelligerent *morbidam quamdam* in semine prolifico, et in corpore *qualitatem*: cujus ex contagione maculetur anima, labemque originalem contrahat. Veluti adsentientem allegant Sanctum Augustinum, cujus haec verba sunt Libro III. de peccatorum meritis, et remiss. Capite IX. *Fideles infidelitatem in posteros trajiciunt: quod non est jam illorum per spiritum regeneratorum; sed quo in carne geniti sunt, mortalis seminis vitium.* Libro II. de nuptiis, et concupiscentia Capite VIII. num. 20. *Neque nunc agitur de natura seminis, sed de vitio: illa quippe habet auctorem Deum, ex isto autem trahitur originale peccatum.* Libro VI. contra Julianum Capite VIII. num. 19. *Non enim dici potest .... hoc vitium, quod non est corpus, sed accidens, cum indulgentia sit remissum, in semine non potuisse residere. Hoc,*

inquam, a quovis callidissimo dici non potest: cum auctoritate divina superetur, qua ipsa pars corporis ob hoc jussa est amputari, ut hoc vitium purgaretur. Quod nisi esset in semine, ad parvulos, quibus circumcisione illa corporis auferendum est, nullatenus pertineret.

Paria sunt non pauca Augustini testimonia. At in his legitur nihil, quod *seminis*, corporisque *concupiscentiam*, aut libidinem, aut infectionem indicet *positivae* instar *cujusdam rei*, aut *morbidae advenientis qualitatis.* Nihil aliud intelligi debet *seminis vitium*, quam ipsius decisio, et ejaculatio citra modum a ratione impositum, cum motibus corporis, aut appetitus rationem praevenientibus, et rationis imperio minime perfecte subjectis. Nihil aliud est *corporis* libidinosa hujusmodi generatione sati *infectio*, quam passiva receptio motuum, qui excitantur in corpore, citra voluntatis nutum, et arbitrium. Hinc seminis, et corporis concupiscentia consistit tota in ea plenae subjectionis *privatione*, qua corpus et sentiens appetitus in homine sano et innocente, quod attinet ad hujusmodi motus, rationis imperio subjiciebantur: quemadmodum etiam ipsi rationi sua inest concupiscentia, idest *privatio pleni vigoris*, qua ipsa dominabatur in corpus, et sentientem appetitum. Vide Caput XLV. et XLVI. Intellige primo *concupiscentiam habitualem*, quam definit Sanctus Thomas Qu. IV. de Malo Art. II. ad 4. *pronitatem, vel habilitatem ad concupiscendum: quae est ex hoc, quod vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi, sublato freno originalis justitiae.* Hinc vero exoriuntur commotiones in corpore, ac passionum affectus in appetitu sentiente, citra vel contra rationem: quae duo *actualem* efficiunt *concupiscentiam.* Integrum Thomae locum descripsimus, et illustravimus.

IV. *Libidinosa corporis infecti generatio, seu corporis ipsius infectio dicitur ab aliquibus causa instrumentalis, quae culpam traducit originalem: ab aliis vocatur occasio, qua data, animam corpori uniendam creat Deus sine gratia sanctificante, ac sine plena in corpus, et sentientem appetitum potestate.* Id nos docent disertissima Sancti Thomae verba in II. Dist. XXX. Qu. I. Art. II. ad 3. *Unde et anima,* inquiens, *quae tali corpori infunditur, deordinationem culpae contrahit ex hoc ipso, quod hujusmodi corporis* (scilicet vitiati) *forma efficitur: cum oporteat perfectionem perfectibili proportionatam esse.* Animam videlicet creat Deus, qualem quodammodo exposcit vitiosa propagatio, vitiatumque corpus: idest sine perfecta potestate, plenoque dominio in corpus, et sentientem appetitum; adeoque *sine gratia sanctificante*, aut rectitudine mentis, ex qua *in homine innocente* pendebat corporis, et sentientis appetitus plena subjectio. Decreverat supremum Numen animam ex nihilo condere, simulque eidem corpori infundendae largiri gratiam, si corpus idem ab homine, qualem Deus fecerat sanum, et rectum, *sine ardore concupiscentiae* propagaretur.

Putaverit nemo, hanc vitiatae generationis vim, aut efficientiam ita exponi debere, acsi generatio libidinosa, aut seminis infecti actio, aut ipsa infectio corporis, in ipsam agat spiritualis animae substantiam. Dogma theologicum certissimum est ab Aquinate propositum in II. Dist. XXX. Qu. I. Art. II. ad 5. *Animam non inficit per infectionem corporis, quasi corpore agente in animam.* Rem declarat

ille his verbis: *Ex hoc ipso, quod corpus illa virtute privatur, qua perfecte erat subjicibile animae, sequitur etiam quod anima illa virtute careat, qua perfecte corpus subditum regat.* Hinc vitiosa corporis generatio, sive generati corporis infectio haud inepte *occasio*, vel *conditio* quaedam dicitur: qua posita, anima quae corpori infundenda a Deo conditur, tum justitiae, sive gratiae, et caritatis, tum pleni vigoris in corpus, et appetitum sentientem dono privata manet juxta constitutas divinae providentiae leges.

Hanc, ab aliis dictam *occasionem*, vocat Doctor Aquinas *causam instrumentalem*. Nihil obstat, quominus actio seminis appelletur *instrumentalis*, quae *proprio quodam sensu* corporis infectionem efficiat: seu corpus producat (quocumque id accidat modo juxta Philosophorum placita) suae naturae relictum, privatumque eo concordiae vinculo, quod ipsum animae in statu innocentiae conjungebat. Quod si eadem aut seminis actio, aut infectio corporis comparetur ad justitiae originalis defectum animae inhaerentem, potius *occasio*, quam actio instrumentalis, appellanda videtur. Qua de re adhuc infra ampliore sermone agendum est.

V. Inter hunc *justitiae defectum*, in quo peccatum originale consistit, ab Adami peccatoris posteris contractum, ac inter *justitiam*, quae proli innocenti divinitus collata fuisset; discrimen est *in modo transfusionis*, quod Aquinas declarat Qu. IV. de Malo Art. I. ad 2. *Originalis justitia fuit superaddita primo homini ex liberalitate divina. Sed quod huic animae* (corpori per vitiosam generationem sato infundendae) *non detur a Deo, non est ex parte Dei; sed ex parte humanae naturae, in qua invenitur contrarium prohibens:* hoc est, vitium concupiscentiae. Legem pro suae libertatis consilio sapientissimo sibi quodammodo impositam servasset Deus *in statu innocentiae*, animam creando, eique dum corpori sine libidine generato conjungitur, *gratiam elargiendo*. Hinc generatio pura, qualis in eodem innocentiae statu foret, esset quidem *conditio* quaedam, qua posita corpori infunderetur anima donis gratiae exornata: at hanc pro sua libertate apposuisset Deus conditionem; eademque nihil per sese haberet, quod gratiae collationem exigeret.

Non ipse Deus, sed homo *conditionem* apposuit, quam sequitur animae creatio, et conjunctio cum corpore *sine gratia*. Homo namque suo peccato amisit justitiam originalem, et amisit concordiam quae inerat animam inter et corpus, rationem inter ac sentientem appetitum: ac homo fuit, qui *generationem vitiavit*. Vitiata generatione sequitur corpus infectum: et infectio corporis infectionem quodammodo exigere videtur animae illatam. Hinc Sanctus Thomas I. P. Qu. C. Art. I. ad 2. sapientissime docet: justitiam originalem in statu innocentiae, si perdurasset, aliquo modo *transfusam dici potuisse*: sed praeterea per virtutem seminis, aut generationis vitiatae peccatum originale dici *transfusum debere.* Verba ejus accipe: *Dicendum, quod si pueri nati fuissent in originali justitia, etiam nati fuissent cum gratia: sicut et de primo homine supra diximus, quod fuit cum gratia conditus. Non tamen fuisset propter hoc gratia naturalis, quia non fuisset transfusa per virtutem seminis; sed fuisset collata homini,*

statim cum habuisset animam rationalem; sicut etiam statim cum corpus est dispositum, infunditur a Deo anima rationalis, quae tamen non est ex traduce. At traducem peccati originalis probat ratio opposita, quae sumitur ex infectione seminis.

CAPUT LXVI.

Praefata gratiae, et caritatis privatio, cum qua nascuntur infantes, voluntaria dicitur a voluntate Adami, capitis, ac principii totius naturae humanae: adeoque peccatum est. Non extrinsecus dumtaxat, sed aliquo modo intrinsece eadem privatio denominatur voluntaria. Sancti Thomae doctrinae brevis repetitio. Quo sensu dicatur culpa, minima inter peccata. Deo, veluti auctori, tribui nullo modo potest.

I. Alia sequuntur praeclara, et amplissima Sancti Thomae documenta. *Justitiae, seu gratiae, et caritatis privatio, cum qua nascuntur Adae posteri, voluntaria dicitur non a personali posterorum voluntate, sed a voluntate Adami, qui volens peccavit, infecitque naturam humanam.* Plurima exstant disertissima in operibus Thomae testimonia. Praecipua proferenda sunt. In secundo Sententiarum Libro Dist. XXX. Qu. I. Art. II. animadvertendum proponit: *Haec tria Defectum, Malum, et Culpam, ex superadditione se habere. Defectus enim simplicem negationem alicujus boni importat: sed malum nomen privationis est: culpa autem super hoc addit rationem voluntarii.* Animadvertit deinde: aliam esse *culpam naturae*, et aliam *personae*. Ad culpam personae requiri *voluntatem personae, sicut patet in culpa actuali, quae per actum personae committitur:* ad culpam naturae *non requiri, nisi voluntatem in natura illa.* Hinc docet: *defectum originalis justitiae, quae homini in sua creatione collata est, ex voluntate hominis accidisse.* Sua namque libertate cum primus homo abuteretur, eam peccando legem violavit: qua observata, posteris qui nascerentur, gratiam, et caritatem, et justitiam originalem pro suo voluntatis consilio contulisset Deus. Unde conclusio demum est: eumdem defectum *in quolibet homine habere rationem culpae ex hoc, quod per voluntatem principii naturae, idest primi hominis, inductus est talis defectus.*

Latiore discussione rem pertractat loco citato Dist. XXXI. Art. I. *Hoc Deus*, inquiens, *humanae naturae in sui principio supra conditionem suorum principiorum contulerat, ut esset in ratione rectitudo quaedam originalis justitiae, quam sine aliqua resistentia inferioribus viribus imprimere posset.* Partes omnes justitiae originalis paucis verbis indicat Thomas: mentis, et voluntatis *rectitudinem*, quam gratia, sive caritas efficiebat: mentis etiam *perfectum dominium* in appetitum sentientem, et hujusce plenam subjectionem: corporis denique *immortalitatem. Quoniam vero hoc gratis collatum fuerat, ideo juste per ingratitudinem inobedientiae subtractum est.* Ordo rectissimus divinae justitiae patet. *Unde factum est ut primo homine peccante, natura humana quae in ipso erat, sibi ipsi relinqueretur, et consisteret secundum ordinem suorum principiorum.* Natura humana sibi relicta non habet, neque exposcit sublime *donum gratiae* et caritatis, neque *perfectum dominium* mentis in corpus, ac sentientem appetitum, ejusque motus.

Consule Cap. XLVII. et insequentia. Hinc *per modum istum ex actu personae peccantis, in ipsam naturam defectus transivit.* Prava scilicet primi hominis voluntate, et actione factum est ut mens hominis *gratia, et rectitudine* privaretur, ac relinqueretur sine pleno, perfectoque *dominio* in corpus, et sentientem appetitum ratio, et voluntas: et sentiens appetitus, et corpus sine *perfecta subjectione.* Qui defectus omnes naturam humanam sine dubio afficiunt, cum ad ejus partes pertineant: rectitudinem scilicet, harmoniam, concordiam, quae inerant, solventes, ac dissipantes.

Quomodo vero praedicti in posteros transfundantur defectus, disce a Praeceptore Thoma: *Et quia*, inquiente, *natura deficiens ab eo, quod gratis impensum erat, non potest causare hoc, quod supra naturam collatum erat, cum nihil agat ultra suam sphaeram: ideo sequitur, quod ille qui generatur ab habente naturam hoc modo deficientem, naturam in simili defectu suscipiat.* Nihil sane mirum. Posito primi hominis peccato, dataque occasione *libidinosae generationis* ex illo peccato procedentis; anima corpori infunditur, qualem ipsa exposcere videtur natura sibi relicta, sine mentis *rectitudine*, quam gratia aut caritas efficit, ac sine *perfecto ejusdem mentis dominio* in corpus et sentientem appetitum, quod ex priore rectitudine juxta providentiae divinae consilium pendebat.

„*Sed ratio culpae inde venit*, (verba sunt Sancti Doctoris,) *quia* illud, quod collatum fuit gratis Adae, scilicet justitia originalis, non fuit sibi collatum *personaliter;* sed inquantum talem naturam habebat, ut omnes scilicet, in quibus talis ab eo accepta natura inveniretur, tali dono potirentur. Et ideo *cum propagatione carnis*, etiam illa *originalis justitia* propagata fuisset. In potestate ergo naturae erat, ut talis justitia semper in ea conservaretur. Sed per *voluntatem personae*, existentis in natura, factum est ut hoc perderetur: et ideo *hic defectus*, comparatus ad naturam, *rationem habet culpae* in omnibus, in quibus invenitur eadem natura, accepta *a persona peccante.*“ Poterat Adam non peccare: eoque non peccante, neque vitiata per peccatum generatione, beneficium quod gratis Adamo collatum fuerat, gratis etiam posteris ejus Deus contulisset, animam rationalem corpori conjungendam creando, simulque pro imposita sibi lege exornando gratia sanctificante caeterisque donis. At sublime donum, quod mens creata comparasset numquam, nisi gratis datum desuper esset, perdere potuit sibi datum, amisitque voluntas Adae. Haec rectitudinis amissio, aut privatio dicitur *peccatum habituale:* et est veluti effectus, prava voluntatis actione, seu *peccato actuali* illatus. Non Adami *actio mala*, sed rectitudinis, aut *gratiae privatio* propagatur in posteros, qui per *libidinosam generationem* ex Adamo descendunt: eademque privatio, quatenus afficit naturam, *voluntaria* est ex *voluntate Adami*, qui totius naturae principium erat. Hinc *peccatum* est, utpote defectus, aut malum voluntarium: diciturque *peccatum habituale,* cum sit instar *termini*, vel *effectus* pravae actionis: ac denique *peccatum originale*, eo quia a prima naturae humanae origine, scilicet a primo homine, descendit.

Eamdemque doctrinam novis commentariis passim illustrat mens ferocissima Sancti Thomae. Documenta profero, quae habentur

Qu. IV. de **Malo Art. I.** Distinctionem necessariam praemittit, aptissimamque paritatem. „Considerandum est, (inquit) quod *aliquis homo singularis* potest *dupliciter* considerari: uno modo, secundum quod est quaedam *persona singularis:* alio modo, secundum quod est *pars alicujus collegii.* Utroque modo potest ad eum aliquis actus pertinere. Pertinet enim ad eum, inquantum est *singularis* persona, *ille actus* quem *proprio arbitrio, et per seipsum* facit. Sed inquantum est *pars collegii*, potest ad eum pertinere *actus aliquis* quem *per seipsum non facit, nec proprio arbitrio*, sed qui fit a toto collegio, vel a pluribus e collegio, vel a Principe collegii; sicut illud, quod Princeps facit, dicitur civitas facere. Hujusmodi enim collegium hominum reputatur quasi unus homo: ita quod diversi homines in diversis officiis constituti, sunt quasi diversa membra unius corporis naturalis .... Sic ergo *tota multitudo hominum*, a primo parente naturam humanam accipientium, quasi *unum collegium*, vel potius sicut *unum corpus unius hominis*, consideranda est. In qua quidem multitudine *unusquisque homo*, etiam ipse Adam, potest considerari vel *quasi singularis persona*, vel quasi *aliquod membrum hujus multitudinis*, quae per *naturalem originem* derivatur ab uno.“ In exemplo, quod affert Thomas, pervium ac per sese notum praetermitti non debet discrimen. Unitas *civium, et Principis* oritur *ex ipsorum consensu*, inductisque pactis jure gentium, tacitis, vel expressis. Haec *unitas moralis* appellari consuevit. Non hanc Adami, et posterorum ejus unitatem praeferunt Sancti Thomae verba. Eam significant unitatem, quae solum repetitur ex omnium posterorum *naturali origine ab uno*, scilicet Adam a Deo condito, a quo caeterorum hominum incepit propagatio. Sponte fluit discrimen aliud. Uni Principis voluntati singulae censentur alligatae civium voluntates: ac in Principis actionem consentire singuli cives existimantur. Verum posteris Adami *pravam ejus actionem*, qua legem ipse violavit, non attribuit, nec imputat Sanctus Doctor, *defectumque* per eam actionem *illatum* dumtaxat, utpote quo ipsa natura humana afficitur, in posteros traduci enarrat.

Quo id contingere potuerit modo, pro dignitate exponit. „Est autem considerandum, quod *primo homini* in sua institutione datum fuerat divinitus *quoddam supernaturale donum*, scilicet justitia originalis, per quam ratio subdebatur Deo, et inferiores vires rationi, et corpus animae. Hoc autem donum non fuerat datum primo homini, ut *singulari personae tantum*; sed ut *cuidam principio totius humanae naturae*; ut scilicet ab eo *per originem* derivaretur in posteros. Hoc autem donum acceptum, primus homo per liberum arbitrium peccans, amisit *eo tenore*, quo sibi datum fuerat: scilicet *pro se*, et *pro tota sua posteritate.* Defectus ergo hujus doni totam ejus posteritatem consequitur.“ Exemplum adhibuit Aquinas, quo patet, alicujus hominis *actiones* posse aliis imputari. Sed, agens de *traduce peccati originalis*, praetermissa flagitiosa primi hominis actione, *rectitudinis privationem*, inde illatam, traduci in posteros ostendit. Cur ita? Quia sublime donum gratiae Adamo *pro ipso*; ejusque *posteritate* collatum, peccato grandi quod patravit, sibi et posteritati amisit Adam. Cur ita? Quia idem supernaturale donum Adamo contulerat Deus, non ut *singulari personae*; sed ut *principio totius naturae humanae*,

seu ut homini primo, ex quo propaganda ipsa fuerat natura humana. Quo dono amisso; nil mirum, si defectus ejus traducatur.

Hanc *defectus* traductionem Thomae verba declarant, quae sequuntur. *Et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur natura humana.* At anima rationalis, quae per generationem non traducitur, quomodo praedictum contrahat defectum? Data scilicet occasione carnis per vitiatam generationem propagatae, infundendam corpori animam condit Deus, naturae suae relictam, sine dono gratiae. „Quae quidem (natura humana) traducitur *non secundum se totam*, sed secundum aliquam sui partem, scilicet *secundum carnem*, cui Deus animam infundit. Et sic sicut *anima* divinitus infusa pertinet *ad naturam humanam*, ab Adam *derivatam propter carnem*, cui conjungitur; ita et *defectus* praedictus pertinet ad animam *propter carnem*, quae ab Adam propagatur .... *secundum seminalem rationem.*"

Fuerit in posteris Adae, qui nascuntur, *praefatus defectus*, sive *carentia gratiae:* at quomodo *peccatum* dici queat, quod nullum est *sine voluntate?* Solvit Sanctus Thomas difficultatem. „Si ergo consideretur *iste defectus*, hoc modo per originem in istum hominem derivatus, secundum quod *iste homo* est quaedam persona singularis; sic hujusmodi defectus *non potest habere rationem culpae:* ad cujus rationem requiritur quod sit voluntaria. Sed si consideretur iste homo generatus, sicut quoddam *membrum totius humanae naturae* a primo parente propagatae, acsi omnes homines essent unus homo; sic *habet rationem culpae propter voluntarium ejus principium*, quod est actuale peccatum primi hominis." Itaque quemadmodum defectus gratiae, quam Adamus peccando a se rejecit, erat in ipso *peccatum habituale*; ita idem gratiae defectus, quatenus naturam afficit dicitur in posteris naturam accipientibus *peccatum originale.* Tum vero in Adamo, tum in posteris ejus, *voluntarius* est praefatus defectus *ob unam Adae voluntatem:* quia Adamus, non ut quaedam *persona singularis* dumtaxat, sed etiam ut *primus homo*, ex quo natura humana per generationem propaganda fuerat, lubens ac volens peccavit: gratiamque Dei sibi, et naturae humanae ex ipso propagandae amisit.

II. Consectarium est, quod sponte fluit non extrinsecus dumtaxat, *sed aliquo modo intrinsece dici voluntarium debere praedictum gratiae defectum in Adae posteris propagatum.* Obvia scilicet depellitur difficultas: quo modo eidem gratiae defectui in posteris propagato *vere, ac proprie* peccati ratio insit; cum nonnisi voluntarius extrinsece dici posse videatur, propter *extrinsecam Adae voluntatem?* Non ita se res habet, Angelico Thoma auctore, qui loco cit. sic ait ad 4. Defectus justitiae *si referatur ad personam, non habet rationem voluntarii; sed si referatur ad naturam, sic habet rationem voluntarii. Et hoc modo debetur ei increpatio, et poena*, estque peccatum veri nominis. Neque reponas, hanc voluntarii rationem extrinsecam esse, utpote provenientem a voluntate Adami, quae ad posteros omnes extrinsecus se habet. Clariorem accipe solutionem Thomae ibidem ad 5. *Defectus per originem contractus*, inquiens, *habet quidem rationem existentis ab alio*, (extrinsecus se habente,) *si referatur ad personam* (singularem Adami); *non autem si referatur ad naturam*, (ipsumque etiam ad

Adamum, uti principium naturae): *sic enim est quasi a principio intrinseco.* Mentem eamdem suam patefacit sanctus Doctor 1. 2. Qu. LXXXI. Art. I. ad 5. *Illud, quod est per originem, non est increpabile, si consideretur iste qui nascitur, secundum se; sed si consideretur prout refertur ad aliquod principium, sic potest esse increpabile. Sicut aliquis qui nascitur, patitur ignominiam generis, ex culpa alicujus progenitorum causatam.*

Integram, quae in eodem Articulo traditur, profero doctrinam. Jam posita documenta confirmat Aquinas, ineptasque alias refellit opiniones. „Dicendum, quod *secundum fidem catholicam* est tenendum, *quod primum peccatum primi hominis originaliter transit in posteros.* Propter quod etiam pueri mox nati deferuntur ad Baptismum, tamquam ab aliqua infectione culpae abluendi. Contrarium est autem *haeresis Pelagianae*, ut patet per *Augustinum* in pluribus suis Libris. Ad intelligendum autem, *qualiter peccatum primi parentis originaliter possit transire in posteros*, diversi diversis viis processerunt.

„Quidam enim considerantes, quod peccati subjectum est anima rationalis, posuerunt, *quod cum semine rationalis anima traducatur:* ut sic ex infecta anima infectae animae derivari videantur. Alii vero, hoc repudiantes *tamquam erroneum*, conati sunt ostendere, quomodo culpa animae parentis traducatur in prolem, etiamsi anima non traducatur, *per hoc quod corporis defectus traducuntur a parente in prolem:* sicut leprosus generat leprosum, et podagricus podagricum, propter aliquam corruptionem seminis, licet talis corruptio non dicatur lepra, vel podagra. Cum autem corpus sit proportionatum animae, et defectus animae redundent in corpus, et e converso: simili modo dicitur, *quod culpabilis defectus animae per traductionem seminis in prolem derivetur*, quamvis semen actualiter non sit culpae obnoxium.

„Sed omnes hujusmodi viae *insufficientes* sunt. Quia dato, quod aliqui defectus corporales a parente transeant in prolem per originem; et etiam aliqui defectus animae ex consequenti propter corporis indispositionem, (ex qua illi animae defectus exoriuntur,) sicut interdum ex fatuis fatui generantur: tamen hoc ipsum, quod est *ex origine aliquem defectum habere*, videtur *excludere rationem culpae;* de cujus ratione est, *quod sit voluntaria.* Unde etiam posito quod anima rationalis traduceretur; ex hoc ipso quod infectio animae prolis non esset in ejus voluntate, amitteret rationem culpae obligantis ad poenam: quia, ut Philosophus dicit in 3. Ethicor. *nullus improberabit caeco nato, sed magis miserebitur.*

„Et ideo alia via procedendum est, dicendo: quod *omnes homines,* qui nascuntur ex Adam, possunt considerari *ut unus homo,* inquantum *conveniunt in natura, quam a primo parente accipiunt;* secundum quod in civilibus omnes homines, qui sunt unius communitatis, reputantur quasi unum corpus; et tota communitas, sicut unus homo ... Sic igitur multi homines, ex Adam derivati, sunt tamquam multa membra unius corporis." Diligenter animadverte: non ea ratione dici, *quod omnes homines, qui nascuntur ex Adam, possunt considerari ut unus homo,* quia singulorum voluntates, inito pacto quodam, uni alligatae fuerint Adami voluntati; sed utique *inquantum* omnes *con-*

veniunt in natura, quam a primo parente accipiunt. Nihil simile in civili hominum communitate occurrit: quod attamen adhibetur exemplum, ut illud pateat, quomodo *plures* possint considerari *ut unus.*

Quomodo *ex una voluntate Adami* ad inordinationes, quae singulis insunt posteris ejus, pervenire *ratio voluntarii* queat, summa est hujus loci difficultas. Thomae solutionem accipe. „Sic igitur multi homines ex Adam derivati, sunt tamquam multa membra unius corporis. *Actus autem unius membri corporalis,* puta manus, *non est voluntarius voluntate ipsius membri;* sed *voluntate animae,* quae primo movet membrum. Unde homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa a corpore; sed imputatur ei, inquantum est aliquid hominis, quod movetur a primo principio motivo hominis. Sic igitur *inordinatio,* quae est *in isto homine* ex Adam generato, *non est voluntaria voluntate ipsius:* sed *voluntate primi parentis,* qui movet *motione generationis* omnes, qui ex ejus origine derivantur; sicut voluntas animae movet omnia membra ad actum. Unde peccatum, quod sic a primo parente derivatur in posteros, dicitur *originale:* sicut peccatum, quod ab anima derivatur in membra corporis, dicitur *actuale.* Et sicut peccatum actuale, quod per membrum aliquod committitur, non est peccatum illius membri, nisi inquantum illud membrum est aliquid ipsius hominis; propter quod vocatur *peccatum humanum:* ita peccatum originale non est peccatum hujus personae, nisi inquantum haec persona recipit naturam a primo parente; unde et vocatur *peccatum naturae,* secundum illud Ephes. 2. *Eramus natura filii irae.*" Hinc frequentius cum Sancto Thoma admonuimus, *peccatum originale* non esse *actionem quamdam,* quae maxime spectat *ad personam;* sed esse *privationem rectitudinis,* et sanctitatis, per flagitiosam Adami actionem illatam, quae maxime afficit *naturam.* Donum quippe justitiae originalis, rectitudinis, et sanctitatis *non fuerat datum primo homini, ut singulari personae tantum,* (ejusdem Thomae verba sunt Qu. IV. de Malo Art. I.) *sed ut cuidam principio totius naturae humanae, ut scilicet ab eo per originem derivaretur in posteros.* Quid vero? *Hoc donum acceptum a Deo primus homo, per liberum arbitrium peccans, amisit eo tenore quo sibi datum fuerat: scilicet pro se, et pro tota sua posteritate,* naturam ab ipso via generationis accipiente.

Apud *Bartholomaeum Medinam* in Articuli citati commentario objectio legitur, qua nimium infirmari exemplum ab Aquinate allatum videtur. „In manu quippe, (inquiunt nonnulli) non est *formaliter peccatum,* sed sola *denominatio extrinseca:* sicut actus exterior non est formaliter peccatum, sed solummodo denominatione extrinseca, ex eo quod prodit a mala voluntate. Ergo si *primum peccatum* derivatur in posteros, tamquam in membra primi parentis; sequitur quod in posteris non sit istud *peccatum formaliter,* sed sola *denominatione extrinseca.*" Laudati Auctoris accipe solutionem: „Exemplum de membris satis accommodatum est. Significat enim Sanctus Thomas, quod quemadmodum *motio manus* si referatur ad manum, non habet rationem voluntarii, nec culpae; sed si referatur ad voluntatem moventis, habet rationem culpae, (quia sic etiam habet rationem volun-

tarii:) sic ex voluntate primi parentis, ex quo tota posteritas derivatur, *peccatum illud* in posteris, veluti in membris Adae, *voluntarium* est.“

III. Paucis verbis collecta, haec sunt jam tradita Aquinatis documenta. 1. Posteri Adae, ut *Adami veluti capitis* considerari *membra* possint, ex ipso per *generationem propagari*, et ab eo naturam humanam accipere debent. 2. Eadem natura humana ut accipiatur sublimi dono rectitudinis primitus dato *privata*, opus est ut naturae traductio peragatur generatione *per concupiscentiam vitiata*. 3. Voluntate primi parentis, qui donum divinitus datum pro se suaque posteritate amisit, factum est ut quos ipse, ac posteri ejus procrearent, cum *ardore concupiscentiae*, aut *actualis*, aut *saltem habitualis*, filios gignerent. 4. Hinc vero *privatio rectitudinis*, cum qua, *data libidinosae generationis occasione*, anima corpori conjungitur, voluntaria dicitur a voluntate ipsius Adami: qui propterea *motione generationis* dicitur movere omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas personae movet omnia ejusdem personae membra ad actum. 5. Haec *voluntarii ratio*, qua voluntaria privatio rectitudinis denominatur singulis posteris inhaerens, non est omnino *extrinseca*, sed *intrinseca quodammodo:* utpote proveniens a voluntate Adami, quae licet extrinseca sit, si comparetur ad posteros, ut *singulares quasdam personas;* intrinseca tamen quodammodo est, si comparetur *ad naturam*, quam ipsi posteri accipiunt; cum voluntas Adae fuerit non solum singularis cujusdam personae voluntas, verum etiam *voluntas principii*, et capitis totius naturae. 6. Haec demum Adae voluntas, quae in sese transiit, manet *in occultis legibus Dei*, in intellectu divino, a quo cognoscitur, in voluntate divina, quae eam abominatur, in justitia divina, quae puniendam judicat, donec retractetur. Dicta consule Capite LXIV.

IV. Quoniam vero haec *privatio gratiae*, quae Adae posteris inest, totam accipit *voluntarii rationem* ab ipsius Adami voluntate; colligendum est, *originale peccatum*, *peccati ratione considerata*, *minimum esse omnium peccatorum*. Quod ajo, disserit accuratissime Sanctus Thomas: germanumque sensum exponit. Verba sunt in II. Dist. XXXIII. Qu. II. Art. I. ad 2. „Inter omnia peccata *minimum est originale*, eo quod *minimum* habet *de voluntario*. Non enim est voluntarium voluntate illius personae, sed voluntate principii naturae tantum. Peccatum enim actuale, etiam veniale, est voluntarium voluntate ejus, in quo est: et ideo minor poena debetur originali, quam veniali.“

Obvias offert, ac depellit difficultates. Prima est: *Originale non compatitur secum gratiam.* Ita sane: „at *privatio gratiae* non habet rationem *culpae*, sed *poenae;* nisi inquantum *ex voluntate est*. Unde ubi minus est de voluntario, minus est de culpa.“ Vide Cap. LVIII. num. III. Altera difficultas: *Peccato actuali veniali temporalis poena debetur*, non aeterna. Reponit Aquinas: „id esse *per accidens*, inquantum decedens in veniali tantum, gratiam habet; virtute cujus poena purgata est. Si autem peccatum veniale sine gratia in aliquo esset, *perpetuam poenam* haberet.“

Doctrinam confirmat, ac uberius illustrat in III. Dist. I. Qu. I. Art. II. ad 6. „*Quantitas* originalis, et actualis mortalis peccati potest

duplicitur attendi: vel *quantum ad principium*, vel *quantum ad bonum*, quod per utrumque privatur." Discrimen explicat, quod priore ex parte oritur. *Principium actualis peccati, propria voluntas est: principium autem originalis in isto, est origo ejus vitiata. Unde originale quodammodo est necessarium* (si ad propriam cujusque voluntatem comparetur). *Sed actuale est omnino voluntarium: unde plus habet de ratione culpae, et vituperabilis.* Discrimen aliud, quod proficiscitur ex parte altera, his verbis exponitur: *Bonum autem, quod per actuale peccatum corrumpitur, est bonum hujus personae: cui praeponderat bonum totius naturae, quod per originale corrumpitur ... Ut sic possit dici, quod actuale est major culpa; et originale, majus malum.* ...

Aliis verbis, aliisque animadversionibus egregiis eadem, quae allata sunt, discrimina illustrat Aquinas in aliis locis. Sic habet Qu. V. de Malo Art. I. ad 9. „Peccatum *veniale*, comparatum *originali*, quodammodo est *majus*, et quodammodo est *minus*. Peccatum enim *veniale*, comparatum huic personae vel illi, *magis habet de ratione peccati*, quam peccatum *originale*. Quia peccatum veniale est peccatum voluntarium *voluntate hujus personae;* non autem peccatum originale. Sed peccatum originale, comparatum ad naturam, est *gravius:* quia privat naturam *majori bono*, quam peccatum veniale privet personam, scilicet *bono gratiae*. Et propter hoc debetur ei *carentia visionis divinae:* quia ad visionem divinam non pervenitur, nisi per gratiam, quam veniale peccatum non excludit."

Addo verba, quae habentur III. P. Qu. I. Art. IV. „Dicitur aliquid *majus* dupliciter. Uno modo *intensive*, sicut est major albedo, quae est intensior: et per hunc modum *majus* est peccatum *actuale*, quam *originale;* quia plus habet de ratione voluntarii. Alio modo dicitur aliquid majus *extensive;* sicut dicitur major albedo, quae est in majori superficie: et hoc modo peccatum *originale*, per quod totum genus humanum inficitur, est *majus peccato actuali*, quod est proprium singularis personae."

Hinc ad *aeternam poenam* quod attinet, quae originali peccato debetur, scitissime *Franciscus Sylvius* animadvertit 1. 2. Qu. LXXXVII. Art. V. „Quod *originali peccato* debetur *aeterna poena*, non est simpliciter ratione *suae gravitatis:* quasi quicumque illud habet, hoc ipso *graviter demereatur;* cum habeat *minimum de ratione voluntarii*, ac per consequens *minimum de ratione meriti*. Sed est *ex conditione peccati, et subjecti*. Quia peccatum illud importat *privationem justitiae, et gratiae:* et *subjectum* ejus, nimirum homo, invenitur sine gratia, per quam solum *remissio poenae* fieri potest."

V. *Sanctitatem Dei, tametsi rationalis anima, corpori conjungenda, creetur sine dono rectitudinis, et gratiae, et caritatis, immunem esse omni labe, neque Deum peccati originalis auctorem dici posse*, postremum documentum est. Neque enim *gratiae defectus* peccatum est, nisi sit *voluntarius:* rationem autem voluntarii desumit ille *ex voluntate Adami*, tamquam principii, et capitis totius naturae humanae.

Luculentissima exhibeo Doctoris Aquinatis verba 1. 2. Qu. LXXXIII. Art. I. ad 4. „Infectio *originalis peccati* nullo modo *causatur a Deo;* sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem. Et

ideo cum *creatio* importet respectum animae ad solum Deum; non potest dici, quod anima ex sua creatione inquinetur. Sed *infusio* importat respectum et ad Deum infundentem, et ad carnem cui infunditur anima: et ideo habito respectu *ad Deum infundentem*, non potest dici quod anima per infusionem maculetur; sed solum habito *respectu ad corpus, cui infunditur:*" habitoque etiam respectu ad voluntarium principium naturae, idest *primum hominem*, qui pro se, et pro natura, in posteros via generationis libidinosae traducenda, donum rectitudinis, gratiae, et caritatis peccando amisit.

Par est Thomae sententia, ampliore sermone exposita, in II. Dist. XXXII. Qu. II. Art. I. „Dicendum, quod *in infectione originalis* peccati est considerare *rationem culpae*, et *poenae*. Culpae siquidem rationem habet, inquantum *ex inordinata voluntate primi parentis* talis defectus consecutus est. Unde sicut actuale peccatum ipsius Adae, per quod voluntas ejus deordinata est, non habet Deum auctorem; ita etiam nec ab ipso est totus defectus consequens, secundum quod *rationem culpae* habet. Si autem consideretur, secundum quod deficit ab aliqua perfectione, sic *poena* est: et hujusmodi poenae quidem Deus causa est. „In ipsa gratiae, et caritatis privatione duplicem distingui oportere rationem, *culpae*, et *poenae*, adnotavimus Cap. LVIII. num. III. et IV. Articuli initio in primo argumento difficultas opponitur: *quod infectio originalis a Deo sit. Anima enim dum creatur, infunditur, ut Augustinus dicit: sed anima infusione maculatur: ergo et in creatione. Et sic a Deo maculam habet.* Solidissimum accipe responsum: „*Creatio*, et *infusio* licet simul sint, respectu animae tamen differunt: quia *creatio* dicitur secundum respectum ad principium, a quo est anima tantum; *infusio* vero dicitur secundum respectum *ad duo*, scilicet ad principium a quo procedit, et ad materiam quam perficit. Cum ergo dicitur, *anima creatione maculatur;* ablativus iste potest denotare *habitudinem alicujus causae*. Et sic *falsa est*, quia creatio animae non est causa, quod maculetur: nihil enim ex creatione anima habet, quod a Deo non sit. Vel potest denotare *concomitantiam:* et sic *vera est,* quia dum creatur, maculatur; ex quo tamen non sequitur, *quod Deus auctor maculae sit.* Cum vero dicitur, *anima infusione maculatur;* si ablativus *concomitantiam* designet, *absolute vera est.* Si autem denotet *habitudinem causae*, duplex est: quia vel intelligitur *infusio* esse causa maculae *ex parte principii, a quo;* et sic *est falsa*. Vel ex parte *termini ad quem*; et sic *est vera.*" Data namque *occasione* carnis *per libidinosam generationem* propagatae, anima ipsi conjungenda a Deo conditur *sine gratia:* et hujusce gratiae *privatio*, relata ad pravam voluntatem Adae, veluti principii et capitis naturae humanae, tum *voluntarii* rationem, tum *peccati* labem accipit.

Petes: an igitur anima creatur a Deo bona? Interrogationi, quam invehit Franciscus Sylvius, respondet ipse 1. 2. Qu. LXXXIII. Art I. „Creari *bonam* animam, quantum *ad bonitatem naturalem;* sed quantum *ad bonitatem moris* Deus nec fecit eam bonam, nec malam. *Non bonam:* quia cum in primo instanti peccatum habeat (privationem scilicet gratiae voluntariam ex voluntate Adami); simul esset bona,

et mala, quod est impossibile. *Non malam:* quia Deus non potest esse causa mali. Et quamvis ab *instanti suae creationis* mala sit; hoc tamen non est *a Deo creante*, sed a carne inficiente.“ Desumpta doctrina est a Sancto *Bonaventura* in II. Dist. XXXII. in expositione textus. „Cum quaeritur, *qualem Deus fecerit animam*, quantum ad bonitatem, et malitiam; hoc potest intelligi dupliciter. Aut quantum *ad bonitatem naturae*, aut quantum *ad bonitatem moris*. Si quantum *ad bonitatem naturae:* sic concedendum est, quod fecit animam bonam, et adhuc bona est. Si quantum *ad bonitatem moris:* sic dicendum est, quod Deus nec eam fecit bonam, nec malam. *Bonam* enim non fecit, quia bonitatem illam animae non dedit, obsistente infectione ex parte corporis, cui anima in eodem instanti unita fuit, in quo creata. Non fecit eam *malam*, quia quamvis anima ab instanti suae creationis mala sit; hoc tamen non est a Deo creante, sed a carne inficiente. Et ideo Magister dicit, hanc non esse concedendam: *Anima est talis, qualem Deus eam fecit.* Sed potius e converso: non quia dederit ei *actualem justitiam;* sed quia dedit ei *bonitatem naturae*, ad habendam justitiam (gratiae) ordinatam; a qua justitia *privatur* per carnem infectam.“

Hanc infectionem in ipsa carne consistere, neque transire in animam, opponebat Sanctus Thomas 1. 2. Qu. LXXIII. Art. I. num. 3. Quoniam *peccatum originale ex primo parente contrahimus, prout in eo fuimus secundum rationem seminalem: sic autem non fuit ibi anima, sed sola caro: ergo peccatum originale non est in anima, sed in carne.* Potiore saltem modo *carni* illud inesse, quam *animae*, num. 2. praecedente opponebat: quia *unumquodque potius est in causa, quam in effectu: sicut calor magis est in igne calefaciente, quam in aqua calefacta. Sed anima inficitur infectione originalis peccati per semen carnale. Ergo peccatum originale magis est in carne, quam in anima.*

Difficultates, si quae sunt, dirimit ibidem Aquinas: ad 3. „Dicendum quod anima hujus hominis non fuit secundum seminalem rationem in Adam peccante, sicut *in principio effectivo;* sed sicut *in principio dispositivo:* eo quod semen corporale, quod ex Adam traducitur, sua virtute *non efficit* animam rationalem, sed *ad eam disponit:*“ corpus efformando, cui anima rationalis conjungi debeat. Eadem traditur doctrina Qu. IV. de Malo Art. I. *Defectus* (seu privatio) *doni sublimis*, (quod Adamo pro se, ac posteritate ejus, divinitus datum fuerat,) *totam Adami posteritatem consequitur: et sic iste defectus eo modo traducitur in posteros, quo modo traducitur humana natura. Quae quidem traducitur non secundum se totam, sed secundum aliquam sui partem, scilicet secundum carnem, cui Deus animam infundit. Et sic sicut anima divinitus infusa, pertinet ad naturam humanam, ab Adam derivatam propter carnem, cui conjungitur; ita et defectus praedictus pertinet ad animam propter carnem, quae ab Adam propagatur, non solum secundum corpulentam substantiam, sed etiam secundum seminalem rationem; idest non solum materialiter, sed sicut ab activo principio, sic enim filius accipit a patre naturam humanam.* In re nimium obscura splendidior lux affulgere rationi humanae non potest.

Alteri difficultati hisce verbis ad 2. satisfacit: *Peccatum originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali: non autem oportet quod aliquid sit principalius in causa instrumentali, quam in effectu; sed solum in causa principali. Et hoc modo peccatum originale potiori modo fuit in Adam, in quo fuit secundum rationem actualis peccati.* Frequentius jam docuimus, posteris inesse *privationem* justitiae originalis, quam intulit, *veluti effectum*, peccatum actuale Adami: eamdemque eo sensu ab *semine* causari, sicut a *causa instrumentali;* quod *data* libidinosae generationis, procreatique per libidinosam generationem corporis *occasione*, anima quae corpori conjungenda est, sine gratia conditur a Deo.

CAPUT LXVII.

Originalis peccati traductio Adamo potius, quam proximo generanti, tribui debet veluti causae. Haec Adami efficientia est moralis, quam vocant meritoriam, respectu privationis gratiae, aut justitiae, sub ratione poenae. Non est ullo sensu moralis efficientia ejusdem privationis, sub ratione culpae originalis. Efficientiam physicam vocant plerique Theologorum: quorum sententia expenditur, et exponitur.

I. Quaestiones nonnullas pertractare solent in Scholis Theologi: quas licet subtiliores, non sine modico tamen emolumento versari posse censeo. Inquiritur 1. *Quomodo primus homo, ejusque posteri generantes, ad originalis culpae traductionem se habeant.* Apud Angelicum Doctorem Qu. IV. de Malo Art. VI. argumentum legitur num. 15. *Quod illi, qui nunc generantur, potius peccatum originale contrahant a proximis parentibus, quam ab Adamo: propterea quod agens proximum plus imprimit, quam remotum.* Doctoris Angelici solutio est: non ita se rem habere, cum agens proximum non agat, nisi in virtute causae remotioris. „Quia ergo (inquit) *vetustas originalis peccati* invenitur in omnibus, *secundum quod sunt moti a primo parente;* ideo nullus transmittit peccatum originale, nisi prout generat in virtute *primi agentis.* Et propter hoc *magis* dicitur contrahi *ab Adam,* quam a *proximo parente.*“ Vetustas originalis peccati intelligitur *vitium libidinis in generatione.* Hanc peccator Adam libidinosam generationem sensit ipse primus: eaque exstimulante, et concomitante, prolem primus genuit, propagavitque naturam humanam. *Prima* ergo *vitiata origo* fuit Adam: ex eoque in posteros derivatur eadem labes. Unde peccatum originis, quod *occasione data* libidinosae generationis contrahitur a posteris, Adamum respicit *veluti causam primam, et moventem;* proximos vero parentes, veluti *causas instrumentales, et motas.*

„Petes, quare saltem hinc non sequitur: vel quod is qui generat, *semper peccet;* utpote dans operam rei, ex qua necessario et infallibiliter sequitur *peccatum in prole.* Vel quod *Adamus* semper peccet, quando aliquis homo generatur, cum *ex actu,* quem fecit, *sequatur peccatum* in eo, qui gignitur.“ Franciscus Sylvius reponit I. 2. Qu. LXXXI. Art. I. ad 6. „Prioris rationem esse, quia peccatum non sequitur *per se* ex vi generationis, sed *ratione mali actus* sui capitis, (ex quo libidinosa generatio ortum habuit). Posterioris autem ratio est, quia *traductio peccati* in eos, qui generantur, non amplius

est *libera Adamo:*" ipsaque motio ab ipso primitus impressa, idest *libido generationis,* necessario permanet, in posterosque defertur. Splendidiorem lucem afferunt, quae mox dicturi sumus.

II. Alia cieri in scholis quaestio solet: *num physicae, an moralis causae, aut efficientiae modus Adami peccato conveniat, quod originalium peccatorum, quae singulis insunt posteris, causa dicitur?* Utriusque causae, aut efficientiae notiones praemittendae sunt. Eas proferre lubet, quas diligenter exponunt saepe laudati Carmelitae Salmanticenses Tomo IV. Tract. XIII. Disput. XIV. Dubio III. num. 60. „Causa *efficiens,* alia est *moralis,* et alia *physica:* alia *principalis*, et alia *instrumentalis* .... Ne in aequivoco laboremus, sciendum est: *causam moralem* in praesenti eam dumtaxat a nobis nuncupari, quae *non per se* exequitur effectum, sed *moraliter* ad illum concurrit; nempe quia *merito,* vel *demerito, precibus, consilio, praecepto,* aut quovis alio *excitandi, et persuadendi* modo, voluntatem alienam inducit ut effectum executioni mandet. Nomine vero *causae physicae* intelligimus omnem aliam, quae *vi sua*, seu *vi influxus ab ea praestiti,* atque adeo non mediante aliena voluntate, effectum infert. Neque refert, an talis influxus sit vera et rigorosa *actio*, aut vera et rigorosa *causalitas:* aut sit tantum *emanatio*, et *resultantia*, quae non differt reipsa ab effectu, ut connotat terminum primarium, ex quo resultat; ac propterea solum dicitur *causalitas secundum quid.* Neque etiam refert, an ipse effectus secundum se spectet ad ordinem *physicum*, vel *moralem:* positivum, vel privativum. Dum enim modo explicato, hoc est *vi influxus* praestiti a tali causa, et non mediante aliena voluntate, effectus in rerum natura ponatur; numeranda est ejus causalitas inter *physicas,* et non inter *morales:* quia iste modus causandi proprius est causae physicae. Deinde nota, divisionem causae in *principalem*, et *instrumentalem* propriam esse solius *causae physicae:* quia causa *moralis* raro, vel numquam admittit eam partitionem." Hujusmodi causarum notiones argumento, de quo agitur, accommodant laudati Theologi, propriis indulgentes opinionibus. Utor ego eisdem, prout Aquinatis documenta hactenus illustrata videntur exposcere.

Dubium nullum, Adami peccatum dici, et esse *causam moralem, meritoriam*, seu *demeritoriam,* ut vocant, qua divina voluntas excitatur ad *poenam* posteris peccato originali infectis inferendam. Haec in poena damni consistit, et in aliis aerumnis temporaneis, queis humana vita exagitatur. Poena namque demerito debetur: demeritumque peccati originalis non oritur *ex propria posterorum voluntate,* sed *ex prava voluntate Adami,* latum praeceptum superbe violantis. Accedit, peccatum originale, quod posteri Adami contrahunt, sese habere non *instar actionis flagitiosae,* sed instar *termini,* vel *effectus* per actionem flagitiosam illati. Nimirum illud est *privatio justitiae originalis:* quae sicuti Adamo pro se suisque posteris data fuerat, ita ab eodem grande peccatum peccante et sibi, et posteris amissa est: unde patet, *demeritum,* cui poena damni caeteraeque aerumnae correspondent, in ipsum *actuale Adami peccatum* refundendum esse. Distinctionem recole, quae in una justitiae et gratiae privatione

rationem *poenae* distinguit, et *culpae*. Consule Caput LVIII, num. III. ac numerum insequentem IV. in praesenti Capite.

III. Ad ipsam peccati originalis *malitiam* tota redigitur difficultas. Dixerit nemo, praedictum actuale peccatum Adami, esse *causam moralem demeritoriam* peccati originalis, posteris ejus inexistentis, *quoad malitiam accepti*. Tum quia *demeritum* non *culpam*, aut *malitiam* respicit, sed *poenam*. Tum etiam quod originale in Adami posteris peccatum comparatur *peccato habituali*, quod infert *actuale* quodcumque peccatum personale. At *habituale hujusmodi peccatum* minimè respicit personale actuale peccatum, veluti causam *moralem demeritoriam*, sed potius *physicam*: idem ergo dicendum est de originali posterorum peccato, ad actuale Adami peccatum comparato.

Habeto rursum pro certo compertoque, *actuale Adae peccatum* dici non posse originalis peccati nostri, *quoad malitiam sumpti*, causam moralem, instar *cujusdam excitationis*, qua divina voluntas veluti excitetur ad efficiendum originale peccatum. Id perinde foret, atque Deum peccati auctorem constituere. Adde, malitiam originalis peccati positam esse in *privatione* gratiae sanctificantis *voluntaria ex Adami voluntate*: qua in re patet quam maxime, nullas esse divinae sanctissimae voluntatis partes.

Inquiunt nonnulli, actuale peccatum Adae dici posse *causam moralem* peccati nostri originalis *veluti provocantem* divinam voluntatem, ut gratiam, posteris in Adamo promissam, auferat, aut non concedat: ea namque ablata, aut non concessa, resultat ejusdem privatio. „Licet hoc dici posset (Salmanticensium verbis utor loco citato num. 97.), loquendo *de praedicta privatione*, inquantum habet *rationem poenae*, et quod poena potest a Deo causari; secus tamen loquendo de illa, ut habet rationem *culpae habitualis*. Nam sicut quantum ad hanc rationem nequit ullo modo a Deo procedere; ita neque divina voluntas potest circa illam quovis modo efficiendam *ab aliquo provocari*."

IV. Doctrinam iterum profero, quam exposuimus Cap. LVIII. num. III. In homine peccatore, gratia Dei amissa, *duplex* resultat *privatio*, aut ejusdem privationis *duplex respectus*: privatio scilicet *habitualis conversionis hominis ad Deum*, et privatio *conversionis Dei ad hominem*: hoc est, *habitualis aversio* hominis a Deo, et *recessus Dei* ab homine. Posterior haec privatio dicitur *poena*, prior *est culpa*, accedente ratione *voluntarii*. Itaque verissimum est, Deum ab homine peccatore subtrahentem gratiam, quodammodo efficere, *veluti poenam*, privationem illam quae est privatio conversionis ipsius Dei ad hominem: at remanet privatio conversionis hominis ad Deum et hujus *causa* inquiritur.

In statu *naturae purae*, in quo nulla esset naturae humanae elevatio ad ordinem supernaturalem gratiae, ac nulla de gratia supernaturali elargienda promissio Dei, a Deo conderetur anima sine gratia. Hunc vocat Sanctus Thomas *defectum*, ac simplicem gratiae *negationem*: quae potius resultat *ex ipsa conditione naturae*, in qua nihil est quod exposcat gratiae elargitionem. Quod si eadem aliquo modo *resultare* dicatur ex actione divina, quae animam creando, facit

eam esse secundum naturalia dumtaxat principia, nec eidem simul elargitur gratiam; per me licet. Verum enim vero in *praesenti naturae humanae statu*, sicut eadem in Adamo sublimata erat ad supernaturalem ordinem gratiae; ita post Adami peccatum defectus gratiae dicitur *privatio*, utpote defectus formae in subjecto apto. Haec autem, si eam aliquo modo *in actionem Dei* reducere velimus, quae animam condit secundum naturalia dumtaxat ejus principia; nonnisi *post obicem*, aut impedimentum ab homine appositum, *dataque* libidinosae generationis *occasione*, quodammodo a Deo illata intelligi debet.

At eadem *privatio* demum nondum *peccatum* esse intelligitur, nisi *ratio voluntarii* accedat, quae in originali peccato sumitur *ex Adami voluntate.* Dicendum vero (Sancti Thomae verba sunt in II. Dist. XXXII. Qu. II. Art. I.) quod *in infectione originalis peccati* est considerare *rationem culpae, et poenae.* Culpae siquidem rationem habet, inquantum *ex inordinata voluntate primi parentis* talis defectus consecutus est. Unde sicut actuale peccatum ipsius Adae, per quod voluntas ejus deordinata est, non habet Deum auctorem; ita etiam nec ab ipso est totus defectus consequens, secundum quod habet *rationem culpae.*" Quo loco disertissime docet Aquinas, *rationem culpae*, quae est in peccati originalis infectione, *ex inordinata* procedere *voluntate primi parentis.* Sed hunc physicum appellant *causalitatis modum* loco citato Carmelitae Excalceati Salmanticenses num. 68. „Non alius namque modus est *causandi physice* aliquam privationem, instar *causae principalis*, nisi quia *physice* causat expulsionem formae debitae. Atqui Adamus *physice* causavit primum actuale peccatum; quod utique, inquantum personale expulit justitiam originalem, et gratiam a propria persona: et inquantum *peccatum* erat *capitis*, et principii totius naturae humanae ex illo propagandae, eamdem *expulit* justitiam, et gratiam *a tota natura.*"

Plura jam vero attentius animadverte. Ac primo praedicta, quam actuali Adae peccato efficientiam tribuimus, juxta divinae providentiae dispositionem locum non habet, nisi *in posteris* per generationem *concupiscentia* vitiatam *propagandis:* ac suum praeterea effectum tunc habet, quoties posterorum singuli generantur. Hinc Adae peccatum dicitur *causa principalis*, diciturque *causa instrumentalis* libidinosa generatio: cum libidinis, aut *concupiscentiae* vitium ex ipso Adami peccato ortum habeat. Haec vero libidinosae generationis *instrumentalis efficientia* non alio modo, et sensu in privationem gratiae, quae in anima corpori conjungenda resultat, vim exerit suam, nisi quia *conditio* quaedam est, aut *occasio*, ut frequentius Theologi exponunt: qua posita, dataque, rationalis anima, corpori libidinosa generatione sato infundenda, relinquitur a Deo in sua veluti natura, dono gratiae privata. Hinc rursum innotescit, impedimento ab homine posito, Deoque non elargiente gratiam, privationem resultare in anima.

Ad ipsam quod attinet *rationem voluntarii*, quae gratiae privationem resultantem efficit *peccatum*, non *actuale*, sed *habituale*, ea sumitur immediate ab ipsa *prava Adami voluntate*, quae tametsi *actu physico* transierit, manet attamen irretractata *in occultis legibus Dei*,

ut ait Augustinus; idest, *in Dei appretiatione, et abominatione*, ut exponunt Theologi. Recole doctrinam uberius pertractatam Capite LXIV. Neque opponas, hanc peccati irretractati *permanentiam* in abominatione Dei, potius *moralem* esse, quam *physicam*. Satis namque ea est, ut eidem peccato *physicus modus* causandi attribuatur: quod validissime confirmat exemplum personalis cujusque peccati habitualis. Voluntarium quippe denominatur illud ab actuali personali prava voluntate, quae licet actu physico transierit, manet in Dei abominatione, donec retractetur: atque donec retractetur, gratiam expellit a subjecto, aut gratiae privationem in subjecto conservat. Haec citato in Capite declarantur omnia.

CAPUT LXVIII.

Aequaliter peccatum originale posteris inest omnibus, et singulis. Primum solummodo, quod primus homo peccatum commisit, traducitur in prolem. Verisimilius est, Eva peccante, si perseverasset in justitia Adamus, futuram non fuisse originalem culpam. Nonnullorum veterum Patrum mens: animadversiones aliquae. Quomodo filii, qui nascuntur a parentibus fidelibus, vocentur Sancti a Paulo Apostolo?

I. Quaestio sequitur, quae ad examen vocat, *num originale peccatum singulis et omnibus Adae posteris aequaliter inexistat?* Quaestionem luculentissime dirimit omnem Sanctus Thomas 1. 2. Qu. LXXXII. Art. IV. „Dicendum, quod in *originali peccato sunt duo*: quorum unum est *defectus justitiae;* aliud autem est *relatio hujus defectus ad peccatum primi parentis*, a quo per vitiatam originem deducitur. Quantum *ad primum*, peccatum originis non recipit *magis*, *et minus*, quia totum donum originalis justitiae est sublatum: privationes autem totaliter aliquid privantes, ut mors, et tenebrae, non recipiunt magis et minus. Similiter etiam nec quantum *ad secundum:* aequaliter enim omnes (hujusmodi defectus posteris inexistentes) relationem habent ad primum principium *vitiatae originis*, ex quo peccatum originale recipit rationem culpae."

Difficultatem ingerit *concupiscentia,* quae justitiae, et gratiae privationem consecuta est: pertinetque ad originale peccatum, veluti *quoddam materiale* ipsius. Inaequalis namque, ac *magis minusque vehemens* in Adae posteris invenitur. Difficultatem depellit Aquinas loco citato ad 1. „*Soluto vinculo* originalis justitiae (inquiens) sub quo, ordine quodam, omnes vires animae continebantur, unaquaeque vis animae tendit in suum proprium motum: et tanto vehementius, quanto fuerit fortior. Contingit autem, vires aliquas animae esse *fortiores* in uno, quam in alio, *propter diversas corporis complexiones.* Quod ergo unus homo sit *pronior* ad concupiscendum, quam alter; non est *ratione peccati originalis,* cum in omnibus *aequaliter* solvatur vinculum originalis justitiae, et *aequaliter* in omnibus partes inferiores animae sibi relinquantur: sed accidit hoc ex *diversa dispositione potentiarum.*" Inaequalem, quae nobis inest, *pronitatem ad concupiscendum* haec doctrina spectat. Argumentum, quod ex inaequali generationis libidine sumitur, solvitur ad 3. his verbis: „*Libido*, quae

transmittit peccatum originale in prolem, non est libido *actualis*: quia dato, quod virtute divina concederetur, quod nullam inordinatam libidinem in actu generationis sentiret, adhuc transmitteret in prolem originale peccatum. Sed libido illa est intelligenda *habitualiter*: secundum quod appetitus sensitivus non continetur sub ratione, *soluto vinculo originalis justitiae*: et talis libido in omnibus est *aequalis*."

De miseriis, aerumnisque humanae vitae, quibus inaequaliter ipsi etiam infantes, uno originali peccato infecti, obnoxii sunt, scite *Franciscus Sylvius* animadvertit loco citato: *Id procedere tum ex Dei providentia, eos qui ipsum deseruerunt, relinquentis in miseriis, ex naturali rerum cursu, vel etiam ex hominum malitia provenientibus: tum ex justitia etiam vindicativa ipsius Dei, sic peccata parentum punientis in filiis: tum etiam ex voluntate ostendendi gravitatem ejus peccati, in quo nascimur.*

II. Satis utilem quaestionem versat Doctor Aquinas 1. 2. Qu. LXXXI. Art. II, *utrum etiam alia peccata primi parentis, vel proximorum parentum, traducantur in posteros.* Eadem movetur quaestio inter Disputatas *de Malo* num. IV. art. VIII. quo ex loco solutionem Aquinatis repeto. Verba accipe: „Dicendum, quod super hoc Augustinus quaestionem movet *in Enchiridio* (Capite XLVI. et insequente:) et insolutam dimittit. Sed si diligenter consideretur; impossibile est, quod peccata actualia proximorum parentum (et ipsius Adae, praeter primum,) originaliter in posteros transeant."

Thesim ut evincat, animadvertendum primo loco proponit: „quod *generans univocum* naturam *suae speciei* communicat generato, et per consequens *omnia accidentia*, quae *speciem* consequuntur: sicut enim *homo* generat *hominem*, ita *risibilis risibilem*. Si autem virtus generantis sit fortis, tradit similitudinem suam genito, etiam quantum *ad accidentia individualia*. Sed hoc verum est *de accidentibus*, quae aliqualiter *ad corpus* pertinent; non autem de accidentibus, quae solum pertinent *ad animam*, maxime intellectivam, quae non est virtus in organo corporeo. Homo enim *albus* plerumque generat filium *album*, et *magnus magnum*; nunquam autem *grammaticus grammaticum*, aut *physicus physicum*." Rem facto comprobatam habemus, quaecumque demum philosophica *de generatione hominis*, *ejusque modo*, praeferri debeat opinio.

Altera sequitur animadversio Thomae: „Quia vero per peccatum, *gratiae donum* privatur; oportet idem considerare in peccato, quod consideratur in dono gratiae, quod tollitur per peccatum. Fuit autem *in principio conditionis humanae* quoddam *donum gratuitum*, primo homini divinitus datum, *non ratione personae suae tantum*, sed *ratione totius naturae humanae* ab eo derivandae: quod donum fuit *originalis justitia*. Hujus etiam doni virtus non solum residebat in *superiori parte animae*, quae est intellectiva; sed diffundebatur ad *inferiores animae partes*, quae continebantur virtute doni praedicti totaliter sub ratione: et ulterius *usque ad corpus*, in quo nihil poterat accidere, dono praedicto manente, quod contrariaretur unioni ipsius ad animam."

Consectarium sponte fluit: „Rationabiliter hoc donum fuisse ad posteros propagatum propter duo: primo quidem quia *consequebatur naturam ex Dei munere*, licet non ex ordine naturae: secundo quia *pertingebat usque ad corpus*, quod per generationem traducitur.“ Alterum accipe consectarium: „*Hoc* autem *donum* sublatum est per *primum peccatum* primi hominis: unde *rationabiliter* et *peccatum illud* propter easdem causas per originem ad posteros derivatur.“ Quia nimirum sicuti donum gratiae ex munere divino pertinebat *ad naturam; ita naturae vitium* reputatur ejusdem gratiae privatio. Ac praeterea sicut ejusdem doni pars aliqua *corpus* afficiebat, quod generatione propagatur; ita etiam ad corpus pertinent aliquae ejusdem vitii partes. Unde conficitur demum, peccatum illud, quo sublatum fuit *sublime donum* cum natura ex munere Dei transfundendum, *cum eadem natura* per generationem ad posteros dimanare.

Longe dissitam *aliorum peccatorum*, sive quae commisit Adam, sive quae committunt proximi parentes, rationem esse ostendit Aquinas: adeoque in posteros eadem non transfundi, demum concludit. „Sed *alia peccata actualia* vel ipsius *primi parentis*, vel etiam *aliorum*, opponuntur dono gratiae, quod divinitus confertur alicui *ratione personae suae tantum:* et iterum residet vis ejus (doni) in *sola anima intellectiva*, neque derivatur ad corpus, ut per hujusmodi gratiam tollatur corruptibilitas corporis. Et ideo *nec ipsa gratia traducitur:* nec etiam *peccata actualia* quorumcumque parentum, etiam ipsius Adae, praeter primum ejus peccatum, *traducuntur in posteros* per modum originis. Possunt autem peccata actualia proximorum parentum derivari ad filios *per imitationem*, propter conversationem assiduam filiorum cum eis.“

Adversa militant praecipua argumenta duo. Primum legitur loco citato num. 1. „David ex legitimo matrimonio natus, dicit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus tum., et in peccatis concepit me mater mea.* Ex quo videtur, quod multa sunt originalia (seu per originem traducta) peccata unius hominis. Sed hoc esse non potest, si *peccata proximorum parentum* originaliter non transirent in posteros, sed solum peccatum primi hominis. Ergo peccata proximorum parentum originaliter transeunt in posteros.“ Alterum est 1. 2. Qu. LXXXI. Art. II. num. 3. „Ideo contrahimus a primo parente peccatum originale, quia in eo fuimus *sicut in principio naturae*, quam ipse corrupit: sed similiter fuimus in proximis parentibus, *sicut in quibusdam naturae principiis;* quae (natura) etsi sit corrupta, potest adhuc magis corrumpi per peccatum, secundum illud Apocalyp. ult. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Ergo filii contrahunt peccata proximorum parentum per originem, sicut et primi parentis.“

Solidissima sunt Thomae responsa. Ad 1. „Dicendum, quod peccatum originale in uno homine est *unum tantum;* sed dicitur pluraliter, *in peccatis concepit me mater mea*, propter quatuor. Primo quidem secundum consuetudinem Scripturae, in qua ponitur plurale pro singulari, ut patet Matth. 2. *Mortui sunt, qui quaerebant animam pueri;* quod dicitur pro solo Herode. Secundo quia peccatum originale est *quodammodo causa sequentium peccatorum:* et ita virtute continet in

se multa peccata. Tertio, quia in peccato actuali primi parentis, ex quo originale peccatum causatur, fuit *multiplex peccati deformitas: fuit enim ibi superbia, inobedientia, gula*, et *furtum*. Quarto quia corruptio originalis peccati ad diversas hominis partes pertinet. Sed tamen propter hoc non potest peccatum originale in homine dici *plura*, nisi *secundum quid*."

Ad 2. „Dicendum, quod primum peccatum corrumpit naturam humanam, *corruptione ad naturam pertinente*; alia vero peccata corrumpunt eam, *corruptione pertinente ad solam personam*." Hanc illustrant doctrinam Thomae verba, quae habentur in II. Dist. XXXIII. Qu. I. Art. I. ad 4. „Per *peccatum personae* non corrumpitur in natura illud, quod *ex principiis naturae relinquitur*, (sublatumque non fuit per Adae peccatum:) nisi forte quantum *ad personam illam* pertinet. Sed corrumpitur solum, quantum *ad id bonitatis*, quod *naturae* (ex munere Dei) *superadditum fuit*. Hoc autem *totum* per primum peccatum subtractum est. Unde illud naturae, quod integrum remanet, per alia peccata corruptibile non fuit, nisi quantum *ad personam peccantis*: prout in eo relinquitur minor habilitas ad consequendam gratiam; et talis corruptio ab uno in alterum non transfunditur." Ita quaestionem dirimere placuit ipsius Thomae verbis, quibus aptiora non occurrunt alia.

III. Celebrior est quaestio illa, quam Doctor Aquinas excitat 1. 2. Qu. LXXXI. Art. V. *Utrum si Adam non peccasset, peccante Eva, Filii peccatum originale contraherent?* Thesim inficiantem censet *verisimiliorem*: eamque rationem profert, quae divinae sapientiae consilium maxime decet. Constat quippe, generatione traduci peccatum originale. Atqui *principium activum* (ait Aquinas) *in generatione est a patre; materiam autem mater ministrat*. Quod si activitatem tribuere etiam matri placeat; negaverit nemo tamen, *principaliorem partem* sibi adsciscere marem in generatione. Unde congruum est opinari, divina statutum esse ordinatione, ut originalis culpae traductio a praecipuo dependeat generationis principio, scilicet a patre. Adeoque *si Adam non peccante, Eva peccasset, filii originale peccatum non contraherent: e converso, autem esset, si Adam peccasset, et Eva non.*

Fuere nonnulli, qui putabant: *Eva peccante, si Adam non peccasset, filios futuros quidem immunes a culpa; passuros tamen necessitatem moriendi, et alias passibilitates provenientes ex necessitate materiae, quam mater ministrat: non sub ratione poenae, sed sicut quosdam naturales defectus.* Id minime *conveniens* judicat Doctor Angelicus ad 2. quoniam *immortalitas, et impassibilitas primi status non erat ex conditione materiae; sed ex originali justitia, per quam corpus subdebatur animae, quamdiu anima esset subjecta Deo: defectus autem originalis justitiae est peccatum originale. Si igitur, Adamo non peccante, peccatum originale non transfunderetur in posteros propter peccatum Evae; manifestum est quod in filiis non esset defectus originalis justitiae: unde non esset in eis passibilitas, vel necessitas moriendi.*

Pauli Apostoli doctrinae innititur Aquinatis opinio. Dicitur namque ad Romanos Capite V. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravisse.* Notam appingit loco cit. in Argumento

prolusorio: *Magis autem fuisset dicendum, quod per duos intrasset, cum ambo peccaverint: vel potius per mulierem, quae primo peccavit, si femina peccatum originale in prolem transmitteret.* Adde, in Graeco textu legi *δι' ἑνός*, ubi cum ἑνός masculini sit generis, satis indicat hominem virum, non feminam. Hinc etiam *unus* iste ab eodem Apostolo vocatur *Adamus* v. 18. *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.* Immo in ea demum, quam ibidem Apostolus *antithesim* instruit, unum semper *Adamum* opponit *Christo:* quod luculentissime illustrat textus Epistolae I. ad Corinthios Capite XV. v. 21. *Per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum;* v. 22. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.*

Adami nomine *Evam* etiam intelligi, inquies: quod colligi potest ex Geneseos verbis Capite V. v. 2. *Et vocavit nomen eorum Adam in die, quo creavit eos.* Sine dubio nomen *Adam* sumitur hoc loco pro nomine appellativo: ut ipsi, vir, et femina, ex *Adamà*, sive humo facti esse intelligerentur. Sermonem esse apud Apostolum de illo homine, cujus nomen proprium est *Adam*, tum masculinum genus adhibitum evincit, tum etiam antithesis inter Adamum, et Christum. Expositioni nostrae, et sententiae Aquinatis minime repugnant Ecclesiastici verba Capite XXV. v. 33. *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur.* Germanus innotescit sensus: non quia *Eva* comedit de fructu vetito, ejus in nos transire peccatum; sed quia postquam peccavit, inductus ab ea fuit vir ad illud peccatum, quod in omnes posteros *originaliter* derivatur. Hujusce nempe peccati *prima occasio* fuit *Eva*, immo *Diabolus* a quo decipi se Eva sivit.

Hanc sententiam jam docuerat antea *Anselmus Cantuariensis.* De conceptu virginali, et originali peccato Capite IX. inquirit: *cur saepius, et specialius peccatum, quo damnatum est genus humanum, magis imputetur Adam, quam Evae; cum illa prior peccaverit, et Adam post, et per illam?* Reddit rationes plures. Postrema disertissime favet: *Aut idcirco qui si non Adam, sed sola Eva peccasset, non necesse erat totum humanum genus perire, sed solum Evam.* Insignis locus est apud *Venerabilem Bedam* in Libro Quaestionum, Qu. XIV. „Quaeritur, *quare propagatio peccati originalis, et introitus mortis in mundum, adscribatur primo homini Adae, et non mulieri, vel serpenti; cum utrique prius peccaverint, serpens suggerendo, Eva consentiendo?* Ad quod dicitur .... quoniam originis, et naturae nullam habemus communionem (cum Diabolo,) ideo ipsi suggestione, vel imitatione possumus esse similes; sed propagatione non sumus conformes. Ab *Eva* vero matre nostra ideo peccati suggestionem (successionem) non habemus, quia seminis nostri originem non *a matre*, sed *a patre* accepimus: et ideo de cujus principaliter traducitur *massa*, de eo etiam originaliter traducitur *culpa.*"

Mens eadem est Sancti *Ambrosii*, pluribus in locis. Affero verba, quae in Libro Tobiae habentur Capite XXIII. num. 88. *Peccatum ab Adam: ex illo culpa, ex quo et Eva. Ex illo praevaricatio, ex quo*

et humana conditio . . . Diabolus autem Evam decepit, ut supplantaret virum, obligaret hereditatem. Liquido patet, satis non fuisse peccatum Evae ut haereditas obligaretur: verum ad hunc effectum deceptam a Diabolo Evam, et ab Eva virum supplantatum. Plurima sunt *Augustini* testimonia, quae favent. Dignissima animadversione affero ejus verba Libro I. de peccatorum meritis et remiss. Capite XVI. *Sive a muliere, sive ab Adam dicatur, utrumque ad primum hominem pertinet: quoniam sicut novimus, mulier ex viro est, et utriusque una caro.*

IV. Sensus genuinus hinc innotescit, quo veterum aliquorum Patrum verba explicentur. Apud *Irenaeum* Libro V. adversus Haereses Capite XIX. haec habentur: *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem;* (ita) *salvatur per Virginem.* Nimirum *Virginem Mariam* eo nos salvare sensu dici potest, quia *Christum Salvatorem* concepit, peperitque: adeoque et Eva non alio sensu genus humanum perdidit, nisi quia *virum induxit ad peccatum,* quod originaliter propagatur. Hinc sequitur Irenaeus: *Protoplasti* (Adami, non Evae,) *peccatum, per correptionem primogeniti emendationem accipiens.* Eadem est sententia *Theophili Antiocheni* ad Autolicum Libro II. num. 28. *Eva antiquitus a serpente decepta, origo peccati fuit: malorum inventor Daemon.* Eadem mens demum *Basilii* Homilia I. de Jejunio: *Si a ligno jejunasset Eva, nequaquam hoc nunc jejunio opus haberemus.*

Hypotheticas alias quaestiones excitare duas consuevere in scholis Theologi. Prima est, *si Adam in originali justitia permanente, peccaret aliquis filius ejus, num istius filii, ac posteri nascerentur cum eadem justitia, an potius peccato infecti?* Secunda, *si Adamus ante suum peccatum genuisset filium, postea vero peccaret, et deinde filius alios procreasset Adami nepotes, num ille filius, aut qui gignerentur ab eo, originale peccatum contraherent?* In his nolim ego diutius immorari. Varias apud Theologos vide, et expende conjecturas. Adnotare satius fuerit cum Carmelitis Excalceatis Salmanticensibus Tom. IV. Tract. XIII. Disp. XIV. Dub. VI. § II. num. 151. quaestionem utramque agitari posse dupliciter: ac primo *ex vi decreti, quod scimus Deum habuisse de facto,* cum decrevit tum unum Adamum constituere caput naturae humanae cum justitia originali, vel sine illa traducendae, tum peccatum ejusdem permittere. Deinde *ex vi alterius decreti, quod probabiliter credere possumus habiturum fuisse Deum,* si decrevisset non permittere lapsum Adami, permittere autem lapsum alicujus filii. Dicendum vero, in utroque casu res plures divina suavi providentia aliter disponendas fuisse, ac modo dispositae sunt: atque juxta praesens decretum, in illo v. g. qui amisisset justitiam originalem, remanere vigorem potuisse ad eamdem justitiam traducendam, non virtute propria, sed virtute alterius, nempe Adami qui perseverasset innocens: juxta vero decretum alterum potuisse filium peccatorem constitui caput naturae traducendae in filiis, ac nepotibus sine eadem justitia. Haec fuerant indicanda, ne ex hypothesibus, quas humana conjectura effingere potest, ulla efformaretur difficultas adversum documenta hactenus tradita. Laudatos Theologos consule, ampliore accuratissimo sermone disserentes.

V. Postrema succedit quaestio, quae inquirit: *quomodo sanctos baptizatorum parentum filios appellet Paulus, originali culpa si nascuntur infecti?* Apostoli verba sunt ad Romanos Capite XI. v. 16. *Si delibatio sancta est, et massa: si radix sancta, et rami.* Et in Epistola I. ad Corinthios Capite VII. v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* His abutuntur sententiis *Zuinglius*, *Calvinus*, *Bucerus*, *Petrus Martyr*, *Bullingerus*, aliique: ac si filiis fidelium *imputari* non debeat peccatum originis: ipsique ante baptismum sancti jam sint, et Ecclesiae membra.

Plurima sunt et *Scripturarum*, et *Patrum* luculentissima testimonia jam allata, quae profligant haereticum commentum. Habent homines heterodoxi in ipsis Apostoli ad Corinthios verbis, unde validissime eorum error redarguatur. *Mulier* namque *infidelis* per *virum fidelem*, et per mulierem fidelem vir infidelis dicitur sanctificatus. An ergo in illis *infidelitas* non fuerit peccatum, initique conjugii causa *imputari* non debeat? Longe differt expositio, quae legitur in *Synopsi criticorum*, ut heterodoxis heterodoxum Scriptorem objiciam. „*Sanctificatur* sanctitate quadam *analogica*, sive *imperfecta*, vel *morali quadam denominatione*, et quasi sanctitatis, sed extrinsecae, aspergine .... *Sanctificatur ab immunditiis carnalibus*, a foedis etiam cum conjuge commixtionibus, quae vel usum naturalem immutant, vel in menstruo cruore fiunt, vel aliter thorum conjugalem deturpant: quibus *Gentiles* assueti sunt: et a quibus abhorrebit, sanctam castamque videns conjugis fidelis conversationem. (Item) *sanctificare* saepe significat *praeparare*, sive *deputare* ad aliquid sacrum. *Sanctificatur* ergo, idest praeparatur ad veram sanctitatem, quia non impediendo mulierem fidelem in sua fide, et religione, et benevole cum ipso vivendo, quasi viam sternit sibi, ut per preces, verba et exempla fidelis conjugis convertatur, et fiat *sanctus*, idest *christianus* .... *Alioqui filii vestri immundi essent:* idest patri similes, qui eos docebit non esse christianos: vel educarentur in cultum idolorum Deo displicentem .... *Nunc autem sancti sunt:* nimirum ea sanctitate, quae dictis immunditiis opponitur. *Sanctitas* haec opponitur impuritati, non illi communi, et naturali *ex peccato Adami;* sed illi, quam mulier metuebat a viri infidelis congressu. Sunt etiam *sancti:* quia connivente infideli, facile fidelis parentis fide, diligentia, et cura, sanctificari, baptizari, et christiane educari possunt.“

Textus Apostoli in Epistola ad Romanos pertinet ad Judaeos: quos a gentibus ad fidem conversis contemnendos non esse docet. *Si* namque *delibatio sancta est, et massa:* hoc est, si primitiae pastae, aut ciborum, et panum Deo consecrentur, etiam tota reliqua massa censetur quasi Deo consecrata. *Et si radix sancta, et rami.* Porro Judaeorum radix, et primitiae, idest *Patriarchae*, et *Prophetae*, ac etiam *Apostoli*, et primi Christiani ex Judaeis fuerunt sancti: unde et reliquum Judaeorum corpus censeri debet oblatum Deo, deputatum sanctitati, atque *morali quadam aestimatione*, et quadam *analogia sanctitatis aspergine* sanctificatum, quasi in spe, praeparatione, semine,

a familia, scilicet in sanctis progenitoribus: ita ut postremo non ita *Judaei a Deo rejecti* censendi sint, quia aliquando ad ipsum convertantur.

CAPUT LXIX.

Originalis peccati traductionis modus, a Nicolao Malebranchio excogitatus, explicatusque lege quadam inter cerebrum matris, et infantis cerebrum communicationis, refellitur.

Traducis peccati modum illum ad examen vocare operae pretium est, quem in opere suo *de inquirenda veritate* proponit Nicolaus Malebranchius, in *illustratione ad Caput VII. secundi Libri*. Lemmata plura praemittit, quae veluti facem praeferant ad propriam illustrandam excogitationem. Praecipua, et quae propius ad rem accedunt, affero cum animadversionibus. I. *Deus creat, et conservat mentem hominis, ut circa ipsum occupetur, ipsum cognoscat, et amet. Ordo id postulat.* II. *Homo ante lapsum sensationibus praevenientibus admonebatur, an sese corporibus circumjacentibus adjungere, an vero ab iis secedere deberet. Ordo id postulat.* III. *Licet primus homo sensationibus praevenientibus praemoneretur, an deberet uti corporibus ipsum circumdantibus, an vero secus, non agitabant tamen motibus involuntariis, aut rebellibus. Imo ideas rerum sensibilium ex mente sua pro libitu delebat, sive iis uteretur, sive non. Id enim ordo postulat.* IV. *Corpora quibus circumdamur, in mente nostra non agunt, nisi cum quosdam motus in corpore nostro excitant, et motus illi ad praecipuam cerebri partem transeunt. Hoc posito, primum hominem pro libitu motus corpori suo, aut saltem motus praecipuae ejus cerebri parti communicatos sistere potuisse, evidenter patet. Ordo id postulabat. Homo itaque poterat interdum legem naturalem communicationis motuum suspensam inhibere; cum esset sine concupiscentia, nec intra se ullos sentiret motus involuntarios, et rebelles.*

Felicissimum *innocentis hominis* delineatum statum ampliore sermone illustravimus Capite XLVII. Rationem ex *idea recti ordinis* desumptam ita videtur intellexisse *Malebranchius*, ut rectus ordo necessario exposceret *perfectissimum mentis dominium* in sentientem appetitum, atque corpus, ac utriusque motus. Immo ordinem hujusmodi, aut dominium perfectissimum in homine innocente originem habuisse *ex divino gratuito dono*, jam saepe docuimus. Consule Caput citatum, et LIII.

V. *Primus homo, in peccatum semel lapsus, ab illa potestate decidit. Ordo id sic postulat. Cum itaque corpus hominis actione objectorum sensibilium perpetuo concutiatur, ipsiusque mens omnibus praecipuae partis ipsius cerebri motibus agitetur: hinc sequitur, ipsam mentem nunc a corpore, cui ante peccatum imperabat, pendere.* Opus erat ut accuratius rem hanc Auctor enarraret: primum scilicet hominem peccato grandi, quod peccavit, primum ac praecipuum violasse ordinem, qui consistebat in *sanctitate, et rectitudine mentis*, ejusque mentis erga Deum subjectione: eoque praeterea violato ordine, *reliquas* erupisse *inordinationes*, queis concordia rationem inter, et sentientem appe-

titum soluta est; atque corporis perfecta subjectio sub animo sublata. Atqui lapsus deinde homo, post *gratuitam reformationem* massae damnatae, quam Cap. XL. exposuimus, non ita pendet a corpore, ut *concupiscentiae* motibus insurgentibus necessario consentiat. Necessarium hujusmodi motuum, ac rebellis concupiscentiae *sensum* utique experimur; sed in arbitrii libera potestate manet *consensus*. Vide Cap. XLIX. et L.

VI. *Posito quod Adamus, et Eva peccaverint, ac post peccatum motus involuntarios, et rebelles in seipsis senserint; ipsorum filii debuerunt nasci peccatores, ac motibus concupiscentiae obnoxii, ut ipsi erant.* Hanc intellige thesim juxta divinae praesentis providentiae consilium, ac dispositionem.

VII. *Tanta est communicatio inter cerebrum matris, et cerebrum infantis ipsius, ut omnes motus, omniaque vestigia in cerebro matris impressa, excitentur etiam in cerebro infantis. Cum itaque mens infantis uniatur corpori ipsius eo ipso instanti, quo creatur; quia conformatio corporis obligat Deum, ut sequendo suas voluntates generales, ipsi det mentem qua informetur: hinc evidenter patet, mentem illam eodem ipso momento, quo creatur, habere inclinationes corruptas, et versus corpora verti; cum ab eo momento inclinationes habeat respondentes motibus, actu excitatis in cerebro, cui unita est.* Principium maxime nutat, quo haec *Malebranchiana excogitatio* superstruitur. Praestantissimi Viri, qui Philosophiae, Medicae artis, et Anatomiae peritia pollent, *tantam illam*, quam Malebranchius obtrudit, inficiantur *communicationem inter cerebrum matris, et cerebrum infantis; ut* omnes motus, omniaque vestigia in cerebro matris impressa, excitentur etiam in cerebro infantis.

Fuerit vero haec communicatio: id sane sequitur, quemadmodum in diversarum matrum cerebris diversa insunt vestigia, diversique excitantur motus, queis occasio datur, ut earumdem matrum mentes diversimode afficiantur erga corpora; ita in filiorum cerebris, juxta praedictae communicationis legem, diversa rerum sensilium imprimi vestigia debere, ac diversos excitari motus, ac hisce demum diversas eorum mentibus inesse respondentes erga corpora inclinationes.

Alia sequerentur absurda plura. Paucis ea colligo: ac primo prolem concipi, ac nasci *cum iis inclinationibus* erga sensibilia bona, quae inclinationibus correspondeant, menti matris *eo momento* inexistentibus, quo creatur prolis anima, ac unitur corpori. 2. Tum in filiis diversarum matrum, tum in filiis ejusdem matris, *pro diversitate inclinationum*, quibus ipsae conceptus momento afficerentur, diversa rerum sensibilium vestigia imprimi, diversos excitari motus, *diversasque* inesse *inclinationes*. 3. Peccatum originale, si constitui debeat in *hujusmodi inclinationibus*, proli inexistentibus pro lege praefatae communicationis inter cerebrum matris, et cerebrum infantis, non esse *unum secundum speciem* in omnibus, sed *multiplex*, diversumque, et varium. 4. Vix *illud* dici posse *peccatum Adami*, quod in posteros propagatum sit: non enim inclinationes illae dicuntur *Adami vestigiis*, et motibus, et inclinationibus respondere, sed utique *inclinationibus matris* prolem concipientis. 5. Peccatum originale consistere in

actuali deordinata inclinatione: quod solidissimis permotus rationibus, inficiatur Sanctus Thomas, docetque ad peccatum originale solummodo pertinere *pronitatem ad concupiscendum*, seu ad actuales deordinatas inclinationes. 6. Matrem *potiores habere partes* in traduce peccati, quam semen patris. Consecutionis vim non elevat doctrina Malebranchii, qui in *responsione ad objectionem contra Articulum duodecimum*, Sacrae Scripturae textum expendit, quo constat tum demum *apertos esse* Adami, et Evae *oculos*, seque eos cognovisse nudos, cum de vetito fructu comedisset Adam: docetque *Evam*, tametsi prius peccaverit, nullam tamen in corpore suo, utpote *ad conjugem Adamum pertinente*, carnis rebellionem sensisse, nisi post ejusdem conjugis peccatum. Verumenim vero jam posita in utroque sexu rebellione, hanc in prolem proficisci putat ille ex lege communicationis inter *cerebrum matris*, et *cerebrum infantis:* ut perspicuum denique sit, potiores in traduce peccati Matris partes. Adhuc plura adversus hujusmodi commentum dabimus infra.

VIII. *Sed quia contra ordinem est, mentem versus corpora converti, ipsaque amare; infans est peccator, et inordinatus, statim atque creatur. Deus, qui amat ordinem, illum odit in hoc statu. Ipsius tamen peccatum non est liberum. Ipsius mater illum in iniquitate concepit propter communicationem institutam ordine naturae inter cerebrum maternum, et cerebrum infantis.* Gravissima sunt, quae reponi possunt. 1. Communicatio illa, quae veluti *ordine naturae* constituta obtruditur, maternum cerebrum inter, ac cerebrum infantis, denegatur a plerisque: eaque sane ad effectum, quo de agitur, inutilis videtur. 2. Prolem *concipere* dicitur mater *in iniquitate*, propterea quod in utero matris, quemadmodum anima corpori, *seminali infecta propagine conformato*, infunditur; ita infectionis illius *occasione data*, conjungitur eidem sine justitia, et sine gratia; quin opus sit ad *legem communicationis* confugere. 3. Hic justitiae, et gratiae defectus constituit peccatum originale, quod solet *peccatum naturae* appellari. *Liberum* non est, si comparetur *ad voluntatem propriam* cujusque personae; at si referatur ad *naturae humanae principium*, idest primum hominem, tum *voluntarium*, tum etiam *liberum* dici debet; non instar *pravae actualis voluntatis*, sed instar *termini*, aut *effectus*, per actualem voluntatem pravam illati. 4. Quomodo vero infantem vocet *peccatorem* Malebranchius? Quia nempe *contra ordinem mens ejus, statim ac creatur, versus corpora convertitur.* Jam ergo *peccatum originale*, Malebranchio auctore, consistit in *aliquo actu.* At originale peccatum dicitur etiam peccatum Adae *in posteros traductum:* quod minime de prava actuali Adami voluntate dici potest.

Jam quinto loco quaeritur, *quinam fuerit ille actus?* Nempe *concupiscentia*, qua *mens versus corpora convertitur, eaque amat.* At enim quaecumque admitti possit infantis in utero concepti *actualis concupiscentia*, vel actualis amor rei sensibilis; quemadmodum dici non potest *peccatum Adae*, ita neque *peccatum originale.* 6. De natura *concupiscentiae* lato jam sermone pertractavimus. Alia est *habitualis*, quae consistit in *pronitate ad concupiscendum*, rationem praeveniendo, et rationi reluctando, orta ex subtractione gratuiti doni, quo mens

hominis innocentis instructa perfecto potiebatur in corpus, et sentientem appetitum dominio. Nihil inest vero in hac *habituali concupiscentia*, quod per sese *culpae* rationem habeat, hominemque denominet *vere peccatorem*. 7. Alia est concupiscentia *actualis*, quae consistit in vestigiis rerum sensibilium cerebro impressis, quin eadem sistere ac impedire mens valeat; maximeque in sentientis appetitus passionibus consistit, inde necessario excitatis, rationem praevenientibus, ac rationi etiam advertenti reluctantibus, quin eas pro nutu impedire, sive tollere mens valeat; sed utique mens necessitati subjaceat, eosdem motus involuntarios, rebellesque sentiendi. Jam vero tum Scripturarum auctoritate, tum etiam Patrum communi doctrina, et rationum momentis ostendimus, actualem hujusmodi concupiscentiam non esse *malum* quoddam *in genere moris*, nisi voluntarius ac liber accedat consensus voluntatis: quem in infantibus primo conceptionis momento adesse, non dixerit Malebranchius. 8. Hinc genuinum sensum, quo concupiscentiam *odisse* Deus dicitur, jam superius exposuimus: non odio scilicet *inimicitiae*, quo peccatum odio habetur; sed odio quodam *displicentiae*. 9. Animadversione denique dignum est: mentem infantis in utero matris affici quidem, si placeat, conversionibus illis ad corpora, sive corporum circumstantium sensationibus, queis bene *in genere physico*, vel male affici potest: at ipsam in eo statu infantis mentem, data praedictarum sensationum occasione, aut converti ad sensibilia quae illicita sunt, aut etiam in sola objectorum sensibilium, quae illicita non sunt, delectabilitate sistere, commentum videtur absurdissimum. Consule Capit. XLIX. a num. 11.

IX. *Primus homo ante peccatum sistebat pro arbitrio motus in ipso excitatos: etenim ordo postulat, ut corpus menti obtemperet. Ipsi etiam infantes* (in statu innocentiae) *non exciperent inviti vestigia objectorum sensibilium: ac pleno jure possent suspendere illam communicationem.* Sed *quia mens infantium* (post primi parentis peccatum) *numquam fuit grata Deo; numquam justum fuit, Deum in eorum gratiam mutare legem communicationis motuum.* Pars prima quae *primi hominis innocentis* perfectum dominium proponit in corporeos motus, desumitur ex *ordinis* idea: sed hunc ordinem jam animadvertimus intelligi oportere *ex dono gratuito* provenientem, quod humanae naturae gratis contulerit Deus.

Pars altera, quae ipsos etiam *infantes innocentes* adserit non excepisse invitos vestigia objectorum sensibilium, rationis usum sine dubio eisdem infantibus largitur. At infantes vel *nati* intelliguntur, vel adhuc *in utero materno involuti*. Ad *natos infantes* quod attinet: Doctor Aquinas tradit I. P. Quaest. XCIX. Art. I. et Qu. CI. Art. II. eos in *statu innocentiae* minime perfectum usum rationis, perfectumque membrorum usum habituros fuisse, sicuti habituri erant in perfecta aetate; sed illum tantum et rationis, et membrorum usum habituros, qui tenellae eorum aetati conveniret. Infantibus in *utero materno comprehensis* haec Thomas non concedit. Pars tertia enuntiat, mentem infantium, qui in hocce naturae lapsae statu concipiuntur, et nascuntur, numquam fuisse *gratam Deo*, scilicet ante bapti-

amum: id utique verum; quod attamen solida, ac sana doctrina Malebranchius non exponit.

X. *Posito igitur, quod infantes cum concupiscentia nascuntur, ipsos peccatores esse evidenter sequitur: cum ipsorum cor versus corpora, quantum potest, conversum sit. In ipsorum voluntate nihil adhuc est praeter amorem: et quidem ille amor est inordinatus. In iis itaque nihil est, quod Deus possit amare, cum Deus amare nequeat inordinationem.* Satis disseruimus *de concupiscentia*, quae ad *originale peccatum* pertinet: minimeque constat, quaenam illa dicenda sit *infantium concupiscentia*, quae oritur juxta Malebranchium *ex lege communicationis* inter maternum cerebrum, et cerebrum infantis. Deinde *ex concupiscentia*, cum qua nascuntur infantes, non *sequitur evidenter* ipsos esse *peccatores:* quoniam concupiscentia per sese non est peccatum. Demus vero, eorum voluntatem, sive mentem *necessario* experiri *sensum* rerum corporearum: at peccatum non consistit in *necessario sensu*, sed in libero consensu. *Non amat* utique Deus concupiscentiam, quia nullum amare potest malum *in physico etiam genere:* at certe *non odit* concupiscentiam per sese sumptam, tamquam *malum in genere moris.* In ipsis adultis peccatoribus amat Deus quod ipsis inest *bonum naturae:* cur ergo *in infantibus* peccatoribus *nihil esse* dicitur, *quod Deus possit amare?*

XI. *At vero cum in Christo fuerunt regeniti, hoc est cum ipsorum cor versus Deum conversum fuit; tum concupiscentia non amplius est peccatum in ipsis. Tum enim non amplius sola est in corde ipsorum, et non amplius dominatur. Amor habitualis in ipsis remanens post baptisma susceptum, liberior aut fortior est amore in ipsis habitante per concupiscentiam ab Adamo contractam. Similes sunt justis, qui per somnum concupiscentiae motus sequuntur; at gratiam baptismatis non amittunt, quia istis motibus libere non consentiunt.* Infantes, quos nasci *cum concupiscentia*, et quidem *actuali*, Malebranchius adserit, aut eidem concupiscentiae consentiunt, aut non. Si *non consentiant:* quomodo *peccatum* dicitur concupiscentia? Si vero consentiant: jam peccatum quod illis inest, non erit *originale*, sed *personale*. Num illa dicenda fuerit, sicuti necessaria, ita *peccatum necessarium?* At peccatum, et necessitas repugnant.

XII. *Nec ita mirum videri debet, si posse fieri dicitur, ut infantes, baptizationis instanti, Deum amore libero ament... Et ille actus formari potest in mente, nullis ex eo impressis vestigiis cerebro: quo fit, memoriam ejus non haberi. Tametsi vero maneat naturalis et non liber concupiscentiae amor, ordo postulat ut solius amoris liberi ratio habeatur.* Veram tene, ac sanam doctrinam: nemini concupiscentiam *imputari*, nisi voluntario, ac *libero* accedente voluntatis *consensu:* eamdemque concupiscentiam in infantibus nondum baptizatis quatenus ad *peccatum originale*, veluti *materiale quoddam* pertinet, dici voluntariam, sumpta denominatione non ex propria infantium voluntate, sed *ex voluntate Adami*, capitis et principii totius naturae humanae.

Ad *infantium* demum *justificationem* quod attinet in Baptismo; disertissima Sancti Augustini sententia est in Epistola XCVIII. alias XXIII. ad Bonifacium num. 10. *Parvulum, etsi nondum fide*

illa, (et illa caritate,) *quae in credentium*, (ac diligentium) *voluntate consistit*, *ipsius tamen fidei* (seu Baptismi) *Sacramento fidelem effici*, ac justificatum. *Liberum* fidei, et amoris *actum*, quo pueri justificentur in Baptismo, non agnoscit Augustinus. Hanc fieri justificationem, *infuso* fidei, et caritatis, aut gratiae sanctificantis *habitu*, docet Sanctus Thomas III. P. Qu. LXIX. Art. VI. docentque Theologi caeteri. De *natura* tamen, ac notione *habituum* varia ferri et Philosophorum, et Theologorum placita, jam admonuimus: unde pro varia habitus notione integrum fuerit, de *habituali gratia sanctificante* diversimode sentire. Nihil aliud *ex parte animi* habitum esse putant nonnulli, nisi *actum* sine advertentia, et sine reflexione *in animo permanentem*. Qua posita opinione, potius *actu* caritatis *necessario*, quem Deus imprimat, quam *actu* caritatis *libero* dici fortasse poterit, puerorum in Baptismo justificationem fieri: in quibus concupiscentia actualis, *proprie si loqui velimus*, locum non habet, cum ante *rationis usum* dari concupiscentia non possit, quae contra rationem repugnantem militat. Haec vero dicta sunt, ut *Malebranchianum commentum* rimas quaquaversum agere constet, juxta recentium etiam sive Philosophorum, sive Theologorum placita.

CAPUT LXX.

Leibnizii, Wolffii, et Canzii expositio affertur, animalculorum praeformationi innixa, quae ab Adamo ad hominis usque generationem per gradus lineae descendentis deferri dicuntur. In eamdem praeformationem, et in argumenta rationum quibus sustinetur, animadversiones. Ad explicandum peccati traducem veram nullam opportunitatem confert.

I. Suis indulgentes excogitationibus, aliam iniere viam *God. Guil. Leibnizius, Christianus Wolffius, et Isr. Gotl. Canzius*, qua peccati traducem explicarent. Laudatus Canzius *in Philosophiae Leibnizianae, et Wolffianae usu in Theologia* Capite V. ubi de originali peccato agitur, sic ait §. 9. „Liberum lectori relinquo, num in explicanda *peccati originalis propagatione*, Leibnizii sententia opportunitatem habeat, *de animalium praeformatione*, ab Adamo usque ad hominis generationem, per gradus lineae descendentis, ordine delatorum? Ita enim intelligitur, quomodo in Protoplasto potuerat corrumpi, quod jam secundum prima stamina exstitit. Ita *traducem animae*, non statuendo suspicionem dividuae animae, perinde ac si quid decerperetur, evitamus. Ita creationem (novam animarum) reprobando, in Deum culpam peccati cum anima admissi non refundimus. Ita omnium optime explicatur, quomodo *nondum nati in parentum lumbis esse*, et ab *uno morali capite repraesentari* queant.“

Antequam diligentius expendo, si quid emolumenti ex hoc systemate erui queat ad explicandam *originalis peccati propagationem*; systema ipsum liceat mihi latiore sermone declarare: ac theologicas, et philosophicas indicare rationes, quae adversus ipsum militant, jam pridem propositas a Gundisalvo Carattino Ord. Praedicatorum, in Opusculo quod inscribitur, *Philosophica Christiani Wolffii &c. de origine, et praeexistentia animarum, theologice discussa, atque excussa sen-*

tentia; et a Fortunato a Brixia Ord. Minorum in *Metaphysica* Part. II. Sect. III. Propositione VI. Hujusmodi *animalium praeformatio* intelligitur *rationalium animarum omnium* simul ab initio temporis cum caeteris quibusque rebus *creatio*, earumque *inclusio in organicis totidem corpusculis*, tunc itidem a Deo conditis: quae putant alii *spermatica* esse animalia, et alii *prima quaedam rudimenta*, sive stamina foetus in ovis femineis delitescentia.

Christianus Wolffius in *Psychologia Rationali* Adnotat. ad §. 704. sic ait: „Cum hoc modo evitentur errores *de praeexistentia animarum ante corpus, de peccato earum extra corpus commisso, et de earumdem in corpora detrusione, ut peccati dent poenas*; consequenter nihil defenditur, quod a Sanctis Patribus, et Theologis sit improbatum." Eadem est sententia *Leibnizii*, in Theodicaea Parte I. num. 86. et 91. Rem ita vero se habere, *Scripturae divinae* auctoritate suadere nititur idem Wolffius Adnotat. ad §. 705. „Deus (inquiens) *die septimo a creando cessasse* legitur (Genes. Capite II. v. 2.) Unde Theologi recte colligunt, quod *hodie Deus nihil amplius creet*, seu ex nihilo producat. Scripturae igitur convenit creatio animarum in prima statim creatione a Deo facta. Non absimili prorsus modo idem evincitur de primis staminibus foetuum."

II. De *primis* hisce *staminibus foetuum* agendum postea: ad *rationales animas* initio temporis *creatas omnes* sermo convertitur. Illudit Wolffius, ex illo *Geneseos loco colligere Theologos* inquiens, rationales animas modo a Deo non creari, easque simul omnes initio temporis creatas esse... Non ita sentiebant illi, qui in Concilio Lateranensi V. anno 1513. celebrato professi sunt cum *Leone X.* Summo Pontifice in Bulla, quae legitur Sessione VIII. *animam rationalem pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter esse multiplicabilem, multiplicatam, et multiplicandam.* Wolffianam consecutionem non viderunt Patres illi, qui cum *Sancto Hieronymo* traducem animae rejicientes, *quotidie* singulas creari docuerunt animas, conformatis in materno utero corpusculis infundendas. Contra Wolffium *Sanctus Augustinus* Libro IV. de Genesi ad litteram num. 22. expresse fatetur: allatum Geneseos locum ita *posse intelligi*, ut sententia sit: *Deum requievisse a condendis generibus creaturae, qui ultra jam non condidit aliqua genera nova.* Patet vero, novam *rationalium animarum* creationem non pertinere ad *novam aliquam speciem*, quam initio non fecerit Deus; sed ad *humanam speciem* jam factam, propagandam, et conservandam.

Validiora, quae a Wolffianis adduci umquam possunt, jam proposuerat *Sanctus Thomas* argumenta in Operibus suis. Satis fuerit Articulum tertium Quaestionis CXVIII. indicare in prima Summae Theologicae Parte. „(Num. 1.) Videtur, quod animae humanae fuerint *creatae simul* a principio mundi. Dicitur enim Genes. 2. *Requievit Deus ab omni opere, quod patrarat.* Hoc autem non esset, si quotidie novas animas crearet. (Num. 2.) Ad perfectionem universi maxime pertinent substantiae spirituales. Si igitur *animae simul corporibus crearentur* (nova creatione), quotidie innumerabiles spirituales substantiae perfectioni universi adderentur: et sic universum a principio fuisset imperfectum."

Sanctissimi Doctoris accipe responsa, quae facile eludere Wolffianis non erit. „(Ad 1.) Deus dicitur *cessasse die septimo:* non quidem ab omni opere, cum dicatur Joannis V. *Pater meus usque modo operatur:* sed a novis rerum *generibus*, et *speciebus* condendis, quae in operibus primis non aliquo modo praeexstiterint. Sic enim *animae*, quae nunc creantur, praeexistunt *secundum similitudinem speciei* in primis operibus, in quibus anima Adae fuit creata. (Ad 2.) Dicendum, quod perfectioni universi, *quantum ad numerum individuorum*, quotidie potest addi aliquid; non autem *secundum numerum specierum.*" Haec eadem solutio amplioribus expressa verbis legitur Qu. III. de Potentia Articulo X. ad 2. „Universum *in sui principio* fuit perfectum *quantum ad species*, et *non quantum ad omnia individua*. Vel *quantum ad causas* rerum naturalium, ex quibus possunt postmodum alia propagari; non *quantum ad omnes effectus*. Animae vero rationales, quamvis non fiant a causis naturalibus, tamen *corpora*, quibus divinitus infunduntur sicut sibi connaturalibus, *per operationem naturae* fiunt."

Irrito voto, conatuque Wolffiani reponerent: jam hodie pro certa, atque explorata haberi *corpusculorum organicorum*, quae Deus ab initio condiderit, *praeexistentiam:* adeoque illis ab initio potuisse, aut debuisse rationales animas infundi. Responsio prima est: neque *ex divina auctoritate*, quam Wolffius allegat, neque ex *Universi*, cum primo conditum est, *perfectione*, argumentum depromi ullum, quod animarum rationalium creationem *simul ab initio* factam exposcat. Altera: *corpusculis organicis* tunc animas rationales *infundi*, cum eadem ad vitales motus peragendos proxime apta sunt: sed prima corpusculorum stamina non fieri *proxime apta ad vitales motus*, nisi mediante *proximi parentis generatione*. Qua de re infra dicendum.

Wolffius Adnotatione citata ad §. 705. *Non video, ait, quid inde* (ex praefato systemate) *sequatur, quod vel naturali, vel revelatae religioni, vel virtuti sit adversum.* Immo adversatur *revelato Incarnationis mysterio*. Fides catholica docet, Christi animam *tunc* solum a Deo fuisse creatam, cum divini Verbi peracta fuit Incarnatio: atque Jesum Christum *ex quo esse homo coepit*, (ut ait Augustinus in Enchiridio num. 11.) *non aliud coepisse esse hominem, quam Dei Filium*. Certum est, adimpletum fuisse incarnationis mysterium, cum Angelo nuntianti respondit Virgo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Ergo *tunc* solum, non autem *initio temporis*, creata a Deo fuit anima Christi. „Fateor equidem, (verba sunt Fortunati a Brixia,) Divini Verbi Incarnationem esse *miraculum*. At simul contendo, argumenti vim haud propterea infringi. Nihil quippe, nequidem *per miraculum*, creare debet Deus, ut stet quod ajunt: ipsum scilicet a rebus condendis *die septimo penitus quievisse*. Sicuti ergo quies illa non prohibet, quominus anima Christi *tunc* solum creata fuerit, cum Divinum Verbum humanam *sibi copulavit* naturam: ita *quies ipsa* jure impedire haud potest, quominus *singulas animas* singulis nascentibus etiam modo *Deus faciat*. Primum postulavit humani generis reparatio, non prius facienda, quam *temporis plenitudo venisset*, (ut ait Apostolus ad Galatas Capite IV). Hoc alterum requirit generis ejusdem propagatio, non prius facienda, quam electorum numerus compleatur."

Wolffiano etiam systemati adversari doctrina videtur de *virtute virginitatis* servanda, deque honorabili *conjugio contrahendo*. Illam commendat Christus apud Matthaeum Capite XIX. v. 12. docens: *Eunuchos esse, qui se castraverunt propter regnum caelorum.* Optabat etiam Apostolus in Epistola I. ad Corinthios Capite VII. v. 7. *ut omnes essent, sicut ipse* coelebs. Inquiritur autem: num in semine *omnium marium*, aut in ovis *omnium feminarum* praeexistant cum organicis corpusculis animae rationales: an non? Si posterius dicas: quomodo et mari, et feminae, *indiscriminatim cuilibet*, liceat in generationis opus incumbere, quod eo tendit ut homines nascantur? Si primum: quomodo et mari, et feminae, *indiscriminatim cuilibet*, virginitatem servare liceat, ex qua sequitur tot necessario perire rationales animas cum spermaticis animalibus, aut ovis animatis, quae, si virginitas observetur, in lumbis manent, et ad generationem non perducuntur? Laudatos consule scriptores.

Wolffianas ego alias affero, et expendo propositiones. „§ 706. Dum anima in corpusculo organico praeexistente, quod foetus rudimenta continet, aut si ita videtur, in animalculo spermatico, praeexistit; in *statu perceptionum confusarum* est. § 707. Quamdiu anima in animalculis spermaticis, seu rudimentis foetus praeexistit; perceptiones nonnisi obscuras habet. *Equidem non nego fieri posse, ut perceptionibus obscuris admixtum sit aliquid claritatis; sed id adeo exiguum esse debet, ut ideo perceptiones ex numero obscurarum eximi, et in numerum clararum referri minime mereantur.* § 708. Si perceptiones partiales singulae obscurae sunt; anima sibi rerum perceptarum, atque sui conscia esse nequit. § 709. In statu praeexistentiae anima caret operationibus intellectus, et usu rationis. *Intellectus enim est facultas, res distincte repraesentandi.* § 710. Dum foetus in utero formatur, anima e statu *perceptionum confusarum* in statum *distinctarum* transfertur. § 711. Translatio animae e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum, naturalis, atque successiva est: . . . . *Constat, infantem recens natum, etsi sit in statu perceptionum distinctarum, plurimum tamen confusioni adhuc obnoxium esse: atque ex ea demum successive sese extricare, et ad usum intellectus, atque rationis pervenire. Quamobrem facile intelligitur, quemadmodum corpus ex staminibus in utero matris successive formatur; ita quoque animam successive e statu perceptionum confusarum in statum distinctarum transferri.*"

Allatae propositiones commento adversantur de quo Capite sequente agendum est. Hoc loco satis fuerit cum *Fortunato a Brixia* animadvertere. 1. Organico corpusculo, in quo *tales mutationes* fiunt, quibus *confusa rerum perceptio*, idest sensatio, et imaginatio, respondet in anima eidem copulata, deesse nihil, quominus *vivens* dici jure ac merito possit. 2. Hinc vero concipi non posse, quomodo per tot secula quot *ab orbe condito usque in praesens* fluxerunt, peragi potuerint *motus vitales* in corpusculo hominis modo geniti; quin partes ejusdem corpusculi, tum *solidae*, tum *fluidae*, motibus illis peragendis inservientes, aliquid vel minimum passae umquam sint, *nutritione* reparandum. 3. Qua posita *nutritionis* necessitate, quae-

rendum esse denique, undenam illi adveniat materia ad nutritionem requisita: et cur, si fiat nutritio, *accretio* quoque non habeatur.

III. Num vero systema *Leibnizianum* istud, a *Wolffio* illustratum, quam plurimis caeteroqui philosophicis, ac theologicis obnoxium difficultatibus, aliquam afferat opportunitatem in explicanda *peccati originalis propagatione?* Ajentem partem tuetur laudatus *Cantzius.* Wolffius Adnot. ad § 705. sic habet: *Si difficultatem moveat propagatio peccati originalis, ea non a praeexistentia, sed a creatione pendet. Sive enim sumas animas tum demum creari, ubi corpus vivere incipit in utero, eidemque infundi: sive admittas in prima statim creatione conditas, et staminibus foetus unitas esse; eadem urgebitur difficultas, quamvis non pari successu. In casu nimirum posteriori facilius eam removere licet, quam in priori.*

Immo gravissimas adversus *Wolffianum systema* difficultates militare censeo quae locum non habent in systemate *novae animarum creationis.* Ac primo difficultatem, si qua repeti potest ex creatione, felicissime sublatam vidimus a Sancto Thoma Aquinate Capite LXVI. num. IV. *Creationem* scilicet distinguit ille, et *infusionem* animae: docetque, *creationem importare respectum animae ad solum Deum:* et *ideo dici non posse, quod anima ex sua creatione inquinetur.* Addit vero, *infusionem importare respectum et ad Deum infundentem, et ad carnem, cui infunditur; et ideo habito respectu ad Deum infundentem, non posse dici quod anima per infusionem maculetur.* Sed ipsam maculari, *habito respectu ad corpus, cui infunditur,* libidinosa nempe generatione conformatum. Haec libidinosae generationis *occasio data* locum non habet in systemate *praeexistentiae animarum* in corpusculis organicis, quae initio temporis facta fuerint.

Inquirendum est, num *animae rationales,* initio temporis creatae in corpusculis organicis, acceperint a Deo *gratiae donum, an non?* Si posterius: cum nondum Adae peccatum commissum esset, alia sufficiens adduci ratio debet, cur *sine gratia* creatae fuerint? Quae maxime innotescit in systemate *novae creationis:* nempe *Adae peccatum* praeexistens, ac *libidinosa corporis,* cui anima conjungenda est, *procreatio.* Quod si prius adseras: diligentius explicandum manet, cur, et quomodo Adamo peccante, sibique datam justitiae originalis gratiam peccato suo excludente, eadem exclusa fuerit ab animabus, quae *in corpusculis organicis praeexistebant?* Sed etiam animadverte, animas illas praeexistentes, et organicis corpusculis copulatas, dici jure et merito posse *homines,* et *singulares humanae naturae personas.* Hinc sequitur, *gratiam justitiae,* si temporis initio eisdem a Deo data fuerit, datam dici debere *hominibus,* et *humanae naturae personis:* sequiturque deinde, gratiam eamdem eisdem subtrahi non potuisse, nec debuisse *sine proprio personali peccato praecedente.*

Inquiri adhuc potest: num *originale peccatum,* quod posteris Adae inest, consistat in *quodam actu, an non?* Quomodo vero *in actu* consistat, cum animae in corpusculis organicis praeexistentes, auctore Wolffio, praeexistant sine operationibus intellectus, et *sine usu rationis?* Nec enim *sine rationis usu* dari potest *actuale peccatum,* sive actus peccati labe infectus. Fuerit ergo originale in Adae posteris peccatum, nonnisi *justitiae, et gratiae privatio?* At

argumenta recurrunt superius allata. Num denique peccatum istud in *concupiscentia* reponendum censeas? Contra te jam militant argumenta plura, quae Capite superiore adversus *Malebranchium* instruximus.

In hoc systemate (inquit Cantzius) *omnium optime explicatur, quomodo nondum nati in parentum lumbis esse queant.* Novo systemate opus non est ad id explicandum, quod omnium optime in systemate novae creationis exposuit Sanctus Thomas in II. Dist. XXX. Qu. II. Art. II. ad 1. „Dicendum, quod *hunc esse in Adam secundum corpulentam substantiam*, potest intelligi dupliciter. Aut ita, quod corpus istius fuerit in Adam, sicut *quaedam corpulenta substantia:* et hoc modo est impossibile, nec sic Augustinus intelligit. Aut ita, quod corpulenta substantia hujus fuerit in Adam *aliquo modo:* et hoc verum est, quia materia propria, ex qua corpus humanum formatum est, fuit in Adam virtute, *sicut in principio effectivo originaliter.* Unde secundum hoc patet, qualiter differt esse in Adam, *secundum corpulentam substantiam tantum*, et *secundum rationem seminalem.* Ad hoc enim quod corpus humanum constituatur, oportet duo advenire: scilicet *materiam*, ex qua formaretur corpus, quae dicitur corpulenta substantia: et *virtus formans*, quae dicitur ratio seminalis; et utraque originata est ab Adam. Et ideo illi, *qui ex coitu viri, et mulieris generantur*, dicuntur fuisse in Adam originaliter secundum *seminalem rationem*, et secundum *corpulentam substantiam: Christus* autem, cujus corpus virtus Spiritus sancti formavit, de materia Virginis administrata, dicitur in Adam fuisse secundum corpulentam substantiam tantum.“

Haec solidissima Thomae doctrina novam invehit contra systema Wolffianum gravissimam difficultatem. Ad explicandam peccati originalis propagationem satis non est, posteros Adae *aliquo modo* fuisse in Adamo: propagatio posterorum requiritur *secundum seminalem rationem*, eamque *libidinosam*, seu ex peccato primi parentis vitiatam. Hinc ratio redditur, cur originalem culpam non contraxerit *Jesus Christus.* Haec vero Sancti Augustini, et Sancti Thomae documenta in systemate Wolffiano locum non habent. De Jesu-Christo demum inquiri potest: num anima ejus, ab initio temporis creata, *praeexstiterit* in suo corpusculo organico, *an non?* Alterum si eligas, jam *novae* animarum *creationis* systema locum habet. Primum si adseras, jam *mysterium Incarnationis* everti superius adnotatum est: ac praeterea perquirendum manet, num eadem Christi anima, *si praeexstiterit*, in Protoparentibus peccaverit.

CAPUT LXXI.

Aliud refutatur Du-Vigierii commentum. Systema, quod prima corpusculorum stamina ab initio elaborata, invehit, expenditur. Quo posito, explicari originalis peccati traductio potest juxta Augustini, et Thomae documenta.

I. **Systematis Wolffiani cancellos omnes transgressus est** ***Du-Vigierius*** **in Tractatu de Spiritu hominis** ***(de l'Esprit de l'homme)*** **Capite XIV.** Verba ejus, quae laudatus Carattinus latine reddidit,

affero: „Ut quis percipiat, *quo pacto homines in Adamo peccaverint*, satis est si animadvertat: *omnium hominum corpora Adamo inclusa fuisse*, quae respicerent Adami corpus, ut id a quo et substantiam receptura sint, et impressiones, quemadmodum foetus substantiam matris ejusque impressiones participat: denique *ejusmodi corpora suis unita fuisse animabus*. Hoc enim posito, fiunt statim manifesta quaecumque spectant originale peccatum. Apparet namque, *praeceptum illud*, quo Deus vetuit Adamo fructum arboris scientiae boni et mali, primo impressum fuisse Adami cerebro, deinde *filiorum:* easdemque propterea habuisse ideas, cum hae ex organorum motibus naturaliter consequantur; atque ita *eamdem Dei legem accepisse omnes*. Porro cum Adamus, fallaci divinitatis spe Cacodaemonis fraude captus tentaretur, ut fructum comederet; *ejusdem tentationis impressio* ex Adami cerebro ad *filiorum cerebrum* transiit: unde illo tentationi succumbente, succubuerunt et ipsi eo facilius, quo molliores, et ad conservandam memoriam praecepti ineptiores, cerebri fibras habuerunt; opem praesertim ferentibus spiritibus animalibus Adami, ad fructus esum conducentibus. Verum ob organorum mollitudinem minus ipsi, quam Adamus peccarunt: fuitque eorum peccatum ex his motibus, quos Theologi *secundo primos* vocant. Quapropter licet omnes de repente *cum Adamo filii irae* evaserint; non eodem tamen modo, nec eandem Dei indignationem meruerunt. Adami crimen, utpote plena, perfectaque libertate patratum, *mortale* fuerit, aeternisque poenis dignum; peccatum vero filiorum utpote minore libertate ob organorum teneritudinem commissum *minus grave fuit*, dignumque solum quod divina gloria privaretur.“

Invehit plura *Du-Vigierius*, quae dubia sunt, inepta, falsa. 1. Recentes Philosophi verisimilius putant, prima stamina foetus contineri in *ovario materno*, quam in spermate maris. Utramque permittit opinionem Wolffius, ut locum habeat sua de *praeexistentia animarum* sive thesis, sive hypothesis. In ovario materno homunculos omnes ab initio inclusos fuisse, si non abnuat Du-Vigierius; admittere cogitur, quemadmodum *Eva prius peccavit*, quam Adamus, ita homunculos illos jam *ante peccatum Adami* peccasse. 2. *Dubia* est, et *a plerisque negatur* communicatio illa, quae inter cerebrum matris obtruditur, ac cerebrum foetus in maternum uterum delati, ut ibi nempe nutriatur, et accrescat, aptusque fiat ad vitales motus peragendos: adeoque *plusquam dubia* fuerit eadem communicatio cum *primis staminibus* foetus, in matris ovario, seu in spermate viri inclusis. 3. Interim *Leibnizius*, *Wolffius*, *Cantzius*, hujusmodi animarum, quae ab initio temporis in corpusculis organicis creatae fuerint, statum perpendentes, non alium adstrui posse viderunt, nisi statum *perceptionum confusarum*, idest sensationis, atque immaginationis, *sine operationibus intellectus*, et *usu rationis:* ex quo colligitur non esse statum, in quo locum habeat *actuale peccatum*. 4. Id vero, cancellos omnes transgressus, admittit *Du-Vigierius:* suisque illis homunculis ait, eamdem legem, quae Adamo, impositam fuisse: eisdemque distinctas latae legis ideas fuisse impressas. 5. Hinc sequitur, *peccatum*, quod ipsi patrarunt, fuisse *personale actuale*, ejusdem quidem cum Adami peccato speciei, sed *numero diversum:*

quod prorsus a vero abludit. 6. Sequitur etiam, peccatum, quo Adae posteri inficiuntur, non esse *per originem* traductum, ut Sancti Patres docent; sed utique *imitatione* potius *quadam* contractum, ut Pelagiani putabant. 7. Cur vero, cum Du-Vigierius homunculis illis, non obstante organorum mollitudine, *claras et distinctas latae legis ideas* concedat, ac etiam *tentationis* pertrahentis ad violationem legis; *plenam* deinde perfectamque ob eam organorum mollitudinem deneget eis *libertatem?* 8. At eorum libertas fuerit libertati similis, quae reperitur in actibus *secundo primis*, ut vocant Theologi: igitur eorum *peccatum leve* fuit, quod cum gratia sanctificante componi posset, ac nullo modo cum Adae peccato comparandum fuerit, adeoque neque *originale* dicendum. Haec vero satis est disseruisse contra commentum, quod risu potius, quam seria redarguitione dignissimum videtur.

II. Recentes alii postremo loco Philosophi succedunt, qui *novam* quotidianam rationalium animarum *creationem* fatentur; sed *prima stamina* foetuum, seu *organica corpuscula*, ab ipso Deo temporis initio elaborata opinantur: in *spermate viri*, ut aliqui putant; in *ovario femineo* inclusa, ut aliis placet. Arbitrantur illi, *animalis*, aut *hominis* in materno utero conceptionem ita fieri, ut unum, vel plura ex hisce corpusculis, in uterum matris simul cum virili spermate ejaculata congressus tempore, ovo femineo inserantur: ubi deinde idoneum alimentum capiant, nutriantur, et crescant. Opinantur alii, seminis masculini ejaculati auram, seu vividiorem partem ad muliebre ovarium deferri, ovum attingere, ejusque ad uterum delati membranas penetrare, primisque futuri foetus staminibus in eo latentibus communicare motum, utque sese explicent, leni blandoque impetu determinare. Ampliora apud Auctores vide.

Id systemati utrique commune, *tunc* solum rationalem animam a Deo *creari*, et organico praeexistenti corpusculo *infundi*, cum eodem in corpusculo ea habeatur in utero matris partium evolutio, quae ad vitae munera obeunda, seu vitales motus agendos immediate sufficiat. Hanc *Sanctus Thomas* excogitationem vidit, noveratque rationis momentum, quod *materiae divisibilitati* innititur *in infinitum:* remque judicavit impossibilem.

Verba ejus accipe, quae habentur in II. Sent. Dist. XXX. Qu. II. Art. II. „Tandem aliquando generatio *naturaliter finiretur* (inquiens) si *per divisionem* illa materia, quae in corpore Adae (vel Evae) fuit, *in tot distributa esset.* Corpus enim *naturale* non est *divisibile in infinitum*, sed solum corpus *mathematicum* . . . . Et dicitur *corpus mathematicum*, corpus consideratum secundum dimensiones quantitativas tantum: et hoc est corpus in genere quantitatis. Hoc enim in infinitum dividi potest: quia in ratione quantitatis continuae non est aliquid, quod divisioni repugnet. *Corpus* autem *naturale* dicitur, quod consideratur secundum aliquam determinatam speciem, et virtutem: et hoc *non potest dividi in infinitum*, quia quaelibet species determinatam quantitatem requirit, et in plus et in minus, sicut dicitur in 2. de Anima: *Omnium natura constantium positus est terminus, et ratio magnitudinis, et augmenti.* Et ideo est invenire *minimam aquam*, et *minimam carnem:* quae si dividatur, non erit

ulterius aqua, et caro. Constat autem, quod *corpus humanum* est naturale corpus: unde *in infinitum dividi non potest*, ut in infinitum generatio duret.“ Integrum lege, et expende locum.

III. Indulgere recentium Philosophorum systemati liceat. Quo posito, eodem prorsus modo *propagatio originalis peccati* explicari potest, quo eam exposuimus in praecedentibus Capitibus. Nimirum rationalis anima a Deo *non creatur*, neque organico corpusculo praeexistenti *infunditur*, nisi vel ovo materno viri spermate fecundato, vel ipso corpusculo in uterum matris simul cum spermate ejaculato. At haec spermatis ejaculatio, et receptio non fiunt *sine libidine*, aut sine *vitio concupiscentiae*: unde jam *occasio*, vel *conditio* praesto est, qua posita corpori infunditur anima, *dono justitiae originalis privata*. Sed *in hac* demum *privatione* originale consistere peccatum, docuimus.

CAPUT LXXII.

Originalis peccati poenae, aliae ad corpus, ad animum pertinent aliae: aliaeque ad vitam praesentem, et aliae ad futuram: ac inter istas, poena damni, seu clarae visionis Dei privatio. Vincentii Victoris distinctionem Regni Caelorum a Paradiso, seu Regno Dei, aliosque errores annexos, refellit Sanctus Augustinus. Infantes, sine baptismo decedentes, aeternam consequi salutem, haeresis est Zuinglii, et Calvini. Objecta nonnulla solvuntur.

I. Poenae multiplices, quibus homines *ob originalem culpam* puniuntur, *ad corpus* aliae, aliaeque *ad animam* pertinent: itemque vitam hanc *mortalem* aliae spectant, et aliae *futuram*. De *morte corporis* lato calamo pertractavimus Cap. III. et Cap. XVII. et Cap. XLI. Mortem corporis temporales aliae praecedunt poenae, idest *innumerae humanae vitae miseriae*, e quibus coalescit *grave jugum* illud, ut ait Siracides in Ecclesiastico Cap. XL. v. 1. quod est *super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae*. Consule Cap. XIX. et Cap. XLI.

Hominis, originali peccato infecti, afficit animum *poena ignorantiae*, quam late exposuimus Cap. XLIV. ad ipsumque animum pertinet *poena concupiscentiae*, quae consistit in rebellione sentientis appetitus adversus rationem, et in privatione perfecti dominii ex parte rationis quae non amplius valet pro suo nutu praevenientes motus carnis impedire, eosque cum insurrexerint pro suo nutu compescere, sopire, extinguere. Recole doctrinam citati Capitis XLIV. et insequentium XLV. et XLVI. Hinc alia sequitur *poena* ejusdem animi, quae posita est in *difficultate agendi boni*, quam laudatis in capitibus declaravimus. Praetermitti documenta non debent, quae tradita sunt Cap. LVIII. et Cap. LIX. ubi in eadem tum *concupiscentia*, tum *ignorantia* duplicem cum Sancto Thoma Aquinate distinguendam rationem proposuimus: alteramque aliquo modo *culpam* esse enuntiavimus, et alteram sine dubio *poenam*.

Haec sunt quatuor illa, quae post *Venerabilem Bedam* appellari solent, *vulnera* naturae humanae per culpam originalem inflicta: idest *ignorantia intellectus*, *malitia voluntatis*, partis animi *irascentis infirmi-*

tas, et concupiscibilis partis concupiscentia. Haec Sanctus Thomas paucis declarat 1. 2. Qu. LXXXV. Art. III. „Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animae vires: et ipsa ratio a Deo perficiebatur, ei subjecta. Haec autem *originalis justitia* subtracta est per peccatum primi parentis. Et ideo omnes vires animae remanent quodammodo destitutae proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: et ipsa destitutio, *vulneratio* dicitur *naturae.* Sunt autem *quatuor potentiae animae*, quae possunt esse subjecta virtutum: scilicet *ratio*, in qua est prudentia: *voluntas*, in qua est justitia: *irascibilis*, in qua est fortitudo; *concupiscibilis*, in qua est temperantia." Perinde res est, si in *uno hominis animo* aut rationes, aut respectus quatuor distinguas *praedictis nominibus* appellatos. „Inquantum ergo ratio destituitur suo ordine ad verum, est *vulnus ignorantiae*: inquantum vero voluntas destituitur ordine ad bonum, est *vulnus malitiae:* inquantum vero irascibilis destituitur suo ordine ad arduum, est *vulnus infirmitatis:* inquantum vero concupiscibilis destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est *vulnus concupiscentiae.* Sic igitur ista quatuor sunt vulnera inflicta toti humanae naturae ex peccato primi parentis." Cum eodem Aquinate animadverte, qui sic ait ad 2. *Malitiam voluntatis*, ut sit vulnus naturae, *non sumi pro peccato; sed pro quadam pronitate voluntatis ad malum, secundum quod dicitur Genes. 6. Proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua.* Haec per culpam originalem inflicta vulnera augentur sine dubio actualibus peccatis, in quae quisque labitur homo. Unde scitissime Thomas ait: *Sed quia inclinatio ad bonum virtutis in unoquoque diminuitur per peccatum actuale* (quo ab ipso virtutis bono cor hominis avertitur, convertiturque ad contrarium); *etiam ista sunt quatuor vulnera, ex aliis peccatis consequentia: inquantum scilicet per peccatum ratio hebetatur in agendis, et voluntas induratur ad bonum, et major difficultas bene agendi accrescit, et concupiscentia magis exardescit.* Consule Cap. XXXIX. num. VI.

Ad poenas *futurae vitae* quaestio redigitur. Catholicam fidem, quae tradit parvulos, sine baptismate decedentes, *damnari*, et *ire in mortem aeternam*, et *excludi a regno caelorum*, idest intuitiva visione Dei privari, ampliore tractatu vindicavimus a Cap. XXIX. Qua in re Pelagianos ipsos, alia permotos ratione, adsentientes habemus.

II. Fidem hanc Ecclesiae catholicae convellebat, Sanctissimi Augustini aetate, *juvenis quidam*, in Mauritania Caesareensi natus, ut idem Augustinus adnotat Libro II. Retractationum Cap. LVI. appellatusque *Victor.* Rogatistarum factioni, quae Donatistarum scissura erat, adhaeserat ille: suoque nomini adjunxit praenomen *Vincentii*, sumptum ex Vincentii illius nomine, qui post *Rogatum* factioni praesidebat. Rem narrat Augustinus Libro III. de Anima Cap. II. Adversus ipsum idem Augustinus calamum acuit scriptis *de Anima libris*, quos memoravimus.

Errores suos, nuper catholicus effectus, procudit, ut ibidem Sanctissimus Pater adnotat Libro I. Cap. II. Itaque *de illis parvulis, qui morte praeveniuntur priusquam baptizentur in Christo* (verba sunt Augustini Cap. IX. num. X.) *cum respondere voluisset; ausus est eis*

promittere, non solum paradisum, sed etiam regnum caelorum. Nimirum parvulis illis sine baptismo decedentibus *paradisum* statim largiebatur: *regnum* vero *caelorum* promittebat in mortuorum resurrectione. Ita errorem ejus exponit Augustinus Libro III. Cap. XIII. num. 19. „Noli credere, nec dicere, nec docere: *aliquos eorum, qui sine baptismo Christi ex hac vita emigraverint, interim non ire in regnum caelorum, sed in paradisum: postea vero in resurrectione mortuorum ad regni caelorum beatitudinem pervenire.*“

Paradisum illum, quem statim post mortem parvulis concedebat, tametsi *Regnum coelorum* esse, idest *visionem beatificam*, inficiaretur, dici tamen posse *Regnum Dei* adserebat. „Forte dicas (ita colligebat ibidem Augustinus Cap. XI. num. 16.) omnia quidem pertinere ad *regnum Dei*, quia regnat in caelis, regnat in terris, in abyssis, *in paradiso*, in inferno: sed aliud esse *regnum caelorum*, quo fas non est accedere, nisi lavacro regenerationis ablutos, propter dominicam fixamque sententiam.“ Consule dicta Cap. XXX. num. 11.

Hisce erroribus error alius adnectebatur. „Sentiens enim quid mali dixerit (ut ait Augustinus Libro I. citato Cap. IX. num. 10.), *sine ulla Christi gratia* animas redimi parvulorum in vitam aeternam, *regnumque caelorum:* et in eis posse solvi *originale* (quod fatebatur) *peccatum sine baptismo*, in quo fit remissio peccatorum; videns ergo, in quam se profunditatem naufragosi gurgitis jecerit: *sane*, inquit, *pro eis oblationes assiduas, et offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia sacerdotum.*“ Hinc non omnibus, sed *aliquibus* parvulis conferendum ajebat in resurrectione mortuorum *Regnum caelorum:* pro pro quibus nempe *sancta sacrificia* oblata fuerant.

Augustinianas hujuscemodi errorum confutationes affero. Distinctionem *Regni caelorum*, et *Regni Dei* profligat Augustinus Libro III. Cap. XI. num. 17. „Ut autem tibi manifestissime appareat non esse *Regnum caelorum* distribuendum *baptizatis*, et alias partes *Regni Dei* dandas quibus tibi visum est, *non baptizatis;* ipsum Dominum audi, qui non ait: *Si quis non renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum caelorum:* sed non potest, inquit, intrare *in Regnum Dei.* Nam verba ejus de hac re, ista sunt ad Nicodemum (Joann. 3. v. 3.): *Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre Regnum Dei.* Ecce non hic dixit *Regnum caelorum*, sed *Dei.* Et cum respondisset Nicodemus, atque dixisset: *Quomodo potest homo nasci, cum senex sit? Numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et nasci?* Eamdem Dominus sententiam planius, apertiusque repetens, ait: *Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ecce nec hic dixit *Regnum caelorum*, sed *Regnum Dei* .... Neque nunc opus est quaerere, atque disserere, utrum *Regnum Dei*, *Regnumque caelorum* cum aliqua differentia sit intelligendum, an res una sit duobus appellata nominibus? Sufficiat, quod non potest introire in *Regnum Dei*, qui non fuerit lavacro regenerationis ablutus.“ Accedit vero, ut ipse Augustinus praemiserat: *Regnum Dei dici, ubi cum illo fidelis familia ejus beate, et sempiterne tota regnabit.* Unde cum in Oratione Dominica petimus, ut veniat *Regnum Dei;* non aliud ora-

mus, nisi ut cum ipso regnare possimus. Num vero regnare cum Deo dicendi fuerint parvuli, qui *sine baptismate decedentes*, decedunt *cum peccato*, atque ideo damnati sunt?

Alium errorem evertit ibidem Cap. XII. num. 18. „Noli credere, nec dicere, nec docere: *Sacrificium Christianorum pro iis, qui non baptizati de corpore exierunt, offerendum.* Quia nec illud, quod de Machabaeorum libris (Libro II. Cap XII. v. 43.) commemorasti Sacrificium Judaeorum, pro eis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum." Adnotatque Sanctus Pater: *Victoris* sententiam *contra Ecclesiae totius consuetudinem, disciplinamque prolatam esse.* Nam *quis offerat corpus Christi* (ut ait Libro I. Cap. IX. num. 10.), *nisi pro eis, qui sunt membra Christi?* At *nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Tertium denique ita refellit errorem Libro III. citato Capite XIII. num. 19. „Noli credere, noli dicere, nec docere: *aliquos eorum qui sine baptismate Christi ex hac vita emigraverint ... in resurrectione mortuorum ad Regni caelorum beatitudinem pervenire*, si vis esse catholicus. Hoc enim eis dare, nec Pelagiana haeresis ausa est, quae opinatur parvulos non trahere originale peccatum: quos tu, quamvis sicut catholicus cum peccato nasci fatearis; nescio qua tamen perversioris novitate opinionis, sine baptismate salutari, et ab hoc peccato cum quo nascuntur absolvi, et in regnum caelorum asseris introduci."

Exemplum objiciebat Vincentius Victor *boni latronis*, cui a Christo dictum referunt Evangelistae: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Responsa duo praesto sunt apud Augustinum Libro I. citato Capite IX. num. 11. Primum accipe: „*Latro ille*, non ante crucem Domini sectator, sed *in cruce confessor*, de quo nonnumquam praejudicium captatur, sive tentatur *contra Baptismatis sacramentum*, a Cypriano Sancto (Epistola ad Jubajanum) *inter Martyres* computatur, qui suo sanguine baptizantur: quod plerisque non baptizatis fervente persecutione provenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum qui haec novit appendere, quod *confessus est Dominum crucifixum*, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim *fides ejus* de ligno floruit, quando discipulorum marcuit... Illi enim desperaverunt de moriente, ille *speravit in commoriente.* Refugerunt illi auctorem vitae, *rogavit ille consortem poenae.* Doluerunt illi, tamquam hominis mortem, *credidit ille*, regnaturum post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, *honoravit* ille socium crucis. Inventa est in eo *mensura martyrii*, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt, qui futuri erant Martyres. Et hoc quidem *oculis Domini* clarum fuit: qui *non baptizato*, tamquam martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit." Responsum alterum est: „Huc accedit, quia *non incredibiliter* dicitur: *latronem*, qui tunc credidit, juxta Dominum crucifixum, *aqua illa*, quae de *vulnere lateris ejus* emicuit, tamquam *sacramento baptismi* fuisse perfusum. Ut omittam, quod eum antequam damnaretur, baptizatum non fuisse, quoniam nemo nostrum novit, nemo convincit."

Alio *Victor* abutebatur exemplo *Dinocratis*, qui sororis *Perpetuae Martyris* precibus, cum septennis mortuus esset, a damnatione liberatus

ferebatur. Dubiae fidei illud esse, primo reponit Augustinus: deinde inepte adhiberi, ostendit. Verba ejus sunt Capite X. num. 12. „De fratre autem sanctae Perpetuae *Dinocrate*, nec scriptura ipsa *canonica* est: nec illa sic scripsit, vel quicumque illud scripsit, ut illum puerum, qui septennis mortuus fuerit, *sine baptismo* diceret fuisse defunctum: pro quo illa, imminente martyrio, creditur exaudita, ut a poenis transferretur ad requiem. Nam illius aetatis pueri et mentiri, et verum loqui, et confiteri, et negare jam possunt. Et ideo cum baptizantur, jam et symbolum reddunt, et ipsi pro se ad interrogata respondent. Quis igitur scit, utrum puer ille *post baptismum*, persecutionis tempore, a patre impio per idololatriam fuerit alienatus a Christo, propter quod in damnationem mortis ierit: nec *inde*, nisi pro Christo moriturae sororis precibus donatus, *exierit?*" Quae postrema verba ita dicta intellige, ut *pluribus* convelli *responsis* Victoris objectionem posse, innotescat.

III. *Juvenis audacis* commentum amplificavere heterodoxi novissimorum temporum homines. Filios namque fidelium parentum *nasci sanctos*, ajunt: ipsosque, sine Baptismo decedentes, aeternam consequi salutem effutiunt. Joannis Calvini in Antidoto ad Sessionem VI. Concilii Tridentini Capite V. verba sunt: „*Infantes a Regno Dei arcere* libuit, qui ante erepti sunt ex hac vita, quam offerri ad baptismum potuerint. Quasi vero de nihilo dictum sit (Epistola II. ad Corinthios Capite VII. v. 14.) eos *nasci sanctos*, qui *ex fidelibus nascuntur*... Invaluit contraria opinio, fateor: sed iniquum est, hominum errore, quamvis diuturno, obrui Dei veritatem. Inclusa est *infantium salus in promissione*, qua Deus fidelibus testatur (Geneseos Capite XVII. v. 7.) *se fore illis, et semini eorum in Deum.* Hac ratione pronuntiabat, *sibi nasci*, qui *ex Abraham ducebant originem.* Hujus promissionis beneficio recipiuntur ad baptismum, quia censentur Ecclesiae membra. Non a baptismo igitur initium habet eorum salus: sed quae jam verbo fundata erat, *baptismo obsignatur.*" Idem antea proposuerat commentum *Zuinglius:* qui plus aliquid ausus est, *probabile existimans, etiam filios infidelium sine baptismo decedentes salvari;* ut ex ejus *declaratione de Peccato originali, ad Urbanum Regium,* refert Bellarminus Libro VI. de statu peccati Capite I.

Scripturarum loca adversa prompsimus plura, dogma catholicum contra *Pelagianam haeresim* vindicantes. Valet etiam Augustini argumentum, quo evincebatur adversus *Vincentium Victorem:* neminem fieri *membrum Christi*, nisi aut *baptismate in Christo*, aut *morte pro Christo.* Accedunt Conciliorum, et Romanorum Pontificum decreta, quae variis temporibus edita sunt contra Pelagianos. In Synodo, quae *Diospoli* anno 415. celebrata est in Palaestina, objectum Pelagio fuit, dixisse ipsum: *Infantes, etsi non baptizantur, habere vitam aeternam.* In Synodi Actis apud Augustinum Libro de Gestis Pelagii Capite II. num. 24. legimus: et hunc, et errores alios, veluti non suos, ejuratos a Pelagio fuisse: immo ipsum *ad satisfactionem Sanctae Synodi anathema dixisse illis, qui sic tenent, aut aliquando tenuerunt.* Animadvertit ibidem Augustinus: *haec certe omnia judicio illo ecclesiastico, anathematizante Pelagio, et Episcopis interloquentibus, esse*

damnata. Dignissima ejusdem Augustini alia est animadversio in Epistola CLXXXVI. alias CVI. ad Paulinum Capite VIII. num. 27. *Pelagius in ecclesiastico judicio, ut aliquo modo catholicus pronuntiaretur, anathematizare compulsus est: infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam aeternam. Hac enim negata*, (verissimam nota consecutionem) *quid nisi mors aeterna remanebit?*

Synodi in Africa duae, *Carthaginensis*, et *Milevitana*, anno 416. coactae sunt, in quibus praedictus error, aliique profligati sunt. Haec habentur in Epistola Synodica, quam Innocentio I. dederunt *Carthaginenses*, num. 6. *Parvulos etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant.... Promittentes, etiamsi non baptizentur, habituros vitam aeternam .... Etiamsi Pelagius, et Caelestius correcti sunt, vel se ista numquam sensisse dicunt, et quaecumque scripta contra eos prolata fuerint, sua esse negant .... Generaliter tamen .... quicumque negat, parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.* In sua ad eumdem Pontificem epistola *Milevitani* Patres: *Nova haeresis*, inquiunt, *et nimium perniciosa, tentat assurgere, inimicorum gratiae Christi:* qui dicunt, *pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur christianae gratiae sacramentis, habituros vitam aeternam.*

Utriusque Synodi Patribus anno 417. rescripsit *Innocentius.* Decreta Sedis Apostolicae auctoritate firmat, quae in utraque Synodo edita fuerant. In Epistola ad Milevitanos haec habentur num. 5. *Illud vero, quod eos vestra Fraternitas asserit praedicasse: parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari; perfatuum est.... Qui autem hanc* (vitam aeternam) *eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum baptismum velle cassare; cum praedicant eos habere, quod in eos creditur nonnisi baptismate conferendum.*

Africanorum Patrum, et Innocentii documenta amplexati sunt successores Romani Pontifices, *Zosimus, Bonifacius, Caelestinus.* Accedit auctoritas Patrum *Ephesinae Synodi oecumenicae* in Epistola Synodica ad Caelestinum: ubi *solida, et firma permanere debere* pronuntiatur, quae ab ipso Caelestino, ac decessoribus contra Pelagianos decreta fuerunt. Addo oecumenicae *Florentinae Synodi* decretum, quo statuitur: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.* Addo *Synodi Tridentinae* anathema, quod Sessione VI. Canone IV. dicitur iis, qui parvulos negant *quidpiam ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari, ad vitam aeternam consequendam.*

IV. An ergo haec solum fuerit *opinio*, ut Calvinus ait, *quae invaluerit?* An fuerit *hominum error*, ut audacius loquitur, quo *Dei veritas obruta sit?* Apostoli Pauli sententiam, *Sanctos* appellantis fidelium filios, Calvino adversantem ostendimus Capite LXVIII. num. IV. germanumque sine dubio sensum exposuimus. Verba opponit ille ipsius Dei ad Abrahamum: *Ero Deus tuus, et seminis tui.* Quis non videat, haec secundum litteram *promissionem* sonare, non *remissionis peccatorum*, et *vitae aeternae;* sed *peculiaris dumtaxat protectionis*, et gubernii, ac felicitatis terrenae pro Abrahae posteris? Mysticum non

inficiamur sensum *promissionis spiritualis*, qui ad Christianos pertineat. Illum exponit Apostolus in Epistolis ad Romanos, et ad Galatas. Brevem, simulque amplissimam sententiam profero ex loco posteriore Capite III. v. 7. *Cognoscite, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahae.* Hoc est, remissionis peccatorum, ac vitae aeternae *promissio* respicit eos, qui *ex fide* filii sunt Abrahae, qui fidem ejus imitantur. Tunc ergo *incipimus*, Apostolo docente, esse filii Abrahae, cum *incipimus esse fideles:* quod habent parvuli *per baptismum*, et baptismatis gratiam. Hanc Dei promissionem haeretico spiritu amplificat Calvinus. At nulla in Scripturis exstat promissio, quae non pendeat *a conditione fidei*, poenitentiae, et bonorum operum, quod attinet *ad homines adultos:* et *a conditione baptismi*, quoad parvulos. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

CAPUT LXXIII.

Ab errore Vincentii Victoris, et ab haeresi Calvini differt Pelagianorum commentum, qui parvulis non baptizatis vitam aeternam largiebantur: refelluntur. Vitam aeternam apud Pelagianos, inter damnationem et Regnum caelorum mediam, accipit communior sententia pro naturali quadam beatitudine. Positam illam censent alii in clara visione Dei extra Regnum caelorum. Utrumque commentum Pelagianis attribuunt alii pro diverso haereseos tempore. Quid Cornelius Jansenius senserit? Refutatur.

I. Ab errore *Vincentii Victoris* longe differebat *haeresis Pelagiana*. Discrimen declarat S. Augustinus Libro I. de Anima, et ejus origine Capite IX. *Haeresis Pelagiana*, inquiens, *nec damnationem metuit parvulis, quos nullum putat habere originale peccatum: nec sperat eis Regnum caelorum, si non perveniunt ad Baptismatis sacramentum. Iste autem* (Victor,) *cum confiteatur parvulos originali obstrictos esse peccato, eis etiam Regnum caelorum non baptizatis ausus est polliceri: quod nec illi ausi sunt, qui eos asserunt sine ullo prorsus esse peccato.* Putabat Victor 1. Parvulos *originali culpa* obstrictos esse. 2. Solvi tamen eam posse *sine Christi baptismo.* 3. Hinc pro eis *oblationes assiduas* fieri debere, et offerenda jugiter sacerdotum sacrificia. 4. His omni culpa expiatos *ex paradiso* quodam pervenire *ad Regnum caelorum* in mortuorum resurrectione. Commentum erat Pelagianorum 1. Parvulos *nasci sine ullo peccato*, adeoque non damnari. 2. Si non baptizati decedant, non introire *in regnum Dei.* 3. Si non baptizati moriantur, *vitam quamdam* consequi, a regno caelorum, sive Dei distinctam, et hanc *futuram esse aeternam* eorum sortem.

Sunt etiam *Calvini* commenta 1. Adae posteros *originali peccato obnoxios* nasci. 2. Sed hanc originalem culpam *non imputari* parentum fidelium filiis ob eam, quae *Abrahae* facta est et ejus semini, *divinam promissionem.* 3. Filios eosdem *nasci sanctos*, et membra Ecclesiae. 4. Etsi decedant sine baptismate, *ad vitam aeternam*, regnumque caelorum pervenire. *Pelagianae haereseos* jam innotescit discrimen 1. Nasci parvulos *innocentes*, nullo inquinatos peccato. 2. Non nasci *sanctos*, et *filios Dei adoptivos*, et membra Ecclesiae. 3. Haec dona, et regnum caelorum, *nonnisi baptismatis gratia* obtineri

posse. 4. Adeoque decedentes sine baptismo, non introire *in regnum Dei*, sed neque ire *in damnationem*; sed *medium quemdam* pro eis destinatum esse locum, ubi sempiternam vitam viverent, felicem, et beatam.

Hanc Pelagianorum haeresim profligant, quae superiore Capite num. III. memoravimus Ecclesiae Catholicae decreta, adversus *Caelestium*, et *Pelagium*, medium hunc locum confingentes, a Synodis, et a Romanis Pontificibus edita. Rem hanc uberius pertractavimus Capite XXIX. et XXX.

Quid nomine *vitae aeternae beatae*, quae *damnationem* inter, ac *regnum caelorum* mediam foret, intelligerent Pelagiani, satis indicavimus citatis in Capitibus. Latissime quaestionem versat *Jansenius Iprensis* Libro III. de Haeresi Pelagiana a Capite XIX. quam hoc etiam loco liceat diligentius versare. Praemittenda tria sunt, quae pro certis, compertisque haberi debent. 1. *Vitam aeternam* distinguebant Pelagiani a *regno caelorum*, quod Sanctis cum Christo regnantibus tribuitur: ac istud parvulis sine baptismo decedentibus adseruere numquam, Christi sententiae inhaerentes: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* 2. Vitam aeternam intelligebant, *oppositam aeternae morti:* aeternaque mors tum illis, tum Catholicis *damnatio* erat, quae in inferno peccatoribus infligitur. Hanc aeternam parvulorum mortem, seu damnationem inficiabantur Pelagiani. 3. *Medium* damnationem inter, ac Regnum caelorum distinxere *locum*, in quo sempiternam vitam ducerent parvuli, felicem, et beatam.

II. Quisnam vero *medius iste locus*, quaenam fuerit *vita illa aeterna, felix, et beata?* An *beatitudo* quaedam *naturalis*, naturae viribus proportionata? An etiam *visio clara Dei extra regnum caelorum*, et sejunctim a Christi Sanctorumque consortio? Quamplura praesto sunt argumenta, queis evinci posse videtur: non aliam Pelagianos intellexisse vitam aeternam, quam *beatitudinem, naturae conditioni et viribus proportionatam:* idest vitam quamdam, quam extra regnum caelorum, et sejunctim a Christi Sanctorumque consortio, ducerent parvuli tranquillam; *Deum cognoscentes* per ea quae facta sunt, ipsumque sic cognitum *amantes.*

Ac primo Pelagianorum refert haeresim *Augustinus* Libro de Haeresibus num. 83 his verbis: *Eos* (parvulos adserunt) *propterea baptizari, ut regeneratione adoptati admittantur ad regnum Dei... Nam etiamsi non baptizentur, promittunt eis, extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam et beatam quamdam vitam.* Duplex vita satis indicatur: alia *in regno Dei:* et alia *extra regnum Dei*, quae *vita quaedam beata* appellatur. Quid aliud est vita aeterna in regno Dei, nisi quae a Jesu Christo exponitur, *ut cognoscant te solum verum Deum.* Hanc intelligunt omnes *claram, et intuitivam Dei contemplationem*: unde colligitur, aliam vitam extra regnum Dei positam esse in *naturali* cognitione Dei, et in amore Dei, qui *naturalis* vocatur.

Pelagianum idem commentum his verbis exprimit Sanctissimus Pater Libro I. Operis imperfecti contra Julianum num. 130. *Si non in regno ejus, certe in loco aliquo secundae felicitatis, quem talibus aedificavit haeresis vestra, vitam teneant sempiternam parvuli.* Quid haec

fuerit parvulorum felicitas, quam *secundam* vocat Augustinus, nisi felicitas quaedam *inferioris notae*, et longe distans a *clara visione Dei?* Fuerit ergo cognitio Dei per ea quae facta sunt, et Dei sic cogniti amor in aliquo loco, ubi nulla molestia, sed tranquillitas.

Non alia parvulorum felicitas intelligi potest a Pelagianis excogitata, nisi quae *eorum statui* congrueret. Atqui ille est juxta Pelagianum commentum, *omnino naturalis: sine illuminatione spiritali*, ut ait Augustinus Libro I. Operis imperfecti num. 53. sine *adoptione filiorum Dei*, sine *municipatu Jerusalem caelestis*, sine *sanctificatione, atque in Christi membra translatione*, sine *possessione regni caelestis*. Igitur non alia adsignari posse videtur felicitas aeterna, quam parvulis tribuerent, nisi *naturalis*, seu naturae conveniens, quae *vires non habet*, ut sibi adsciscat *adoptivam filiationem Dei*, translationem in Christi membra, et possessionem regni caelestis.

Id enim clarissimis verbis fateri videtur *Caelestius* apud Augustinum in Libro de peccato originali Cap. V. num. 5. *Confitemur*, inquiens, *quia Dominus statuit regnum caelorum nonnisi baptizatis posse conferri: quod quia vires naturae non habent, conferri necesse est per gratiae liberalitatem*. Compertum est, ideo gratiam baptismi necessariam adseri ad regni caelorum possessionem, quia *naturae vires hoc non habent*. Cur ergo gratia baptismi juxta Pelagianorum mentem non erat ad vitam aeternam necessaria? quia nempe *hanc vires naturae habent*. Quod est perinde, ac dicere, vitam illam aeternam esse *naturalem*.

Ac sane quaenam fuerit Pelagianis vita aeterna *in regno caelorum*, nisi *clara Dei visio, illuminatis, adoptatis, sanctificatis, inter membra Christi translatis*, (quaecumque demum haec fuerint juxta mentem Pelagianorum dona gratiae, ut adnotavimus Capite XXX.) *promissa*, et concessa? Neque enim putandum est, regnum caelorum juxta Pelagianos naturae vires excedere *ratione loci dumtaxat*, ac propter Christi consortium, et Sanctorum. Loco illi namque beatitudo Sanctorum illigata non est: neque gratia dicenda est necessaria propter *materialem locum* occupandum: neque demum ita delirasse videntur Pelagiani, ut *visionem claram Dei* viribus naturae adscriberent, et supra naturae vires extollerent *consortium Sanctorum*, et *materialem locum*.

Juliani denique verba sunt apud Augustinum Libro II. Operis imperfecti num. 172. *Post reconciliationem* (Baptismi,) *quam cum Deo habere promeruimus, per opera videlicet Mediatoris; debemus percipere animo sempiterna gaudia: et non solum salutem sperare, sed etiam gloriam*. Quo in loco *salus*, ac vita quaedam aeterna distinguitur a *gloria*, et *sempiternis gaudiis*: quae scilicet *ex contemplatione clara Dei* percipiuntur.

III. *Vitae aeternae*, quam parvulis non baptizatis largiebantur Pelagiani, ac *regni caelorum* quod illis denegabant, minime arbitrantur nonnulli positum esse discrimen in *visione clara Dei* quae regnum caelorum diceretur, et in *cognitione naturali Dei* extra regnum caelorum, quam *vitam aeternam* vocarent: sed in eadem clara visione Dei *in regno caelorum* cum Christi et Sanctorum consortio, et in

eadem *extra regnum caelorum.* Hanc enim Pelagianam sententiam refellentes *Augustinus*, et *Patres*, aerem verberassent, inquiunt; cum praesto Pelagianorum responsio foret, baptizatis *vitam supernaturalem*, seu *claram Dei visionem* concedi, non baptizatis vero *vitam, ac felicitatem naturalem:* sed aerem non verberaverunt, immo ad angustias redigebant adversarios, propterea quod invictis argumentis evincebant, *vitam aeternam*, quae non alia est nisi *visio clara Dei in regno caelorum*, parvulis non baptizatis non dari. Refert Augustinus Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XXVII. num. 40. verba Joannis, quae habentur in Evangelio Capite X. v. 27. *Qui de ovibus meis sunt, vocem meam audiunt: et ego novi illas, et sequuntur me; et ego vitam aeternam do illis, et non peribunt in aeternum.* Haec vita aeterna est visio clara Dei. Notam appingit Augustinus: *Quia ergo de ovibus ejus*, inquiens, *non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profecto si hoc non accipiunt, peribunt: vitam enim aeternam, quam suis dat ovibus, non habebunt.* Parvuli non baptizati non habebunt *vitam aeternam*, quae datur ovibus Christi. Sed haec ovium Christi vita aeterna est *visio clara Dei.* Hanc ergo parvulis illis negabant Catholici, adserebant Pelagiani.

Ibidem refert Sanctissimus Pater verba Petri Apostoli Epistola I. Capite II. v. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus aquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Et Capite III. v. 18. *Christus pro peccatis nostris mortuus est: justus pro injustis, ut nos adducat ad Deum.* Et v. 21. *Quod et vos nunc similis formae salvos facit baptisma.* Haec salus, haec adductio ad Deum, hoc admirabile lumen significant visionem claram Dei. Ait vero Augustinus: *Ab hac ergo salute, et lumine alieni sunt parvuli, et in perditione ac tenebris remanebunt, nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati.* Patet ergo, parvulis denegari claram visionem Dei, quam ipsis largiebantur Pelagiani.

Adhibet idem Augustinus alia Joannis verba, quae habentur ibidem Capite V. v. 11. *Hoc est testimonium, quoniam vitam aeternam dedit nobis Deus: et haec vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, vitam non habet.* Augustini animadversionem accipe: *Non solum igitur regnum caelorum, sed nec vitam parvuli habebunt, si Filium non habebunt: quem nisi per baptismum ejus habere non possunt.* Vita parvulis non baptizatis denegatur, quae datur iis qui habent Filium. Haec est vero *visio beatifica.*

Affert demum Doctor Africanus illa verba: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam aeternam.* Haec verba significant fidelium, veluti membrorum, adunationem sub Capite Christo. Ex his passim *Augustinus*, et *Innocentius I.* in Rescripto ad Milevitanos colligunt: *Parvulos aeternae vitae praemia sine baptismatis gratia* non habituros. Verum enim vero haec *aeterna vita*, quae conceditur carnem Filii hominis manducantibus, idest membris Christi, non alia est, quam *supernaturalis clara visio Dei.*

IV. Utriusque partis argumentis, quae prolata sunt, permotus *Vir quidam illustris*, quem nomine suppresso laudat *Jansenius* loco citato Capite XXI. arbitrabatur, utramque partem veram esse; *tempora haereseos Pelagianae* si distinguantur. Putat ille, Pelagium, ejusque asseclas *initio haereseos* docuisse: parvulis sine baptismo denatis, quia sine peccato nascerentur innocentes, dari *extra regnum coelorum visionem ipsam beatificam:* qua baptismate abluti *in societate Christi*, et *Sanctorum consortio* perfruuntur *in caelis*. Addit vero, Pelagianos argumentis Catholicorum convictos a priore sententia recessisse: aliamque excogitasse *beatitudinem naturalem*, parvulis non baptizatis conferendam. Hanc eorum variationem confirmari posse confidit ex Libro de Praedestinatione Sanctorum Capite XIII. ubi S. Augustinus haec habet: *Hoc si auderent Pelagiani, non jam laborarent, negando originale peccatum, quaerere parvulis extra regnum Dei, nescio cujus, suae felicitatis locum: maxime quando convincuntur, non eos habere posse vitam aeternam, qui non manducaverunt carnem, nec biberunt sanguinem Christi.*

Vidit *Jansenius*, his nullam indicari verbis Pelagianorum variationem: qui felicitatem *clarae visionis Dei* commutaverint in *naturalem felicitatem.* Immo vidit in ipsis ejusdem sententiae, quam ab initio conceptam semper retinuerunt, tutandae solicitudinem: cum *aeternam vitam*, quam parvulis tribuebant, eos habere *sine gratia Christi* non posse convincerentur.

V. Nititur ergo *Jansenius* adducta Augustini argumenta, quae adversari sibi invicem videntur, conciliare. Fatetur ille Capite XXIII. Pelagianos, nonnisi *naturalem quamdam* innocentiam, ac vitam, ac sanitatem in hac vita nascentibus adscripsisse: nec vitam aeternam aliam, quam *naturalis cujusdam felicitatis*, sine baptismo decedentibus promisisse. *Quorum unum,* inquit, *expressis verbis, in terminis, saepius dicunt: alterum ita indicant, ut res ipsa sententiam eorum clamare videatur.* Hanc nos naturalem felicitatem intelligimus, qualis foret in *possibili naturae statu.*

Status hujusce naturalis, quem Pelagiani excogitaverunt, conditiones distinguit Jansenius duplicis generis. *Primi generis sunt,* inquit: *esse innocentem ac sine peccato, non esse mortuum animo, esse salvum ac sanum, ac sine ulla peccati aegritudine: denique naturaliter sive in praesenti, sive in aeterna vita, sine animae damnatione, et perditione, esse felicem.* Posterioris generis conditio est: *ignorantiae, libidinibus, morbis omnibus hujus vitae calamitatibus, Diaboli vexationibus, morti ipsi esse obnoxium: ac denique post hanc vitam separari a regno Dei.* Hunc statum, quatenus ad conditionem *purae naturae* spectat, aliis nos coloribus minus atris expressimus. Hinc vero animadvertit Jansenius: *minime* Sanctum Augustinum *quid dicerent, aut sentirent Pelagiani, sed quid eorum dicta, atque sensa continerent, respexisse, et examinasse.* Unde ex *uno capite impossibilem esse videbat hujusmodi statum innocentiae, et felicitatis, quem illi naturalem statuebant, nisi eum per supernaturalem gratiam divina bonitas largiatur: et alio capite itidem impossibilem, nisi per divinam justitiam peccantibus, tamquam supplicium, imponatur.*

Haec belli ab Augustino moti, et acti contra Pelagianos ratio fuit, Jansenio auctore: ipsique victoria cessit. *Suam nempe absurditatem cum argumentis Augustini fractam animadverterent, in miris angustiis constituti aestuabant... Quia mortem perpetuam innocentibus suis infligere, vetabat justitia: vitam aeternam, hoc est qualemcumque fingerent naturalem beatitudinem, eis polliceri, Augustini argumenta prohibebant. Talis enim qualiscumque vita, atque beatitudo obtineri non potest, nisi anima vivat; vivere autem non potest anima, nisi vivat ex Deo.* Hinc demum *quamvis naturalem a Pelagianis praedicari parvulorum statum non ambigeret Augustinus; et quamvis statum illum, propter conditiones quas involveret, reipsa sine supernaturali gratia obtineri nullo modo posse sentiret: utrum tamen secundum eorum sententiam in clara, vel obscura, vel etiam nulla Dei visione consisteret,* diligentiore studio perquirendum, pretium operae minime censuit.

VI. Janseniana haec concordia ex Jansenianis illis tota pendet commentis, quae ad examen revocavimus, ac sane rejecimus Capite XXXVI. et Capite XXXVII. Nimirum *statum purae naturae*, et innocentiam, ac beatitudinem, quae *viribus naturae* proportionata sit, censet ille impossibilem: ipsamque nihilominus innocentiam, et beatitudinem, ac visionem claram Dei, Deique clare visi dilectionem, simul *naturalem* vocat, et *supernaturalem*. Haec nos commenta insequuti sumus, citatis locis.

Argumentorum, quae in Pelagianos torquebat Sanctissimus Pater, vim totam pendere ostendimus ibidem ex illa *divinae providentiae ordinatione* circa genus humanum, quam *divinae Scripturae* patefaciunt. Ex his vero notum fit, naturam humanam conditam fuisse cum *elevatione ad sublimia dona gratiae*, et *ad supernaturalem beatitudinem*, quae in *clara visione Dei* consistit: adeoque *medium* dari *locum* nullum damnationem inter, et vitam aeternam: ac *vitam aeternam* non aliam esse nisi *regnum caelorum*, seu visionem claram Dei in consortio Jesu Christi, et Sanctorum. Quo posito Ecclesiae catholicae dogmate, perinde fit, parvulos sine baptismate decedentes *regno caelorum* excludi, ac *vita aeterna* privari. Num alia quaedam *possibilis* foret *vita aeterna*, quae consisteret in *naturali Dei cognitione*, et *amore*, expendere noluit Augustinus. Ita Pelagianos tamen sensisse, et hanc vitam aeternam viribus naturae consentaneam, datam esse parvulis sine baptismo decedentibus, noverat sine dubio. At opus non erat, ut in eam, ejusque conditiones inquireret diligentius; cum praesto essent compertissima *Scripturarum* documenta, quae *mediam* vitam istam *damnationem* inter, et *regnum caelorum* in praesenti divinae providentiae dispositione explodebant. His revera Augustinianis argumentis in angustias redacti Pelagiani, naturalem vitam aeternam, quam excogitaverunt, nedum *possibilem*, sed *reipsa exstantem*, tueri vix poterant. Maximeque ex eo, quod admittebant doctrinae principium fortissime confodiebantur: quia naturam humanam agnoscebant *ad sublimia dona* elevatam, *quas vires naturae non habent*, ut ostendimus Capite XXX.

Dignissimum praeterea animadversione: *vitae aeternae* nomine non intellexisse Pelagianos *naturalem quamdam duntaxat beatitudi-*

nem, in aliqua naturali cognitione Dei, et aliquo Dei naturali amore positam; sed utique *oppositam* tum morti primae, idest *peccato*, tum morti secundae, idest *poenae, ac damnationi aeternae*. Id enim eorum haeresis exposcebat, quae originale inficiabatur peccatum, parvulosque nasci innocentes obtrudebat. Hanc vitam aeternam adseri parvulis non posse, invicte probant argumenta, quae depromebat Augustinus ex divinis eloquiis. Neque id unum probare nitebatur Sanctissimus Pater, non habere scilicet parvulos, nisi baptizentur, vitam qualemcumque aeternam: quod eludere adversarii potuissent, *duplicis illius beatitudinis* distinctione. Id certe probandum adsumebat, non habere illos vitam aeternam, *primae, et secundae morti oppositam:* sed eos, nisi baptizentur, *perire ac damnari*. Hinc verba ejus sunt: *Quia ergo de ovibus ejus non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum; profecto si hoc non accipiunt, peribunt: vitam aeternam, quam suis dat ovibus, non habebunt.* Itemque: *Ab hac ergo salute, et lumine alieni sunt parvuli: et in perditione, ac tenebris remanebunt, nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati.* Hanc unam vitam aeternam, *aeternae perditioni contrariam*, patefaciunt sacra eloquia, quae *divinae praesentis providentiae* consilia manifestant: et hanc vitam aeternam parvulis non baptizatis minime dari, sacris eisdem eloquiis invicte persuadebat Augustinus.

CAPUT LXXIV.

Cum aeterna parvulorum, qui sine baptismo decedunt, damnatione conjungunt Theologorum nonnulli naturalem beatitudinem, magis, minusque perfectam. An haec censuram contra fidem mereat opinatio, varie sentiunt Theologi. Sapientior, ac prudentior est eorum sententia, qui parvulis eisdem, licet aliquo modo Deum auctorem naturae cognoscentibus, ac diligentibus, naturalem omnem denegat beatitudinem.

I. Parvulos nasci *peccato originali* inquinatos, eosque *in sempiternam ire condemnationem*, si baptismatis unda salutari non prius abluti fuerint, catholica fides docet. Parvulos istos innocentes nasci sine ullo peccato, ipsisque sine baptismo decedentibus regnum caelorum, seu claram Dei visionem non dari, sed neque damnationem ac mortem aeternam obtingere, conferri autem naturalem quamdam sempiternam felicitatem, Pelagianorum haeresis est. Mediam hanc naturalem felicitatem, veluti exstantem in praesenti divinae providentiae systemate, duplici via insequebatur Augustinus, quin ullam de possibilitate ejus in *possibili purae naturae statu* quaestionem moverit. Ac primo Scripturarum auctoritate, quae praesentis divinae providentiae leges patefaciunt, evincebat sine dubio: parvulis sine sacro lavacro decedentibus, si innocentes forent sine ullo peccato, dari vitam aeternam debuisse, ac dari regnum caelorum, quae eadem omnino sunt, scilicet claram visionem Dei in caelis. Ac deinde, *vitam aeternam*, quaecumque ea sit, juxta easdem praesentis providentiae leges, Scripturarum revelatione notas, dari nullam, quae media sit inter vitam aeternam, quae est *clara visio Dei* in regno caelorum, ac inter *mortem peccati*, et damnationem sempiternam, seu

visionis clarae Dei aeternam privationem. Haec possibilis fuisset in possibili purae naturae statu, in quo innocentes homines aeternam felicitatem, aut beatitudinem naturalem, licet visione divina carentes, non utique *privati*, consequerentur.

Fide catholica peccati originalis in parvulis, ac sempiternae ipsorum sine baptismo decedentium ob originalem culpam damnationis in tuto posita; sibi fas esse non pauci Theologorum arbitrati sunt, in quaestionem vocare, num cum morte peccati, ac aeterna damnatione, seu privatione clarae visionis Dei, conjugi queat in parvulis sine baptismo decedentibus, *naturalis aliqua ipsorum beatitudo?* Id vero pro certo habent, nulla eos aeterna sensus poena puniri: qua de re agendum est Capite sequente. Conjecturis humanis laxarunt habenas alii, aliique limites aliquos magis minusque circumscripsere. Haud operae dispendium fuerit, in hoc argumento quidpiam studii impendere.

Satis est erga pueros illos munifica *Ambrosii Catharini* excogitatio. Verba ejus sunt in Libro de Statu parvulorum sine Baptismo decedentium: „Non erat conveniens (inquientis) ut quidquam fraudaretur suo fine: idest illo, qui ei secundum naturam competit. Idcirco *parvulos* ea manebit *felicitas*, quam homini dignum est competere, *ut homo est.* Ergo istis parvulis, qui humanam naturam *sine crimine* (actuali personae) habebunt, illa quae *humanae naturae convenit*, et quodammodo ipso jure debetur, *felicitas* dabitur. Noscent ergo, *quatenus naturalis cognitio se extendere possit*, Dominum Deum, et substantias separatas, longe super omnes Philosophos. Non enim ullum habebunt impedimentum ex corpore, neque interius, neque exterius: et in aeternum viventes, *proficient quasi in immensum*... Non sunt futuri *proprie exules* a regno Dei, sed *relegatis* magis similes. Unde probabile mihi videtur, quod *non carebunt angelicis revelationibus*, et visitationibus etiam eorum qui erunt in caelis: qui sic recreabunt eos, et solabuntur, ut praeter *divinae visionem Majestatis*, nihil eis deesse intelligamus ... Probabilissimum judicavi, quod quidam dicunt: *habitationem eorum fore super hanc terram*, quia proprius est locus hominum: ubi contemplabuntur opera Dei.“ Suas ultra, quam par est, provexisse conjecturas Catharinum, quis non videat?

Minus ampla jam ante scripserat *Hieronymus Savanorola* in Triumpho Crucis Libro III. Capite IX. „Cum ergo (inquiens) nulla *sensibilis poena* illos afficiat; consequens est, ut bona quae natura hominibus debentur, humanitatis jure ipsi consequantur: ut naturalium puta rerum *scientiam*, divinorumque contemplationem *per ea, quae facta sunt:* et quidquid *humanae felicitati* naturaliter tribui potest; alioquin naturali, et optato munere privati, tristitia carere non possent. Deus etiam liberalitate sua aliqua eis supernaturalia dona conferet, ut *corporis immortalitatem.* Motus siquidem caeli cessabit, generatioque, et corruptio: unde omnes resurgent immortales, neque amplius corporis alimentis, aliisve necessariis egebunt: nullique infirmitati, aut molestiae, vel repugnantiae erunt obnoxii: sed potius laetabuntur, Dominumque laudabunt. Et quamvis credamus,

eorum nunc morientium animas ad inferos transmeare, ad eam videlicet. partem subterraneam, quam parvulorum insontium limbum vocamus; nulla tamen poena plectuntur ex loci conditione: anima enim a corpore separata per se a locali situ non patitur. Post resurrectionem tamen arbitror, salva semper determinatione Sanctae Romanae Ecclesiae (nihil enim super hoc inveni definitum) *super terram*, tum defaecatam glorificatamque, *eos habitaturos:* Deumque in perpetuum magnificaturos."

Paria scripserunt Auctores alii magis minusque circumscripta. Diligentiorem affero enarrationem *Gregorii Martinez* l. 2. Tomo II. Qu. LXXXIII. Art. IV. Dubio II. „Sententia (quae *pueris in limbo aliquam tribuit felicitatem*) probabilior videtur. Dicendum enim, quod in altera vita parvulis infundentur *species ad cognoscendum* ... Et si aliquae sint infundendae, eadem est ratio de omnibus, quae *ad cognitionem naturalem* pertinent ... Quae tamen *cognitio*, et *delectatio* sequens, *inaequalis erit* secundum inaequalitatem ingenii: nec erit continua, sed pro libito modo major, modo minor, prout intellectioni magis vacare voluerint.

„Erit in illis *dilectio auctoris naturae*, licet imperfecta: non solum *implicita*, quae in dilectione boni in communi continetur; sed etiam *explicita*, terminata ad ipsum Auctorem naturae, quem *in particulari* considerant. Haec omnia non aliter probantur, quam *ex benignitate Dei.* Cum enim eorum *peccatum* sit *naturae*, non videtur puniendum in his, quae *ad personalia* pertinent: sicut est, quod animae in altera vita recipiant *species intelligibiles;* et monstrosum quid esset, quod substantia spiritualis omnino esset expers rationis, sicut truncus.

„*Post diem judicii* probabilius est, quod non revertentur ad limbum, *sed remanebunt in hac luce naturali,* contemplantes, et sibi invicem colloquentes: poteruntque *in scientia proficere* .... Haec erit *naturalis quaedam beatitudo imperfecta,* quae conjungi potest *cum privatione supernaturalis beatitudinis.*

„Nec eadem est ratio *de damnatis:* qui non habent hanc etiam *dilectionem naturalem explicitam;* sed potius Deum continuo actualiter odio habent, et blasphemant. Infantes vero *aversi sunt a Deo habitualiter;* non autem secundum actum, cum peccatum illorum non sit actuale.

„Si autem quaeras, utrum haec beatitudo faciat *simpliciter beatos:* aut eorum infelicitas, et damnatio faciat *simpliciter infelices?* respondetur, neutrum *absolute* dicendum; sed cum distinctione *quodammodo felices*, et *quodammodo infelices*, secundum diversa. *Melior* esset *conditio* illorum, qui decederent *in puris naturae.* Isti enim dicerentur *simpliciter beati*, quia in supernaturalibus non haberent *poenam damni*, cum gloria non esset debita: et *in naturalibus* haberent perfectiores species, perfectiorem cognitionem, majorem dilectionem auctoris naturae, et delectationem ortam ex illa."

In hanc ivisse *Ludovicum Molinam* opinionem, quae de pueris illis munificentissime sentit, patefacit Thomas de Lemos in Panoplia Gratiae Tomo I. Tractatu I. de laesione liberi arbitrii per peccatum

originale Cap. XXII. Argumentum sumitur ex ejus doctrina, quae habetur in Concordia etc. Qu. XIV. Art. XIII. Disput. III. „Eo ipso (inquientis), quod *primus parens peccavit*, totum genus humanum ab eo propagandum *donis omnibus supernaturalibus* juste fuit *spoliatum:* destitutaeque sunt vires naturales eo vigore, quem a justitia originali, et ab aliis donis supernaturalibus erant recepturae. At *vires naturales* tales secundum se manserunt, *quales* illas essémus habituri, si *in puribus naturalibus* ad finem tantum naturalem a principio conditi fuissemus etc.“ Originali peccato laesum non fuisse in naturalibus hominem, censet ille. Hinc discrimen patet ab opinione *Gregorii Martinez*, aliorumque Theologorum: tum quia quam ipsi pueris tribuunt naturalem beatitudinem, *ex benignitate Dei* proficisci fatentur: tum quod etiam adserunt, *meliorem* sine dubio futuram fuisse *conditionem eorum, qui degerent in puris naturae.* Liberaliorem Caelestini Sfondrati opinionem infra indicabimus.

II. *Haec sententia, concedens parvulis naturalem beatitudinem, nullam censuram contra fidem meretur.* Verba sunt *Petri de Godoy*, Oxomensis Episcopi Ord. Praedicat. 1. 2. Qu. LXXXIII. Tractatu IV. Disput. XXXVIII. §. VIII. Quod intellige judicium de praecipua sententiae parte, circumstantiis ademptis ab isto, vel illo Scriptore adjectis. „Num. 146. Moveor 1. auctoritate Doctorum, qui praefatam sententiam tuentur, quibus alii *Moderniores* adhaerent: quos omnes contra fidem errasse, nonnisi urgentissimo fundamento licet asserere. 2. Quia omnia, quae in favorem *verae sententiae* (oppositae scilicet) *ex Scriptura*, et *Conciliis* petuntur, si quis velit cum *beatitudine naturali* componere, et *de sola carentia felicitatis supernaturalis perfectae* explicare; non poterit evidenter convinci. Ergo illam defendentes sententiam, neque *haeresis*, neque *erroris contra fidem* possunt notari. Alias pro illa plurium *Antiquorum*, et *Recentium* stat auctoritas, nec rationes verisimiles desunt: ergo *temeritatis nota* nequeunt censeri. Denique non potest negari, esse *valde probabile:* infantes, sine baptismo morientes, *Deum naturae auctorem perfecte cognoscituros*, et *naturali dilectione amaturos:* cum id satis indicet divus Thomas, et concedant plures non ignobiles Theologi, nec alii impossibile censeant.

„Sed esse necessariam *libertatem a peccato*, ut per actus praedictos (naturalis cognitionis, ac naturalis amoris Dei) homo constituatur beatus *naturali beatitudine;* nec in *Scripturis* satis est revelatum, nec *in Conciliis* definitum, nec ex revelatis, aut definitis *evidenti illatione* colligitur: nec est communi *Patrum*, et *Doctorum* consensu firmatum. Ergo asserentes, parvulos praedictos *naturali beatitudine* fore beandos, nec *erroris*, nec *temeritatis* nota debent damnari.

„Num. 147. Si opponas, *ab Augustino* sententiam rejici, *ut Pelagianam*... responderi potest (ibidem in fine): *Pelagianos* attribuisse parvulis vitam beatam extra regnum caelorum, *liberam a morte peccati:* et in hoc ab Augustino damnari. Theologi autem, attribuentes parvulis *naturalem beatitudinem*, non excludunt *mortem peccati;* sed cum illa censent, beatitudinem naturalem componi ....

„Si dicas, parvulos modo *in limbo* esse, et *in tenebris:* ac juxta Ecclesiastis verba, *ubi ceciderit lignum, ibi erit:* haec non obstant:

nam intelligenda sunt de *immutabilitate* poenae et praemii, status peccati vel gratiae; cum quo *loci mutatio* componi potest (num. 150.). Si objicias, post finale judicium *terram aquis cooperiendam* esse: dici potest, *aliquam partem terrae* discoopertam remansuram, ut docent Paludanus, et Martinez (num. 151). Ratio fingi nulla potest, ut post finale judicium *a limbo* eruantur in lucem. Responderi potest (num. 152.) discrimen esse. Nam locus, *aptus exercitio sensuum*, non debetur animae *a corpore separatae*, sed tantum *corpori unitae:* ac proinde tali loco privari non potest dolorem inferre animae in *statu separationis*, bene tamen in *statu conjunctionis*, quo gaudebit post finale judicium." Haec Petrus de Godoy, qui loco citato §. IX. statuit: *sententiam negantem parvulis naturalem beatitudinem, veriorem esse, et conformiorem Scripturis, Conciliis, et Patribus.*

Catharini, aliorumque excogitationem censura dignam censet *Robertus Bellarminus* Libro VI. de statu peccati, seu III. de peccato originis Cap. I. Censurae notam vocat, *errori Pelagianorum proximam:* vitae namque parvulorum sine baptismo decedentium beatae addebant illi naturalem innocentiam, sine morte peccati, sine ulla poena, sine condemnatione. Adserta ejusdem Catharini loco superius descripto expressa insequitur Bellarminus argumentis sine dubio validissimis. Pauca, et praecipua affero, quae habentur Cap. III. „Ac primo falsum est, *non esse conveniens, ut quidquam fraudetur suo fine.* Quin potius conveniens est, ut summus provisor omnium rerum dirigat quidem omnia ad suum finem; sed tamen aliqua ab eo fine excidere permittat. Vide Sanctum Thomam I. P. Qu. XXII. Art. II. et Qu. XXIII. Art. III. Deinde falsum est, parvulos sine baptismo decedentes, *naturam humanam habere sine crimine:* nisi per crimen actuale peccatum intelligi velis. Sed quidquid sit de nomine, certum est parvulos naturam habere peccato depravatam: et esse filios irae, ac per hoc nullo jure deberi eis felicitatem. Denique falsum est, *naturalem esse felicitatem* (idest naturae debitam), *vivere in aeternum, cum corpore penitus immortali, proficere in immensum, nullum impedimentum ex corpore habere, intelligere Deum et substantias separatas supra omnes Philosophos, idque sine labore, sine Doctore, sine libris, aliisque discendi instrumentis.*" Quae maxime intelligenda sunt de natura humana peccato infecta, ac damnata. „Nihil enim horum natura humana per se requirit: quin potius naturale est homini corpus habere mortale, cibo ac potu indigere, pendere a sensibus corporalibus, in scientiis acquirendis non sine magno labore pervenire ad intelligentiam, quamvis exiguam ac tenuem rerum incorporalium. Quare *non resurgent parvuli ad vitam immortalem,* quod ita postulet eorum natura, vel quod ipsis ut valde utile sit futurum, sed ut justitia Dei in eorum perpetua damnatione cernatur. Et ideo corpus habebunt, immortale quidem; sed non impassibile, non spirituale, non gloriosum. Mentem quoque habebunt, non quidem actuali peccato inquinatam; sed habitualiter a Deo aversam, nullisque scientiis aut virtutibus ornatam.

Non sunt parvuli illi, inquiebat Catharinus, *proprie exules a regno Dei* futuri; sed *relegatis magis similes.* Inter *exulem*, et *relegatum*

ea differentia constituitur: ut exules *jus civitatis amittant*, relegati *retineant*. Quare si parvuli, non baptizati, dicendi sint non exules a regno Dei, et a civitate sancta Hierusalem caelesti, sed relegati: id sequetur, ut ejusmodi parvuli haberi debeant cives Sanctorum, domestici Dei, filii regni, et membra corporis Christi ... At quis ferat Catholicus, ut homines sine fide, et baptismo, dicantur membra Christi? Et filii irae, sint filii regni? Et qui scripti non sunt in libro vitae, sint etiam post hanc vitam, cives Sanctorum, et domestici Dei? Non igitur *relegatis*, sed plane *deportatis* similes sunt parvuli sine baptismo decedentes.“ Alia disserit egregie ibidem Bellarminus.

Docentem superius audivimus *Gregorium Martinez*, quem alii mitiores Theologi sequuti sunt: infantes sine baptismo decedentes, et aliqua naturali beatitudine donatos, nec *simpliciter beatos* dicendos esse, nec *simpliciter infelices*; sed cum distinctione, *quodammodo felices*, et *quodammodo infelices*, secundum diversa. Adversatur *Thomas de Lemos* loco supra citato Cap. XXIV. ubi docet: *Tales parvulos sine baptismo decedentes vere miseros esse, vere perire, vere perpetua morte adstrictos teneri: vere ire in condemnationem, ac vere esse damnatos.* „Ad omnia enim ista (inquit) *absolute, et simpliciter* verificanda, sufficit illos poenam damni, seu carentiam perpetuam divinae visionis, habere propter peccatum originale: quae vere macula, et culpa in ipsis est.“ His adde *habitualem* sempiternam *aversionem* a Deo, *ut fine etiam naturali.*

Similes propositiones, quae parvulorum sine baptismo decedentium naturali beatitudini plus nimio favent, ex Opere, cui titulus, *Nodus praedestinationis dissolutus*, decerptas ad Apostolatum Innocentii Papae XII. detulerunt VII. Kal. Martii anno 1697. quinque Gallicanae Ecclesiae Praesules, quos inter tertio loco datae epistolae subscribit *Jacobus Benignus Bossuet*, Episcopus Meldensis. „Deferre cogimur (inquiunt) propositiones istas: primam, *Quantum ex parte Dei est, omnes dilecti, omnes ad vitam aeternam, aut aliquid quod vita aeterna melius sit, (ut de infantibus baptismo non tinctis postea dicemus,) destinati* ... (Secundam:) *Parvulos quod attinet, qui sine baptismo decedunt, caelesti quidem regno, quasi paternae culpae reos, nec expiatos, non exclusit tamen naturalibus bonis*, beatitudine scilicet naturali: *et a peccato praeservavit, aeternoque supplicio, quo, si adolescerent, puniendi essent, cum sola praeservatio a peccato*, quam semper supponit in parvulis, originali licet vero magnoque peccato inquinatis, *pluris valeat, majorisque pretii sit, quam regnum ipsum caeleste*: quasi major res sit, tantum carere malis, quam aeterna vita Deoque ipso perfrui. (Tertiam:) *In hac parvulorum causa considerandum est, licet Deus ad caelestem gloriam eos non admiserit; alio tamen, multoque majori beneficio affecisse, quod illi ipsi longe caelo praetulissent: et nos quoque, si electio daretur, multo majoris pretii quam caelum duceremus.* Et paullo post: *Quid ergo conqueri de Deo possunt, aut quid illis mali fecit, si non quidem caelo, at alio beneficio donavit, quod multo praestantius caelo est, quodque et ipsi, et omnes sapientes caelo praeferrent.* Unde concludit: *Ergo nulla dolendi, nulla conquerendi, sed magis gaudendi, gratesque agendi, causa est.*“ Haec summa est novae doctrinae. Romanae Ecclesiae judicium adhuc in suspenso manet. Opera prodierunt in

lucem, in quibus praedictae propositiones, aliaeque similes exponuntur, et vindicantur.

III. *Thomae de Lemos* recensere documenta praestat, ac illustrare. Sic ait vero loco citato Capite XXIII. in calce: „Si objiciatur: Beatitudo naturalis consistit *in cognitione, et amore Dei:* sed illi infantes et modo, et post diem judicii, *cognoscent, et amabunt Deum:* cum enim in hac mortali vita possit ratione naturali cognosci Deus, hoc infantibus illis non est denegandum. Ad hoc dicendum primo, *illos infantes cognoscere Deum*, ut ratio probat: quod et docet Sanctus Thomas Qu. V. de malo Art. III. et in II. Dist. XXXIII. Qu. II. Art. II.“ Loco priore ait Aquinas ad 4. *Quod pueri in originali decedentes, sunt quidem separati a Deo perpetuo, quantum ad amissionem gloriae, quam ignorant; non quantum ad participationem naturalium bonorum, quae cognoscunt.* Loco posteriore ait ad 5. *Quamvis pueri non baptizati sint separati a Deo, quantum ad illam conjunctionem, quae est per gloriam; non tamen ab eo penitus separati sunt. Imo sibi conjunguntur per participationem naturalium bonorum: et ita etiam de ipso gaudere poterunt, naturali cognitione, et dilectione.*

„Dicendum secundo, quod pueri illi habent, et habebunt *imperfectum aliquem amorem erga Deum auctorem naturae:* quod eis Sanctus Thomas concedit, (ut supra). Tertio dicendum, quod etiam *aliquale gaudium* habebunt, ut Sanctus Thomas docet citato loco.

„At ex istis nulla ratione sequitur: illos habere, vel habituros *beatitudinem naturalem.* Primo quia haec simul *cum peccato avertente a Deo* esse non potest. Secundo quia naturalis beatitudo requirit *perfectiorem Dei cognitionem*, quam illi habere non possunt: et *perfectiorem Dei amorem*, quam illum imperfectum signatum: et *majus gaudium*, quam illud aliquale eis tributum. Tertio quia talis naturalis beatitudo exposcit *delectabilem locum*, et non tenebrosum, quem ipsi possident.“ Censet autem Lemosius Capite XXIV. insequente: „verum non esse, quod *ex loco inferni*, in quo modo positi sunt infantes, *exire debeant* post diem judicii in hanc terram, ubi modo sumus. Hoc enim asserere non consonat Scripturae sanctae, Ecclesiastis Capite XI. v. 3. *Ubicumque ceciderit lignum, sive ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit.* Quod testimonium Sanctus Hieronymus in Commentario, et alii Sancti Patres intelligunt, et communiter explicant *de hominibus*, qui in eodem statu perpetuo erunt, in quo sicut *in termino post mortem positi*, reperientur.“

De *illo Dei amore*, qui parvulis poena damni ob originale peccatum aeternum damnatis concedi solet, diversimode sentiunt Theologi. *Joannes Baptista Gonetus* Tomo III. Disput. VII. de peccato originali Art. VII. §. V. num. 207. intelligit *dilectionem naturalem, quae fertur in Deum, prout est essendi naturale principium, quae cum aversione a Deo ut fine ultimo naturali stare potest: ut patet in Daemonibus, qui Deum, prout est essendi naturale principium, plus quam seipsos diligunt, sicut demonstrat Sanctus Thomas I. P. Qu. LX. Art. V.* Franciscus Sylvius in Commentario hujus loci uberiorem offert expositionem. „Observandum autem, quod *dupliciter* diligi potest Deus super omnia.

Uno modo, ut apprehenditur, tamquam *bonum summum*, *a caeteris separatum*, cui multa conveniunt, quae de aliis dici non possunt. Alio modo, ut apprehenditur, tamquam *bonum quoddam commune*, *non separatum ab aliis*... Priori modo diligitur Deus *formaliter:* posteriori, *materialiter.* Juxta hunc etiam posteriorem modum, verum est id quod *Bannesius* dicit: Angelum, (et hominem,) diligere Deum, prout est universale bonum naturae, *necessario* non solum *quoad specificationem*, sed etiam *quoad exercitium:* cum alioqui Deum secundum se, seu ut est *bonum quoddam ab aliis separatum*, non necessario diligat is, qui eum non clare videt, ut manifestum est ex eo, quod possit eum odio habere." Hanc sententiam amplexus est *Carolus Renatus Billuart* l. 2. Tomo II. Dissertatione VII. Art. VI. §. II. in fine: „Parvuli sine baptismo decedentes (inquiens) diligunt Deum, ut auctorem naturae, *dilectione naturali*, *et necessaria*, ut *quid commune* omnibus aliis entibus, et ab aliis non separatum, quatenus est omnibus commune principium essendi, et conservandi ... Et iste amor est compossibilis cum *aversione a Deo*, *ut ultimo fine naturali*, ut patet in *Daemonibus*, qui Deum ut suum essendi principium naturaliter, et *necessario* diligunt; et tamen sunt aversi ab eo, ut ultimo fine tam *naturali*, quam *supernaturali*."

Daemonum, damnatorumque hominum adultorum discrimen est abs parvulis ante rationis usum sine baptismo decedentibus. In his locum habet sola aversio *habitualis* a Deo, ut fine etiam naturali: in illis adest etiam *aversio actualis.* Hinc facillime quisque intelligat, Daemones, damnatosque adultos homines non alio Deum diligere posse amore, nisi *naturali* et *necessario*, qui in ipsum Deum fertur sub communi boni ratione. Quo posito discrimine, non apparet, cur parvuli cum sola habituali aversione a Deo *liberum aliquem ipsius Dei amorem* habere non possint? Hunc sine dubio intelligit *Thomas de Lemos*, ipsumque satis indicat Sanctus Thomas locis citatis.

In hocce *libero Dei auctoris naturae amore* gradus distinguunt alii Theologi magis, minusque perfectos. Imperfectissimum illum appellant, qui consistit in *simplici quadam complacentia erga Deum:* ac fertur in Deum, sub limitata ratione, qua *est principium essendi*, ut ajunt. Cur enim ratio naturalis, quae in illis parvulis, licet nimium debilis, extincta tamen non est, in hanc tenuem ac modicam pervenire per ea quae facta sunt, notitiam Dei non possit? Cur vero ita cognitum, non ament, in eoque complaceant? Quo demum imperfectissimo amore patet non respici Deum ab illis infantibus, ut *finem humanae vitae*, ac agibilium: ipsumque potius dici debere *actum ex officio*, *et ex objecto bonum:* finem denique ipsorum non alium nisi bonum generatim sumptum esse, aut beatitudinem communem.

Doctrinam consule, quam tradidimus Capite XL. De illo egimus justitiae divinae systemate, quod post originale peccatum potuit esse. Praevaluisse vero adnotavimus, divinae misericordiae systema: hominesque per Jesu Christi merita aliquo modo *reformatos* fuisse omnes. Hinc enim colligitur cum Gonetto loco supra citato § VII. *Ad suavem Dei providentiam spectare*, *ut non sinat*, parvulos, ante rationis usum sine baptismo decedentes, *post mortem in affectus in-*

ordinatos prorumpere. Doctrina est Sancti Thomae Qu. V. de malo Art. III. Quo loco addit ille: *quod animae puerorum naturali quadam cognitione non carent, qualis debetur animae separatae secundum suam naturam,* (simulque tamen habitualiter a Deo aversae, ac damnatae). Ac demum colligendum est, in aliquos liberos actus prodire eos posse, in quibus aliquid boni rationis appareat; ac liberum praedictum in Dei amorem imperfectissimum. Consule citatum Caput. Infra iterum aliqua dabimus.

CAPUT LXXV.

Quamplurium Ecclesiae Latinae Patrum sententia videtur, parvulos sine baptismo decedentes poena sensus, seu ignis aeterni cruciatu puniri. Hanc vocat mitissimam poenam Augustinus. Censent Theologi Scholarum principes, aut mitius intelligendos Patres, aut rigidam quam verba praeferunt sententiam, inter privatas opiniones computari debere. Rationes probabiles Sancti Thomae. Objecta solvuntur. Refellitur Franciscus Sylvius. Nulla est Ecclesiae definitio, quae libertatem opinandi adimat. Veteres aliqui Patres pro mitiori sententia.

I. Naturali parvulorum beatitudini adeo adversantur quamplures Ecclesiae Latinae Patres, ut eos etiam aeterno ignis inferni supplicio, aut *poenae* quam *sensus* vocant, subjicere videantur. *Sanctus Hieronymus* in Dialogis adversum Pelagianos, sub nomine *Critoboli* Pelagiani, et *Attici* Catholici scriptis, hanc suam mentem aperit. Sub finem Libri III. sic fatur Critobolus: *Oro te, quid infantuli peccavere?... Peccare non possunt, et possunt perire? Genua labant, vagitus verba non explicant, balbutiens lingua videtur: et aeternae miseriae cruciatus miseris praeparantur?* Veluti quid absurdum Catholicis exprobrat, pueros in futura vita aeternis cruciatibus addicere. Totus est in responsione *Atticus*, ut ostendat: *omnes homines, aut antiqui propagatoris Adam, aut suo nomine, teneri obnoxios peccato.* Quae utique affert, et inculcat ille, ut nihil esse absurdi evincat, si parvuli non baptizati *aeternae miseriae cruciatibus* obnoxii dicantur.

Latissime argumentum pertractat *Sanctus Augustinus.* Praecipua quaedam loca promenda sunt. Ex *Capite vicesimoquinto Matthaei* sumit pro parvulorum poenis argumentum in Sermone CCXCIV. seu XIV. de verbis Apostoli Capite III. „Venturus Dominus (inquit) et judicaturus de vivis, et mortuis, sicut Evangelium loquitur, *duas partes* facturus est: *dextram,* et *sinistram.* Sinistris dicturus: *Ite in ignem aeternum, qui paratus est Diabolo, et Angelis ejus.* Dextris dicturus: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hac *regnum* nominat: hac cum diabolo *damnationem.* Nullus relictus est *medius locus,* ubi ponere queas infantes. De vivis, et mortuis judicabitur: alii ad dexteram, alii ad sinistram: non novi aliud. Qui inducis *medium,* recede de medio: non te offendat, qui dextram quaerit. Et te ipsum admoneo, recede de medio; sed noli in sinistram. Si ergo *dextra* erit, et *sinistra:* et nullum *medium locum* in Evangelio novimus; ecce in dextra regnum caelorum est: *Percipite,* inquit, *regnum.* Qui ibi non est, in sinistra est. Quid erit in sinistra? *Ite in ignem aeternum.* In dextra ad

regnum utique aeternum: in sinistra in ignem aeternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno, procul dubio in igne aeterno. Certe *habere potest vitam aeternam, qui non baptizatur?* Non erit in dextra, idest non erit in regno. Vitam aeternam computas ignem sempiternum? Et de ipsa *vita aeterna* audi expressius: quia nihil aliud est regnum, quam vita aeterna. Prius *regnum* nominavit, sed in dextris: *ignem aeternum* in sinistris. Extrema autem sententia ut doceret, quid sit *regnum*, et quid sit *ignis aeternus: Tunc,* inquit, *abibunt isti in ambustionem aeternam* (in Vulg. *supplicium aeternum*); *justi autem in vitam aeternam.* Ecce exposuit tibi, quid sit regnum, et quid sit ignis aeternus; ut quando confiteris parvulum non futurum in regno, fatearis futurum in igne aeterno. Regnum enim caelorum est vita aeterna."

Argumentum alterum promit Augustinus ex sexto *Epistolae I. ad Corinthios* Capite. „Nec aliud etiam *Apostolus Paulus*, cum terreret homines, non parvulos, non baptizatos; sed scelestos, facinorosos, contaminatos, perditos: non eos terruit, quod erunt *in igne sempiterno,* quo sine dubio ibunt, si non corrigantur. Sed tantum terruit, quia *in regno* non erunt. Ut cum viderint, se perdere spem regni, non viderent esse consequentem, nisi poenam ignis aeterni. *Nolite,* inquit, *errare: neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt....* Unde autem evadunt ab *igne sempiterno?* Non ob aliud, nisi quia erunt *in regno.* Sequitur: *et haec quidem fuistis.* Et unde jam non sunt? *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in spiritu Dei nostri.* In nomine Domini nostri Jesu Christi: *non enim est aliud nomen sub caelo, in quo oportet salvos fieri nos:* nos omnes, pusillos cum magnis. Si autem salvos fieri oportet nos in hoc nomine procul dubio nec *salus* erit, quae sine Christo non promittitur parvulis."

Sumitur argumentum tertium ex *locis sacrae Paginae,* ubi generis humani captivitas sub Daemone principe adseritur. Sic enim disserit Augustinus Libro III. Operis imperfecti contra Julianum num. 199. „Tu qui eam (imaginem Dei) negas a *Diabolo possideri;* procul dubio negas a *potestate erui tenebrarum*, cum in Christi regnum regeneratione transfertur, et accusas universam catholicam Ecclesiam .... Immo vero *exsufflatur:* sed Diabolus, qui contagione peccati tenet parvulum reum; ut illo foras misso, parvulus transferatur ad Christum... Si autem non eruitur *a potestate tenebrarum,* et illic remanet parvulus: quid miraris, *in igne aeterno* cum Diabolo futurum, qui in *Dei regnum* intrare non sinitur?"

Augustino consentiunt bene multi alii Patres. Canonem exhibent Vetusti Codices, tertio loco insertum inter eos, quos edidere *Praesules Africani* in Synodo *Carthaginensi* anno 418. celebrata. Verba sunt: „Item placuit, ut si quis dicit ideo dixisse Dominum, *in domo Patris mei mansiones multae sunt*, ut intelligatur quia in regno caelorum erit aliquis *medius,* aut ullus alicubi *locus,* ubi beate vivant parvuli, qui sine baptismo in hac vita migrant, sine quo in regnum

caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt; anathema sit. Nam cum Dominus dicat: *Nisi qui renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum caelorum;* quis Catholicus dubitet, participem fore Diaboli eum, qui coheres esse non meruit Christi? qui enim *dextra* caret, *sinistram* procul dubio partem incurret.“ Egimus de hoc Canone Capite IX. num. III.

Luculentiora sunt Decreta, quae habentur in Libro *De Incarnatione, et Gratia,* a Sancto Fulgentio scripta *Patrum Byzacenorum* nomine, qui in Sardiniam a Thrasamundo, Vandalorum Rege Ariano, relegati fuerant. Inquiunt Capite XIV. »Quae justitia est ut imago Dei, quae nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine Filii Dei, in Regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quisquis non ingreditur, *interminabilis ignis aeterni cruciabitur poenis.* Qua igitur justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit poenam, in quibus poenae non invenit causam?“ Pelagiani adiguntur causam fateri *peccatum originale.* Paria leguntur Capite XXX. *Quomodo sine baptismate mortuos aeternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malae voluntatis inveniat?*

Ipse *Fulgentius* nomine proprio sic ait in Libro de Fide ad Petrum Capite XXVII. „*Firmissime tene,* et nullatenus dubites: non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti Baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc seculo transeunt, *ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos:* quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt, *originalis tamen peccati damnationem* carnali conceptione, et nativitate traxerunt.“ Ubi dignum est animadversione: quadraginta Capitula in eo Libro recitari a Fulgentio, eademque omnia his verbis incipere, *Firmissime tene, et nullatenus dubites.* Recitatis Capitulis haec subnectuntur verba Capite XLIV. *Haec interim quadraginta Capitula* (inter quae superius XXVII. numeratur) *ad regulam verae fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene etc.*

Consona sunt, quae *Avitus Viennensis,* qui anno 500. in Galliis florebat, canit in Carmine *ad Fuscinam Sororem.*

»Omnibus id vero gravius; si fonte lavacri
Divini expertem tenerum mors invida natum
Praecipitat, *dura generatum sorte gehennae.*
Qui mox ut matris cessarit filius esse,
Perditionis erit: tristes tunc edita nolunt,
Quae *flammis* tantum genuerunt, pignora matres.“

Desinente eodem seculo sexto scribit *Gregorius Magnus* Libro IX. Moralium Capite XXI. „Nonnulli prius a praesenti luce subtrahuntur, quam ad proferenda bona, malave merita activae vitae perveniant. Quos quia *a culpa originis* Sacramenta salutis non liberant, et hic ex proprio nihil egerunt, et illuc *ad tormenta* perveniunt . . . Sed quia post mortem quoque aeterna mors sequitur; occulto eis justoque judicio, etiam sine causa, vulnera multiplicantur. *Perpetua* quippe *tormenta* percipiunt, et qui nihil ex propria voluntate peccaverunt... Districtus judex qua eos animadversione trucidat, quos culpa propriae

actionis damnat, si et illos in *aeternum percutit*, quos reatus arbitrii non addicit?"

Suffragium ferunt *Isidorus Hispalensis* Libro II. de Differentiis Spiritalibus num. 26. et Libro I. Sententiarum Capite XXII. *Prudentius Tricassinus* de Praedestinatione Capite XVI. *Anselmus Cantuariensis* de Conceptione Virginali, et originali peccato Capite XXIII. alias praecedente XXII. *Aelredus* Sancti Bernardi contemporaneus in Speculo caritatis Libro I. Capite XV. Poenam *ignis*, et *sensus*, parvulis inflictam qui sine baptismate decedunt, exprimunt verba, quae habent laudati Scriptores omnes.

II. Sed illam tamen *mitissimam* omnium esse, docet ac repetit Sanctus Augustinus. In Enchiridio sic ait Capite XCIII. *Mitissima sane omnium poena erit eorum, qui praeter peccatum quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.* Paria scribit Libro I. de peccatorum meritis, et remissione Capite XVI. *Potest proinde recte dici, parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros.* Luculentissima sunt, quae habet Libro V. contra Julianum Capite XI. *Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium mitissima futuros? Quae, et qualis, et quanta erit, quamvis definire non possim; non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi* (in damnatione mitissima) *essent, potius expediret.*

III. Augustinianam adnotationem adhuc magis emolliendam censent *Scholarum Principes*, mitissimam illam damnationem, et poenam constituentes in *sola poena damni*, seu *carentia sempiternae beatificae Dei visionis.* Petrus Lombardus in Sententiis Libro II. Dist. XXXIII. num. 5. ait: Pro originali peccato *nullam ignis materialis, vel conscientiae vermis poenam sensuros* parvulos, *nisi quod visione Dei carebunt in perpetuum.*

Amplissimo quaestionem hanc versat examine *Sanctus Thomas* in Commentariis loci citati Qu. II. Art. I. Ignis usturae, et sensus poenae obnoxios non esse parvulos, cum originali peccato decedentes, colligit ex Apocalypseos verbis Capite XVIII. v. 7. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum, et luctum.* „Acerbitas poenae sensibilis (inquit) delectationi culpae respondet, *Apocal. 18.* Sed in peccato originali non est aliqua delectatio, sicut nec operatio: delectatio enim operationem sequitur. Ergo peccato originali non debetur *poena sensibilis.*" Obvium praesto est argumentum, quod sumi *ex concupiscentia* posset, quae veluti *materiale quoddam* pertinet ad culpam originalem. Quod solvit Aquinas ad 4. *Dolor*, inquiens, *sensibilis respondet delectationi sensibili, quae est in conversione actualis peccati: concupiscentia autem habitualis, quae est in originali peccato, delectationem non habet: et ideo dolor sensibilis non respondet concupiscentiae pro poena.* Cum eodem Doctore Angelico frequentius animadvertimus: *habitualem concupiscentiam* sitam esse in *pronitate ad concupiscendum*, orta ex solutione harmoniae, quae rationem inter et appetitum sentientem vigebat in homine primo innocente: inde vero oriri *concupiscentiam actualem*, quae posita est

in sentientis appetitus motibus, rationem praevenientibus, et rationi advertenti repugnantibus. *Pronitas* ad concupiscendum malum non punitur; sed actualis concupiscentia *mala libera*, cui nempe libere consentit voluntas; quae in parvulis locum non habet. Tametsi vero ipsis etiam parvulis insit *pronitas ad concupiscendum*, et haec veluti *quoddam materiale* pertinere ad originalem culpam dicatur: poena tamen id in peccato respicit, quod est *formale;* quod utique in originali culpa non est *conversio* cum delectatione, sed sola *justitiae originalis privatio.*

Sumit alterum argumentum Sanctus Thomas ex *ipsis Augustini verbis*, queis parvulorum poena, et damnatio dicitur *omnium mitissima.* „Sed hoc non esset, (inquit ille,) si *sensibili poena* torquerentur: quia poena *ignis inferni* est gravissima.“ In Responsione ad 1. quae opposita videntur Patrum testimonia, paucis declarat: *Supplicium*, inquiens, *non nominat poenam sensibilem in auctoritate illa* (S. Fulgentii de Fide ad Petrum;) *sed solum poenam damni. Sicut etiam nomine ignis frequenter in Scriptura quaelibet poena figurari consuevit.*

Miti sententiae inhaeret provectior effectus Qu. V. de Malo Art. II. Adhibet 1. Sancti *Bernardi* auctoritatem, cujus haec verba sunt Sermone III. in Tempore Resurrectionis num. 3. *Quid enim odit, aut punit Deus praeter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desaeviet, nisi in propriam voluntatem?* Sic vero adsumit Thomas: „Sed originale peccatum non est *peccatum propriae voluntatis*, immo consequitur ex voluntate aliena: ergo peccato originali non debetur *poena sensus.*“ Affert 2. Decretalem Constitutionem *Innocentii III.* quae tertia in Libro numeratur CXXXV. seu *Extra.* Lib. 3. Tit. 42. *de Baptismo*, Capite, *Majores*, ubi haec habentur: *Praeterea poena originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero poena peccati est gehennae perpetuae cruciatus.*

Auctoris Hypognostici, et *Fulgentii*, et *Gregorii Magni* testimonia opponit quae parvulorum poenam vocant *supplicium*, *tormentum*, *gehennam*, *cruciatum aeternum:* eademque ita explananda jubet ad 1. „Quod nomen *tormenti*, *supplicii*, *gehennae*, *et cruciatus*, vel si quid simile *in dictis Sanctorum* inveniatur, est *large* accipiendum *pro poena:* ut accipiatur species pro genere.“ Sanctorum Patrum, qui rigidis uti maluerunt verbis, mentem aperit, et scopum: *Ideo Sancti*, inquiens, *tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum: qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam poenam deberi.*

Haec facem accendunt, qua *textus evangelici apud Matthaeum* germanus sensus intelligatur. *Sinistra* scilicet pars in judicio *damnationem* significat, et *ignis* aeternus *poenam;* quae tamen dispar est *respectu originalis* tantum, et *actualis peccati;* nempe sola *poena damni* in parvulis sine baptismo denatis, etiam *sensus* in adultis peccatoribus. Deinde evangelica verba proponunt *judicium universale*, in quo omnes aderunt pusilli cum magnis, fideles cum infidelibus, justi cum peccatoribus: at non omnes *eadem* judicabuntur *forma*, ut optime *Bellarminus* animadvertit Libro VI. de amissione gratiae Capite V. In

Evangelio ea solum describitur forma, qua judicabuntur ii qui sunt *in Ecclesia:* quive rectam fidem habentes, *opera fidei ostenderunt*, vel *non ostenderunt*, cibum potumque et alia misericordiae officia Jesu Christo in pauperibus offerendo, vel negando. Hinc haud inepte dici potest, hunc ad parvulos non pertinere locum, qui neque ad Ecclesiam pertinent, neque aliquid operati sunt.

Eadem videtur mens Thomae nostri, qui in IV. Dist. XLVII. Qu. I. Art. III. *judicium discussionis,* quo bonorum operum a pravis, ac meritorum discretio fit a demeritis, negat *ad infideles* pertinere, in quibus non est fides, meritorum omnium fundamentum. Quaenam vero futura sit judicii forma, qua infideles judicabuntur, enarrat ibidem Quaestiuncula III. *Infideles,* inquiens, *condemnabuntur, ut hostes: qui consueverunt apud homines absque meritorum audientia exterminari.* Pari quadam ratione judicabuntur parvuli, qui sine baptismo decedunt, in sempiternum ejecti e regno.

IV. Sententiae suae mitis probabiles affert conjecturas Aquinas ibidem. „Hoc videtur esse *rationabile* (inquiens) propter tria. 1. Quia persona quaelibet est alicujus naturae suppositum: et ideo ad ea quae sunt naturae, *per se, et immediate* ordinatur; ad ea vero quae sunt *supra naturam,* ordinatur mediante natura. Quod ergo detrimentum aliquod patiatur aliqua persona in his quae sunt *supra naturam,* potest contigere vel *ex vitio naturae,* vel *ex vitio personae.* Quod autem detrimentum patiatur in his quae sunt *naturae,* hoc non videtur posse contingere, nisi propter *vitium aliquod personae.* Peccatum *originale* est *vitium naturae:* peccatum *actuale* est *vitium personae.* Gratia autem, et visio divina sunt *supra naturam.* Et ideo *privatio gratiae,* et *carentia visionis divinae* debentur alicui personae non solum propter *actuale peccatum,* sed etiam propter *originale.* Poena autem *sensus* opponitur integritati naturae, et bonae ejus habitudini: et ideo poena sensus non debetur alicui, nisi propter *peccatum actuale.*

„2. *Poena proportionatur culpae:* et ideo peccato *actuali mortali,* in quo invenitur *aversio ab incommutabili bono,* et *conversio ad bonum commutabile,* debetur *poena damni,* scilicet carentia visionis divinae, respondens aversioni; et *poena sensus,* respondens conversioni. Sed in peccato *originali* non conversio, sed *sola aversio,* seu aliquid aversioni respondens invenitur: scilicet destitutio animae a justitia originali; (idest non aversio quaedam instar actus, sed sola originalis justitiae privatio instar cujusdam habitus). Et ideo *peccato originali* non debetur *poena sensus,* sed solum *poena damni,* scilicet carentia visionis divinae.

„3. *Poena sensus* numquam debetur *habituali dispositioni:* non enim aliquis punitur ex hoc quod est habilis ad furandum, sed ex hoc quod actu furatur. Sed *habituali privationi* absque omni actu debetur *aliquod damnum:* puta qui non habet scientiam litterarum, ex hoc ipso indignus est promotione ad episcopalem dignitatem. In peccato autem *originali* invenitur quidem concupiscentia per modum *habitualis dispositionis,* quae parvulum facit habilem ad concupiscendum, adultum autem actu concupiscentem. Et ideo *parvulo* defuncto cum originali peccato non debetur *poena sensus,* sed solum *poena*

damni. Quia scilicet non est idoneus perduci ad visionem divinam propter privationem originalis justitiae."

V. Thomae rationes nonnulla illustrant objecta, quae cum solutionibus afferunt *Carmelitae Excalceati Salmanticenses* Tomo IV. Tractatu XIII. Disput. XVIII. Dubio III. §. I. Militare contra primam rationem videtur: *quod visio beatifica directius pertinet ad personam, quam ad naturam: ergo idem dicendum est de ejus privatione.* Alteri obstare videtur: *tum quod voluntas illorum puerorum non potest esse habitualiter aversa a Deo, nisi sit ad alium finem habitualiter conversa: eo praesertim quia concupiscentia ad originale pertinet peccatum, et importat inclinationem ad bona sensibilia. Tum quia poena sensus non solum conversioni debetur, sed etiam aversioni, ut patet in adultis.* Opponi demum contra tertiam rationem potest: quod parvuli in novissima saltem resurrectione, quando magnitudinem corporis accepturi sunt, quam habituri essent, si adultam ad aetatem pervenissent, non solum erunt habiles *ad concupiscendum*, sed etiam *actu concupiscentes.*

Primi argumenti negant *consequentiam* Salmanticenses. „Nam actiones (inquiunt) directe sunt suppositorum: et ideo *visio beatifica*, cum sit actio, directe debet pertinere ad personam. At vero *ejus privatio* solum est quidam defectus, qui sufficienter inducitur ex defectu gratiae, etiam sine aliqua operatione: et ideo ad illud principium directe pertinere debet, ratione cujus defuit ipsa gratia. Haec autem in pueris, habentibus peccatum originale, non deficit *ratione personae*, sed *ratione naturae*, quam ex Adamo accipiunt: quamque nisi acciperent, non illa privati nascerentur."

Quae sequuntur difficultates, his verbis enodantur. „Etiamsi admitteremus in illis pueris aliquam *conversionem habitualem*, vel *ratione concupiscentiae*, vel aliunde; seclusa tamen *actuali*, non ideo deberetur eis poena sensus: quia haec non correspondet habituali conversioni secundum se praecise sumptae, sed correspondet conversioni actuali, vel *habituali ut eidem actuali associatae*, et *moraliter conjunctae.* Deinde respondetur, conversionem habitualem in pueris repertam, sive *ratione concupiscentiae*, sive ratione *inclinationis ad proprium bonum*, non esse *formaliter* malum, sed solum *pro materiali.* Poena autem non debetur peccato, ratione ejus quod *de materiali* tantum importat; sed ratione *malitiae*, et *inordinationis*, quam dicit *de formali.* Et quando Divus Thomas ait, *poenam sensus deberi conversioni;* intelligendus est de conversione, importante praedictam malitiam, et non omnino de materiali se habente .... Ad *aversionem* quod attinet, *repertam in peccato personali;* respondetur, non esse *puram aversionem;* sed semper habere *aliquid conversionis, saltem interpretativae*, quia est voluntaria per actum propriae voluntatis: et quod ita est voluntarium, quamvis sit aversio, participat et retinet aliquid conversionis, et ratione hujus participii debetur illi poena sensus. *Aversio* autem *in pueris reperta*, cum non fuerit inducta per actum propriae voluntatis, nihil habet de ratione conversionis quod sit *formaliter* malitia. Non enim peccatum Adami transmisit in eos totum, quod in se habuit: aut totum id, sine quo in Adamo esse non potuit; sed illud praecise, quod ad aversionem pertinet." Solidissima praetermitti non debuerant haec documenta.

Postremam difficultatem solvit Aquinas Qu. V. de malo Art. III. docens: *Post mortem non mutari in anima dispositionem voluntatis neque in bonum, neque in malum: unde cum pueri, ante usum rationis decedentes, non habuerint actum inordinatum voluntatis, neque etiam post mortem habituros.* Petrus de Godoy 1. 2. Tractatu II. Disput. XIV. §. II. num. 14. et Jo. Baptista Gonet Tomo III. Disput. VII. de peccato originali Art. VII. §. VII. num. 218. Sancti Thomae doctrina innixi, ad *suavem Dei providentiam* spectare ajunt, ut pueros illos jam in termino constitutos non sinat in affectus inordinatos prorumpere: eademque de causa carituros *fomite actualiter instigante ad malum.* Pravo igitur alicui fini non adhaerebunt, ut in adultis damnatis contingit; Deum finem ultimum, ad quem se suaque omnia dirigant, non habebunt; inerit tamen illis *necessarius amor boni in communi,* ex quo in aliquos actus honestos prodire poterunt, inter quos numerari debet aliqua de Deo auctore naturae *imperfecta naturalis complacentia.* Consule, quae superiore Capite dicta sunt num. III. circa finem.

VI. *Franciscus Sylvius,* nimia permotus confidentia, sic ait 1. 2. Qu. LXXXV. Art. VI. Quaesito II. „*Sanctus Thomas* variis quidem in locis loquitur juxta sententiam eo tempore communiorem. Si tamen suam *Summam Theologicam* absolvisset; non desunt rationes existimandi, eum in partem alteram fuisse declinaturum. Quia Libro III. contra Gentiles Capite CLIX. habet pro absurdo: quod aliqui sint homines, qui nec beatitudinem consequantur, nec poenam a Deo patiantur. Eo quod juxta Scripturam Matth. XXV. omnibus in divino judicio existentibus dicetur: *Venite, possidete paratum vobis regnum:* vel, *discedite in ignem aeternum.* Quod autem etiam pueros in isto judicio futuros esse intellexerit, ex ejus *Commentario in Caput V. Epistolae posterioris ad Corinth.* liquet: ubi universalitatem in his Apostoli verbis comprehensam, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi,* sic interpretatur: *Omnes nos, idest omnes homines, bonos et malos, magnos et parvos.*"

Sylvii conjecturam evertit *Thomas Leonardus* Ordinis Praedicat. de hominis Institutione Libro II. Capite XXI. „Existimo, (inquiens,) quod nemo melius ipso Sancto Thoma sciverit, quid scripturus esset in fine tertiae Partis, ubi *de Novissimis* agendum erat, de *poena parvulorum* sine baptismo decedentium .... Ipse porro testatur III. P. Qu. I. Art. IV. ad 2. *Quod peccato originali in futura retributione non debetur poena sensus.*"

Aliud profert idem Auctor testimonium Sancti Doctoris, veluti sumptum ex argumento *sed contra* Articuli sexti Qu. LXXXV. 1. 2. quod ego praetermitto, utpote quod in Summae Theologicae exemplaribus desideretur, quae mihi praesto sunt. Ad rem faciunt, quae docet Aquinas Qu. LXXXVII. Art. IV. „In peccato duo sunt, (inquiens;) quorum unum est *aversio* ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud est inordinata *conversio* ad commutabile bonum: et ex hac parte peccatum est finitum .... Ex parte *aversionis* respondet peccato *poena damni,* quae etiam est infinita .... Ex parte autem inordinatae *conversionis* respondet ei *poena sensus,* quae etiam est finita." Nemo non videt,

Thomae ita scribentis eo tendere mentem, ut originalem culpam *sola damni poena* puniri tandem aliquando sua in Tertia Parte, si eam absolvisset, ostenderet.

„Neque fundamentum Sylvii sufficiens est (Leonardi verba sunt) ad sic divinandum de mente Sancti Doctoris, (acsi contrarium traditurus foret). Quamvis enim absurdum sit, quod sint aliqui homines, *qui nec beatitudinem consequantur, nec poenam a Deo patiantur;* nihil tamen contra immunitatem parvulorum a poena sensus inde colligi potest: quia, ut ait in II. Dist. XXXIII. Qu. II. Art. I. ad 1. *nomine ignis frequenter in Scriptura quaelibet poena figurari consuevit.*"

Communis erat mitis haec circa parvulorum statum opinio apud Scholae primores. Aquinati consentit Sanctus *Bonaventura.* Mitem sententiam quartodecimo seculo tuetur *Joannes Duns Scotus.* Aetate illa sic loquebatur *Gregorius Ariminensis* in Commentariis: „Quia hujus Quaestionis non vidi partem aliquam *expresse determinatam ab Ecclesia:* et tremendum mihi videtur, negare auctoritates Sanctorum: et e contra etiam non est tutum contraire *communi opinioni,* et consensioni Magistrorum nostrorum: idcirco neutri parti alteram praeferens, dijudicationem eorum Lectori relinquo." Judicium Estii demum profero, quod habetur Dist. citata §. VIII. *In hac opinionum contrarietate scire oportet, neutram a suis Auctoribus,* (excepto Fulgentio, ut videtur,) *tamquam fide tenendam asseri: aut oppositam, velut haereticam damnari. Quare et nos hanc de sensibili poena quaestionem relinquentes, dicemus: rationes utrinque allatas, non omnes ejusmodi esse quae efficaciter concludant, aut probabiliter solvi non possint.*

VII. Hanc opinandi libertatem haud umquam *Romana Ecclesia* ademit in Decretis, quae hac de re edita sunt non pauca. *Innocentius I.* in Rescripto ad Milevitanos, *perfatuos* dicit eos qui *praedicare* audent: *parvulos aeternae vitae praemiis, etiam sine baptismatis gratia, posse donari.* Vitam intelligit sine morte peccati, sine damnatione, sine poena damni.

Gelasius in Epistola ad Episcopos per Picenum constitutos, contra *Senecam,* delirum senem Pelagianum, sic habet: „*De parvulis* autem quod asserit, sine sacro baptismate, pro solo originali peccato *non posse damnari;* satis impia, satis profana propositio est .... Nihil est ergo, quod dicant: *quod non renati infantes, tantummodo in regnum caelorum ire non valeant; non autem perpetua damnatione puniuntur....* Tollant de medio nescio quem ipsi *tertium,* quem decipiendis parvulis faciunt *locum.* Et quia nonnisi *dextram* partem legimus, et *sinistram;* non illos faciant *in sinistra regione* sine baptismate remanere; sed baptizatos sinant, ad dextram salutarem sacra regeneratione transferri." Unam urget perpetuam *parvulorum damnationem:* de poena sensus nihil habet.

Quidni quaestionem hanc de parvulorum poena relinquere voluerint Majores nostri *inter profundiores, difficilioresque partes incurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt: quaeve sicuti non contemnuntur, ita neque adstruuntur?* Verba sunt animadversione dignissima, quae habentur in Additamento ad *Epistolam Caelestini Papae.*

Innocentii Papae III. constitutionem Decretalem jam memoravimus. Satis favere Pontifex videtur opinioni, *quae sensibilem parvulorum poenam* inficiatur. Neque tamen nos latet, quod alii reponunt: vel satis Pontifici fuisse, quod extra controversiam apud catholicos erat, enarrare: vel solum poenam damni, et poenam sensus per quamdam appropriationem, culpae originali alteram, et alteram actuali peccato adsignavisse.

In Concilio oecumenico *Lugdunensi II.* confessionem fidei edidit Michael Palaeologus, Graecorum Imperator, ubi profitebatur: *Illorum animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere; poenis tamen disparibus puniendos.* Eadem sunt verba in *Decreto unionis,* quod editum est in *Synodo Florentina.* Unde fide tenendum est 1. Parvulos damnari. 2. In infernum post mortem eos detrudi. 3. Poenis illos, ac adultos peccatores disparibus puniri. De *inferni loco*, de *poenarum disparitate*, de *statu parvulorum* post judicii universalis diem, decretum nullum conditum est: opinionum varietas, ac opinandi libertas permittitur.

VIII. Eadem inter vetustos Ecclesiae Patres locum habuit. Mitiorem de poena parvulorum sententiam profert *Nazianzenus* Oratione XL. in Sanctum Baptisma: *Postremi denique* (scilicet parvuli) *nec caelesti gloria, nec suppliciis* (μήτε κολασθήσεσθαι) *a justo judice afficiantur ... Neque enim quisquis dignus supplicio non est, protinus honorem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore indignus est, statim etiam poenam promeretur.* Damnationem puerorum constitutam offert in *sola honoris*, *aut caelestis gloriae privatione.* Paria videntur, quae scribit *Nyssenus* in Oratione de infantibus, qui morte immatura abripiuntur, sub ejusdem Orationis finem: *Immatura mors infantium*, *neque in doloribus*, *ac moestitia esse eum*, *qui sic vivere desiit*, *intelligendum esse nobis suggerit.* Eadem est *Euthymii Zigabeni* sententia in Panoplia Parte II. Titulo XXII. adversus Messalianos: *Supplicia autem aeterna non primae transgressioni proposita sunt; sed singulis hominibus, qui se peccatis* (actualibus) *obstringunt.*

Hanc expressit sententiam *Ambrosiaster* in Epistolam ad Romanos Cap. V. v. 12. Per peccatum intravit mors. *Mors autem dissolutio corporis est*, *cum anima a corpore separatur. Est et alia mors*, *quae secunda dicitur in gehenna: quam* (gehennam) *non peccato Adae patimur; sed ejus occasione*, *propriis peccatis adquiritur.* De operis auctore late disserunt Editores operum S. Ambrosii Ascetae Sammauraei in praevia Admonitione: cujus aetatem, sive remotam, aut sequiorem, definire non ita facile censent.

Haerebat demum dubius, et anceps ipse *Augustinus.* Damnationem parvulorum exploratam habet: sed attamen *mitissimam*, aut *levissimam omnium* appellat Libro V. contra Julianum Cap. XI. ac insuper profitetur, *definire se non posse, quae, et qualis, et quanta erit.* Eodem tenebatur dubio in Epistola CLXVI. ad Hieronymum, alias XXVIII. Cap. VI. num. 16. *Cum ad poenas ventum est parvulorum; magnis*, *mihi crede*, *coarctor angustiis*, *nec quid respondeam prorsus invenio. Non solum eas poenas dico*, *quas habet post hanc vitam illa damnatio*, *quo necesse est trahantur*, *si de corpore exierint sine chri-*

stianae gratiae sacramento; sed eas ipsas, quae in hac vita, dolentibus nobis, versantur ante oculos. Non dubitat Sanctissimus Pater, parvulos *damnari* qui sine baptismo decedunt: dubius haeret de *poenarum qualitate* in illa damnatione. Quo tamen dubio in ea, quam contra Manichaeos agitavit de libero arbitrio quaestionem, excusso, sic ajebat Libro III. Cap. XXIII. num. 66. *Respondetur... superfluo quaeri de meritis ejus, qui nihil meruerit.* (De parvulis res agitur.) *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum, atque peccatum: et sententia judicis media esse non possit inter praemium, atque supplicium.* Satis est vero de poenarum hujusmodi qualitate *dubium* postea haesisse *Augustinum.*

CAPUT LXXVI.

Originalis peccati meritum iterum expenditur: prima solutio difficultatis. Solutio altera. Discrimen affertur, quod inter vitae praesentis, ac futurae sensibiles poenas intercedit. De poenis agitur, quae concomitantes dicuntur. Num parvuli, cum originali peccato decedentes, internum passuri sint animi dolorem propter carentiam aeternae beatitudinis. Objecta solvuntur.

I. Ex illo *divinae justitiae systemate*, quod licet numquam exstiterit, possibile futurum fuisse indicavimus Cap. LXXIV. num. III. ac latiore sermone ostendimus Cap. XL. difficultas emergit, quae Sancti Thomae rationes allatas aut evertere videtur, aut nimium elevare. Si namque *merito peccati originalis* potuit Deus, Augustino docente, ita Adamum ejusque posteros aeternae damnationi addicere, ut hi in hanc vitam mortalem venientes, simulque damnati, per varios errores, ac dolores *ad extremum cum Angelis desertoribus sine fine supplicium*, idest completam traherentur in damnationem: sponte jam sequitur, *originalem culpam* in eo systemate justitiae *supplicio aeterno*, idest *poena sensus*, puniri potuisse. Vis ergo jam eliditur totius doctrinae, quam ab Aquinate traditam exposuimus.

Reponendum primo est, in illo etiam *possibili systemate justitiae*, distingui *adultos* oportere, ac *parvulos* ante rationis usum decedentes: ac deinde damnationem, in quam merito peccati originalis totum incurreret genus humanum, distinguendam esse in *damnationem inchoatam*, et *completam.* Hac de re lato calamo pertractavimus Capite citato. Adae posteri, qui propagarentur, ab ipso conceptionis, et ortus momento incurrerent *damnationem incompletam:* quae *completa* fieret, cum ex hac mortali vita migrarent. Ad illos quod attinet, qui *ad usum rationis pervenirent;* peccandi necessitate *quoad speciem*, utpote damnati, tenerentur: ac istos procul dubio indicat *Augustinus*, quos ait *per errores, doloresque diversos*, ad completam denique damnationem, idest *ad extremum cum desertoribus Angelis supplicium*, sive poenam sensus, trahendos esse. Non eadem foret *parvulorum* poena, qui inordinatum nullum voluntatis actum in vita mortali habuissent, utpote ante rationis usum sublati. Ea tamen *completa* post mortem *damnatio* eorum fortasse fuisset: in qua aut nulla foret, aut modicissima rerum naturalium cognitio, maximeque Dei: nulla ejusdem Dei auctoris naturae dilectio, neque inde proficiscens ullum gaudium,

et ulla delectatio. Praedictum sane systema justitiae non vetat quominus *de parvulis mitius*, quam *de adultis* judicemus.

Systema istud justitiae non exstitit: eique subrogatum fuit *systema misericordiae*, in quo totius naturae humanae per Jesum Christum *reformatio* facta est, dato regressu ad viam, ad liberam agendi boni potestatem, ad meritum, ad remissionem peccatorum, et vitae aeternae consecutionem. Ad ipsos *infantes*, qui ante rationis usum decedunt, *reformationis* beneficium pertinet, cum omnibus baptismatis remedium paratum sit, ac ipsis naturalia relinquantur bona, quae ex dono Creatoris proveniunt. Hinc ratio conjectandi sumitur, ut *mitius* adhuc de parvulis istis *in praesenti systemate* judicemus. Perpetua in istis erit *necessitas* jacendi in peccato originali: non alia erit necessitas peccandi, ut in adultis damnatis. Ex amore boni in communi, quem illis inesse adnotavimus locis citatis, potestas aderit bonos aliquos naturales actus agendi, ac in aliquam imperfectam Auctoris naturae dilectionem prodeundi, cum aliquo gaudio, et delectatione.

II. Responsionem alteram suppeditat Petrus de Godoy 1. 2. Qu. LXXXIII. Tractatu IV. Disp. XXXVIII. §. VI. num. 96. Integram verbis ejus profero. „Notandum 1. (inquit) *peccatum originale*, et quodlibet aliud mortale, considerari posse *tripliciter:* primo *ratione offensae gravis Majestatis divinae:* secundo *ratione aversionis a Deo*, quae etiam omni peccato mortali communis est: tertio *secundum rationes proprias, seu differentias*. Adnotandum 2. *peccatum originale*, et quodlibet aliud mortale, *attenta gravitate offensae* sumpta ex Majestate divina, mereri *omnem poenam possibilem:* et quamcumque poenam, *sive damni, sive sensus*, esse illi proportionatam sub hac consideratione, *proportione morali*. Nam poenam esse sic proportionatam est, quod peccati gravitatem non superet: nulla autem possibilis poena, sive *damni*, sive *sensus*, excedit gravitatem peccati, sumptam ex persona offensa; et consequenter omnis est proportionata. Adnotandum 3. Deum *in taxanda quantitate poenae*, non attendisse quantitatem culpae, sumptam *ex Majestate offensa:* sic enim quodcumque peccatum mortale meretur poenam infinitae acerbitatis; ad quam in creatura finita non invenitur capacitas. Attendit ipse ad quantitatem, *sumptam ex aliis principiis;* statuitque poenas cum peccato proportionatas *secundum rationem generalem aversionis*, et *secundum proprias peculiaresque differentias:* infinitatem poenae, debitam propter rationem offensae, commutando in aeternitatem poenae, aliunde cum peccato proportionatae.

„Ex quibus colligitur: provenire *ex conditione culpae*, quod poena sit *damni tantum* (ex propria scilicet conditione culpae originalis), vel etiam *sensus* (ex propria conditione culpae actualis). Quod autem utraque *in aeternum* sit duratura, nascitur ex eo quod culpa sit contra infinitam Majestatem, et gravitas ejus sit infinita, infinitamque mereatur poenam.“ His praesuppositis, pergit auctor ostendere, proportionatam originali culpae poenam esse *poenam damni* ob eas, quas Doctor Thomas rationes affert, expositas Cap. LXXV.

III. Alia emergit difficultas ex *hujusce vitae mortalis aerumnis*, quas ab originali peccato inductas patiuntur parvuli. Cur etiam in futura vita, in aeterna damnatione locum non habeant, durante in

aeternum peccato originali? Ipsissimum argumentum opponit Sanctus Thomas in II. Dist. XXXIII. Qu. II. Art. I. num. 3. *Gravius puniuntur peccata post hanc vitam, quam in ista vita: ubi est misericordiae locus. Sed in hac vita respondet originali peccato poena sensibilis, pueri enim qui solum originalem culpam habent, multas poenas sensibiles sustinent, nec injuste. Ergo et post hanc vitam poena sensibilis eis debetur.*

Latissimum adsignat discrimen Doctor Angelicus ad 3.: „*Non est eadem ratio* de poena sensibili *ante mortem*, et *post mortem.* Ante mortem poena sensibilis consequitur *virtutem naturae agentis:* sive sit *poena sensibilis interior*, ut febris, vel aliquid hujusmodi: sive etiam *poena sensibilis exterior*, ut ustio, et aliquid hujusmodi. Sed post mortem nihil agit virtute naturae, sed *secundum justitiae divinae ordinem tantum:* sive in animam separatam, in quam constat quod ignis naturaliter agere non potest: sive etiam in corpus post resurrectionem: quia tunc omnis actio naturalis cessabit, cessante motu caelorum:" vel si qui motus futuri sint, aliis a divina providentia finibus praestitutis inservient.

Confirmatio accedit ex ea, quae traditur doctrina ibidem ad 5. „Corpora puerorum non erunt impassibilia, *defectu potentiae ad patiendum in ipsis;* sed *defectu exterioris agentis* in ipsa; quia post resurrectionem nullum corpus erit agens in alterum, praecipue ad corruptionem inducendam per actionem naturae: sed erit actio tantum *ad puniendum* ex ordine divinae justitiae. Unde illa corpora poenam non patientur: quibus *poena sensibilis* ex divina justitia non debetur. Corpora autem Sanctorum erunt impassibilia, quia deficiet in eis potentia ad patiendum: et ideo impassibilitas erit in eis *dos*, non in pueris." Paria docet Aquinas, qui sibi semper constat, Qu. V. de Malo Art. II. ad 5. „In statu *futurae vitae* ignis, et alia hujusmodi activa non agunt in animas, aut in corpora hominum, secundum *necessitatem naturae,* sed magis *secundum ordinem divinae justitiae, quia ille est status recipiendi pro meritis.* Unde cum divina justitia non exigat, quod pueris qui cum solo originali peccato decedunt, *poena sensus* debeatur; nihil ab hujusmodi activis tales patientur."

Elegantissimam discriminis rationem alteram profert Qu. V. citata Art. IV. Duplicem praemittit distingui poenam oportere: *unam quidem quasi taxatam pro peccato: aliam concomitantem.* Aptissimo rem declarat exemplo: *Sicut videmus*, inquiens, *quod judex pro aliquo crimine facit aliquem hominem excaecari. Ad caecitatem consequuntur multa incommoda: puta quod mendicat, et alia hujusmodi. Sed ipsa caecitas est poena taxata pro peccato.* Instituto suo paritatem accommodat. *Nam homini, in primordio suae conditionis, fuerat a Deo datum quoddam auxilium originalis justitiae, per quod praeservabatur ab omnibus defectibus. Quo quidem auxilio privata est tota humana natura propter peccatum primi parentis.* Haec igitur est poena *quodammodo taxata* pro culpa originali: *subtractio* scilicet *justitiae originalis* in hac vita, ac insuper *privatio divinae visionis in futura.*

IV. Sed hanc justitiae originalis privationem *consequuntur diversa incommoda* (inquit Aquinas)*: quae diversimode inveniuntur in diversis, licet habeant aequalem culpam originalis peccati.* Haec vero incommoda

ad *poenam concomitantem* pertinent. Sed rursum ad haec eadem incommoda, aut poenas concomitantes quod attinet; discrimen interest inter Deum punientem, et hominem judicem: *quod homo judex non potest praevidere eventus sequentes; unde nec eos potest ponderare, dum infert poenam pro culpa: propter quod rationabiliter hujusmodi incommodorum inaequalitas ejus* (judicis hominis) *justitiae non derogat. Sed Deus omnes eventus futuros praenoscit: unde videretur ad injustitiam pertinere, si aequaliter subjacentibus culpae inaequaliter hujusmodi incommoda provenirent.* At omnis injustitiae suspicio tollitur, quod ea attinet ad incommoda, quae *in hac vita* patiuntur homines, et inaequaliter patiuntur: propterea quod sicuti praevidentur a Deo, ita ordinantur vel *quandoque propter aliqua peccata parentum*, vel *tamquam remedium contra peccatum sequens*, vel *propter profectum virtutis aut ejus qui hoc patitur, aut alterius.* Non ita se res habet in futura vita. Quoniam *post mortem* (Thomae verba sunt ad 5.) *non est status proficiendi ad virtutem, vel deficiendi per peccatum, sed recipiendi pro meritis. Unde omnes defectus, qui sunt post mortem, taxantur pro culpa: non autem ordinantur vel ad profectum virtutis, vel ad evitationem peccati; et inde est, quod pueris post mortem non debetur poena sensus.*

Si quispiam inde colligi posse existimaret, *meliorem* post hanc vitam futurum fuisse *puerorum statum*, utpote qui nullam patientur sensibilem poenam,, a vero longissime aberraret. Pueri namque post mortem subjacent *sempiternae poenae*, quae est necessitas jacendi in peccato originali: quo per Baptismum liberari possunt in hac vita. Poena deinde post mortem illis *taxata* est sempiterna exclusio a regno caelorum, a visione clara Dei: cum ad eam tamen per sacri mysterium lavacri ordinari possint in hac vita. Sensibiles quidem miserias non patientur parvuli cum originali culpa decedentes, eo quia post mortem locum non habeat nisi *poena taxata:* eas tamen patiuntur in hac vita mortali ob eos divinae providentiae fines, quos ab Aquinate expositos memoravimus. Haec inter incommoda tandem, quae *concomitantia*, aut *consequentia* vocat Sanctus Thomas, numeranda videtur *Diaboli tyrannis,* ejusque potestas nocendi hominibus, eosque in malum trahendi: quo post mortem immunes malo futuros parvulos, dicendum est; cum *post mortem non sit proficiendi status ad virtutem, vel deficiendi per peccatum.*

V. Postrema quaestio manet, *num tristitiam pueris incutiat poena damni?* Dolorem omnem, ac tristitiam ab eis removet Doctor Aquinas. Probabilia, quibus utitur, argumenta duo, promo ex Articulo secundo Quaestionis secundae, quae habetur in II. Dist. XXXIII. Primum est: „Si pueri, non baptizati, post mortem dolorem interiorem habeant; aut dolebunt *de culpa,* aut de *poena.* Si de culpa: cum a culpa illa ulterius emendari non possint, dolor ille erit in desperationem inducens. Sed talis dolor in damnatis est *vermis conscientiae:* ergo pueri vermem conscientiae habebunt; et sic non esset eorum *poena mitissima.*“ Alterum argumentum est: „*Ratio recta* non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit ut vitaretur: propter quod *Seneca* probat, quod perturbatio in sapientem non cadit. Sed in pueris est *recta ratio,* nullo actuali peccato obliquata. Ergo non turbabuntur de hoc, quod talem poenam sustinent, quam vitare nullo modo potuerunt.“

Id quomodo fieri possit, varia est Doctorum opinio. Quidam dicunt: *quod pueri nullum dolorem sustinebunt, quia in eis adeo ratio obtenebrata erit, ut non cognoscant se amisisse, quod amiserunt.* Censet Sanctus Thomas: „probabile non esse, ut anima ab onere corporis absoluta, ea non cognoscat quae saltem ratione investigari possunt, et etiam multo plura."

Arbitrantur alii: *quod in eis est perfecta cognitio eorum, quae naturali cognitioni subjacent: et cognoscunt Deum, et se ejus visione privatos esse, et ex hoc aliquem dolorem sentire: mitigandum tamen hujusmodi dolorem esse, quia non propria voluntate culpam incurrerunt, pro qua damnati sunt.* Hanc opinationem rejicit velut improbabilem Aquinas. „Quia talis dolor (inquit) parvus esse non potest de tanti boni amissione, et praecipue sine spe recuperationis: unde poena eorum non esset mitissima. (Deinde) eadem ratione, qua *dolore sensibili, et exterius affligente* non punientur, etiam dolorem interiorem non sentient. Quia dolor poenae delectationi culpae respondet: unde delectatione remota a culpa originali, omnis dolor ab ejus poena excluditur."

Hinc alii dicunt: *quod cognitionem perfectam habebunt eorum, quae cognitioni naturali subjacent, et vita aeterna se privatos esse cognoscent, et causam quare ab ea exclusi sunt: nec tamen ex hoc aliquo modo affligentur.* Hanc parvulis illis cognitionem hoc loco non denegat Aquinas: modumque investigat, quo fieri queat, ut nullus inde exoriatur dolor, tristitia nulla.

Rem declarat. „Sciendum, quod ex hoc quod caret aliquis eo, *quod suam proportionem excedit*, non affligitur, si sit rectae rationis; sed tantum ex hoc quod caret eo, ad quod aliquo modo proportionatus fuit. Sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, *quod non potest volare sicut avis*, vel quia *non est Rex*, *vel Imperator*; cum sibi non sit debitum. Affligeretur autem, si privaretur eo, ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habet. Dico ergo, *quod omnis homo usum liberi arbitrii habens*, proportionatus est ad vitam aeternam consequendam: quia potest se ad gratiam praeparare, (auxilio divino adjutus;) per quam vitam aeternam merebitur. Et ideo si ab hoc deficiat, maximus dolor erit eis qui amittunt illud, quod suum esse possibile fuit. Pueri autem numquam fuerunt *proportionati* ad hoc, quod *vitam aeternam haberent:* quia nec eis debebatur *ex principiis naturae*, cum omnem facultatem naturae excedat: nec *actus proprios* habere potuerunt, (liberi scilicet arbitrii per auxilia gratiae adjuti,) quibus tantum bonum consequerentur. Et ideo *nihil omnino dolebunt* de carentia visionis divinae: immo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divinâ bonitate, et perfectionibus naturalibus."

Reponat quispiam: *fuisse* pueros illos *proportionatos ad vitam aeternam consequendam*, *quamvis non per actionem propriam*, *tamen per actionem aliorum*, *quia potuerunt ab aliis baptizari; sicut et multi pueri ejusdem conditionis baptizati*, *vitam aeternam consequuti sunt.* Aquinatis responsum accipe: „Hoc est *superexcedentis gratiae,* ut aliquis sine actu proprio praemietur: unde *defectus* talis gratiae non magis tristitiam causat pueris decedentibus non baptizatis, quam in

sapientibus hoc quod in eis multae gratiae non fiunt, quae in aliis similibus factae sunt.“

Cognitionem, quam satis amplam hoc loco pueris concedere videtur Sanctus Thomas, imminuit, et coarctat Qu. V. de Malo Art. III. „Possumus (inquit) *mediam viam* tenere. Ut dicamus, quod animae puerorum *naturali quidem cognitione* non carent, qualis debetur animae separatae secundum suam naturam; sed carent *supernaturali cognitione*, quae hic in nobis per fidem plantatur; eo quod neque hic fidem habuerunt actu, nec sacramentum fidei susceperunt.“ Pueris nempe negat cognitionem supernaturalem, tum *formalem* in cognitione positam, tum *objectivam* in iis consistentem objectis, aut veritatibus, quae lumen naturae excedunt. Hinc sequitur: „Pertinet vero ad *naturalem cognitionem*, quod anima sciat se *propter beatitudinem* creatam: et quod beatitudo consistit in *adeptione boni perfecti*. Sed quod illud perfectum bonum, ad quod homo factus est, sit *illa gloria* quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem. Unde Apostolus dicit: *quod nec oculos vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se.* Et postea subdit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*“ Num vero adstantes pueri ante tribunal Christi in extremo judicio, audituri sint beatae visionis gaudia eo simili modo, quo a Christianis id accipiunt infideles? Non improbabilis conjectura est, ad providentiam Dei pertinere, ut ipsi nullo modo sublimia Sanctorum dona cognoscant, confusam dumtaxat beatitudinis notitiam habentes. „Et ideo (conclusio est Sancti Thomae) se *privari tali bono*, animae puerorum *non cognoscunt:* et propter hoc non dolent: sed hoc, quod per naturam habent, sine dolore possident.“ Neque dolebunt, se videntes ab aliorum consortio excludi: *sicut nullus sapiens homo affligitur, quia non est Rex, vel Imperator, cum sibi non sit debitum.*

VI. Huic doctrinae lux splendidior ut accedat, contraria quae utroque in loco argumenta ponit Aquinas, ejusque responsa affero omnia. 1. *Dicit Chrysostomus: in damnatis gravior erit poena, quod Dei visione carebunt, quam quod igne inferni cruciabuntur. Sed pueri visione divina carebunt: ergo afflictionem spiritalem sentient.* 2. *Carere illo, quod quis vult habere, sine afflictione esse non potest: sed pueri vellent visionem divinam habere; ergo cum ea careant, videtur ex hoc quod afflictionem sentiant.* 3. *Si aliquis non propria culpa exheredatur, vel mutilatur; propter hoc non minus dolet: ergo etiam quamvis pueri non propria culpa tanto bono priventur, ex hoc eorum dolor non tollitur.* 4. *Sicut pueri baptizati se habent ad meritum Christi, ita non baptizati ad meritum Adae: sed pueri baptizati ex merito Christi consequuntur praemium vitae aeternae: ergo et non baptizati dolorem sustinent ex hoc, quod per demeritum Adae aeterna vita privantur.* 5. *Homo naturaliter appetit beatitudinem: tempus autem habendi beatitudinem est post hanc vitam. Cum ergo illi, qui cum peccato originali decedunt, beatitudinem non consequantur, quia carent visione divina; videtur quod afflictionem patiantur.* 6. *De ratione poenae est, quod sit contraria voluntati: sed omne quod est contrarium voluntati, est contristans: ergo si patiuntur aliquam poenam, oportet quod inde tristentur.* 7. *In perpetuum separari ab eo, quem quis amat, est maxime afflictivum:*

sed pueri Deum naturaliter amant: ergo cum sciant se in perpetuum ab eo separatos, videtur quod hoc non possit esse sine afflictione.

Adversariorum causa fortis, et efficacius perorari non poterat. Solutiones Aquinatis accipe. Ad 1. „In damnatis pro culpa actuali, qui usum *liberi arbitrii* habuerunt, fuit *aptitudo* ad vitam aeternam consequendam, non autem *in pueris:* et ideo non est similis ratio de utrisque." Ad 2. „Quamvis voluntas sit possibilium, et impossibilium; tamen *voluntas ordinata* non est nisi eorum, ad quae quis aliquo modo ordinatus est: et si in hac voluntate deficiunt homines, dolent; non autem si deficiant ab illa voluntate, quae impossibilium est: quae potius *velleitas*, quam voluntas dici debet. Non enim aliquis illud vult simpliciter, sed vellet, si possibile foret."

Ad 3. „Ad habendum proprium patrimonium, vel membra corporis sui, *quilibet est ordinatus:* et ideo non est mirum, si dolet aliquis de eorum amissione; sive pro culpa sua, sive pro aliena eis privetur. Unde patet, quod ratio non procedit ex simili." Ad 4. „Donum Christi excedit peccatum Adae, ut *ad Rom.* 5. dicitur. Unde non oportet quod pueri, non baptizati, tantum habeant *de malo,* quantum baptizati habent *de bono.*" Ad 5. „Animae puerorum, in peccato originali decedentium cognoscunt quidem *beatitudinem in generali* secundum communem rationem, non autem *in particulari:* et ideo de ejus amissione non dolent."

Ad 6. „Poena non semper respondet actuali voluntati: puta cum aliquis absens infamatur, aut etiam bonis suis spoliatur, eo ignorante. Sed oportet quod *poena* semper sit contra voluntatem, vel *actualem*, vel etiam *habitualem*, vel saltem *contra inclinationem naturalem.*" Ad 7. „Pueri cum originali decedentes, sunt quidem separati a Deo perpetuo, quantum ad *amissionem gloriae,* quam ignorant; non tamen quantum ad *participationem naturalium bonorum,* quae cognoscunt."

Duplicem Sancti Thomae responsionem habes. Prima est: Pueros illos cognoscere *visionis divinae gloriam,* Beatis concessam: se ab illa perpetuo exclusos esse: et hanc privationem esse poenam peccati, aliena Adami voluntate contracti. Sed illos tamen *non dolere:* tum quia cognoscunt, se ad illam gloriam consequendam per actus liberi arbitrii *nullam* habuisse *proportionem:* tum etiam quod cognoscunt talem poenam incurrisse, quam vitare nullo modo poterant: tum demum quod eorum ratio, aut voluntas, cum recta sit, et nullo obliquata actuali peccato, perturbari non debet de eo, quod *in ipsis non fuit ut vitaretur.*

Responsio altera: Pueros eosdem cognoscere, *propter aliquam beatitudinem* conditos esse: sed minime cognoscere, hanc beatitudinem positam esse *in visione clara Dei:* unde non cognoscere, se *ab illa exclusos:* neque cognoscere peccatum aliena voluntate contractum, neque poenam inflictam, positamque in carentia visionis divinae: adeoque de ejus amissione *non dolere;* sed hoc, quod per naturam habent, *sine dolore* possidere. Nihil est in hac quaestione, quod ab initio traditum, decretumque ab Ecclesia, pertineat ad Fidei dogmata: licuit ergo probabilibus hactenus rationum momentis, atque solutionibus probabilibus in eadem diligentiore qua valuimus cura versari.

INDEX

NOMINUM, ET RERUM PRAECIPUARUM.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

Q.

R.

S.

T.

V.